25.8.

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi

ANTONIO XAVERIO GENTILI

S. R. E. Cardinali Amplissimo, SSmi Domini Nostri CLEMENTIS XII. Pro-Datario, Sac. Concilii Congregationis Præfecto &c. &c.

DE MATRIMONII SACRAMENTO

Quæstiones Scholasticæ, Dogmaticæ, Morales.

AUCTORE

D. FORTUNATO VENERIO.

PRESBYTERO BARNABITA, &c.

TOMUS VII.



ROMÆ, M. DCC. XXXIX.

Ex Typographia Petri Rosati, & Josephi Borgiani in via Parionis.

SUPERIORUM FACULTATE.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO XAVERIO
GENTILI

S. R. E. Cardinali Ampliſſimo, SSmi Domini Noſtri CLEMENTIS XII. Pro-Datario, Sac. Concilii Congregationis Præfecto &c. &c.

FORTUNATUS VENERIO.

Plenariam Felicitatem.

S*Olent quamplurimi*, Princeps Eminentissime, *qui ſtudiorum ſuorum labores maximo cuipiam viro devotos eſſe deſiderant, eam diuturnam laudum ſeriem contexere, quæ à majorum virtutibus, rebuſque præclare geſtis promanant, in medium afferre, ut hac mentis induſtria animique ſignificatione ſibi gratiam, ac Mecænatum*

tum ſuorum benevolentiam conciliare non deſperent. Si iſtiuſmodi non contemnendam certè conſuetudinem, opuſculum hoc, qualecumque futurum ſit, tuo præclariſſimo nomini eximioque merito ſacrum facturus, proſequi voluiſſem, tam feliciter ipſo ſub initio res mea peracta eſſet, ut nemini ex hac parte inviderem. Unum ſi dicerem ex antiquiſſima Proſapia tua, ut defæcatiores teſtantur hiſtoriæ, Lucam Gentili, *ſatis ſuperque dixiſſem, hunc enim prius ab Urbano V. ad Nucerinæ Eccleſiæ inſulam, inde à Gregorio XI. ad ſui vices in Urbe gerendas, demum ab Urbano VI. ad ampliſſimum Cardinalium collegium evectum, Eccleſiam ferme labentem imperterritis viribus ſuſtinuiſſe, atque in Umbria Legatum Tudertinos feralibus inter ſe odiis diffidentes pacaſſe, à Scriptoribus coævuis accepimus, & adhuc poſt quatuor ſæcula fama perſonante audimus. Verum, dum Te intueor, quidquid de majoribus tuis dici vel ſcribi poſſet, prætereundum intelligo, quippe in Te*

uno

uno, quidquid plurium ætatum decursu in tuis commendari posset, numeris omnibus absolutum amplecteris, atque excellentius demonstras. Vidit Te Roma adolescentem, atque ex tui ingenii præstantia, ex tuorum morum suavitate, ex tua in agendis prudentia, quis & qualis futurus esses, agnovit. Vix lustrum expleveras quintum, quùm in Collegio Signaturæ Justitiæ, ut vocant, juridicundo te Præsidem est admirata. Quanta in tam arduo munere integritas, quanta in dirimendis litibus solicitudo? Nullius acceptator personæ singulis unus eras, atque ut omnium utilitati consuleres, nocturnis vigiliis diurnisque laboribus non parcebas, tibi fortasse injustus, ut cæteris justissimum te præberes, quod à Te etiam atque etiam præstitum, quùm ad agendas Auditoris Cameræ vices tua Te virtus vocavit. Hæc ea fuit, quæ novis in dies cumulata splendoribus, Te non diutius in Sæcularibus mixtisque curis detineri sustinuit, sed ita actum est, ut in illis satis emeritum fides ac Religio

sibi

ſibi vindicem ac fideliſſimum cuſtodem poſtularent. Jamjam intelligit unuſquiſque, quas tibi laudes comparaveris, quantum fidei ac religioni præſidii, & incrementi contuleris in ea muneris exercitatione, quam prius in congregatione Concilii, inde in alia Epiſcoporum ac Regularium à ſecretis agens, ſumma prudentia ac dexteritate abſoluiſti, cui ſi adderem ſtudium tuum ac vigilem curam in Sacræ Inquiſitionis conſultationibus, nihil certe meritorum tuorum excellentiæ addi poſſe videretur. Addidit tamen CLEMENS XII., cujus nomen mihi ſemper apprime carum ac venerandum, quùm perſpecta tui in muneribus omnibus mente ac ſapientia, Te Pro-Datarium, quem appellant, in Romana ſede conſtituit ac declaravit. Ea fuit, ſicut in aliis, vel in hoc tuæ mentis ſolertia, ea ſtudii tui cura ac vigilantia, ut quod cæteri, citra injuriam, annis plurimis vix aſſequi potuerunt, Tu brevi trium menſium curriculo plenarie compleveris, atque ejuſdem CLEMENTIS XII. beneficentia

centia ac juſtitia ampliſſimo Cardinalium cœtui omnium plauſu, & exultatione fueris adſcriptus, nec multo temporis ſpatio interjecto, graviſſima ac difficillima ſacri Concilii præfectura Tibi fuerit demandata.

Hic patere PRINCEPS EMINENTISSIME, *perſtricto calamo, ut ſemper ſoleo, ea producam, quæ effuſiore luce, ad tam eximiam dignitatem evectus, Tu ipſe protuliſti. Duo primum tuæ menti ſeſe obtulerunt. CLEMENS videlicet XII., ut ipſi pro accepto beneficio non ſolum grati animi occulta, ſed etiam publica argumenta rependeres, ~~atque Eccleſia~~, quæ tibi in Titulum commiſſa fuerat, ut ejus cultui atque ſplendori ſingulari quoddam modo incrementa præberes. Quid tanto Pontifici Opt. Max. laudis ac gloriæ non contuliſti? Teſtes quotquot in ædibus Capitolinis ſolemni peregrinoque apparatu tuis ſumptibus exornatis ſpectatores adfuerunt. Adfuerunt certe viri Principes, tam quos Apoſtolica Sedes ſui cardines agnoſcit, quàm quos ſæcularis poteſtas inſtituit,*

ad-

adfuerunt Cives, adfuerunt Advenæ, omniumque in conſpectu oratoria eloquutione, ac poetica metro ea fuerunt omnium gaudio celebrata, quæ CLEMENTIS nomen commendatione æternùm duratura efferrent ac proſequerentur. Quid vero Eccleſiæ Sancto Stephano in Monte Celio dicatæ, quam ſuperno quoddam lumine afflatus retinere voluiſti, decoris ac magnificentiæ a Te additum non intuemur? Eximiam pietatem tuam ipſi ſuperi confirmarunt, dum ſtudio tuo Sanctorum Primi ac Feliciani corpora inventa, triumphali pompa ac devotiſſimo comitatu deducta fuerunt, atque pretioſe ditiſſimeque recondita. Vidit tunc Roma ſenes ac juvenes, viros ac mulieres, nobiles ac plebeios certatim accurrentes, vidit & totum ferme Auguſtiſſimum Cardinalium Collegium feſtivitati tam celebri intereſſe, ut non ſolum admirabili exemplo ſuo populi ſpiritum magis accenderet, ſed etiam animi tui magnitudini plauderet, ac teſtimonia excellentiora proferret: Tui vero cordis eos

arbi-

arbitror ſenſus fuiſſe, quales in Sanctorum Gervaſii ac Protaſii corporum inventione translationeque legimus de S. Ambroſio, ſcilicet, Te cum illo intus dixiſſe: Tales ego habeo protectores.

Hiſce EMINENTISSIMÆ *Dignitatis tuæ veluti fundamentis præjactis, quibus, & Chriſti Vicario Te gratum oſtenderes, & Chriſti Martyrum præſidium compares, quid mirum, ſi in Pro-Datarii munere, quod tibi CLEMENS addictum eſſe voluit, tanta in omnes munificentia, & æquitate refulgeas, tanta in rebus difficilioribus ac ſingulis negociis, quæ ad ſacrum ac politicum regimen pertinent dexteritate valeas ac mente, tanto in Eccleſiaſticorum jurium ac Sedis Apoſtolicæ defenſione robore polleas ac conſtantia?*

Totum tamen hoc, quantumcumque eſt, quod certè maximum eſt, in Te non faſtus & elationis occaſio. Profunde animo inſederat tuo, quod olim Simacus epiſtol. 86. Quanto major eris, tanto moderatior eſto,

atque ita à te factum est, ut dignitate ac merito cæteros antecelleres, modestia tamen, ac comitas tua meritum dignitatemque præiret. Qua enim benevolentia non excipis, qua humanitate non audis, qua beneficentia non solaris? Nemo tam pavidus, quem fortiter in spem non erigas; Nemo tam inops, cui clementissime non subvenias; Nemo tam vecors, quem Patris zelo non moneas, atque ad strenuè agendum suaviter non impellas, & ita fiat, ut paria meritis præmia largiaris, aut ad obtinenda præmia quoscumque disponas.

Disponis certè CARDINALIS AMPLISSIME *exhortationibus, consiliis, exemplo, sed quod præ omnibus summum, ac pene divinum est, eam tuam benevolentiam, studium illud tuum existimo, quibus litterarum scientiarumque cultores allicere, fovere, ac remunerationibus prosequi perpetuo consuevisti. Eorum dissertationibus Te ipsum Præsidem quoties non vidi? eorum academiis Te ipsum auspicem quoties non intellexi?*

lexi? Adeo de litteraria Republica Te emeritum ſcio, ut, ne ſplendor deeſſet, æris tui effuſione plerumque dederis manum, ne vero locus, tui ipſius domum contuleris, eo quidem, ut arbitror, conſilio, ne illud, quod tuum eſt, à ſcientiarum tecto divideres.

Hæc perſæpe mente revolvens, crebriſque etiam ſermonibus uſurpans, aliquam ſaltem ſtudiorum meorum partem excelſo nomini tuo devotam reddere jam pridem decreveram. Verum inpræſentiarum opportunius ſeſe exhibet tempus, quo & pro acceptis à te quàm pluribus beneficiis aliquod, etſi leve, grati animi monumentum humiliter offerre nequaquam prohibeor, atque de iis in hoc opuſculo agendum ſuſcepi quæ, potiſſimum in Congregatione, cui ſapientiſſimè præes, ſolent in examen & controverſiam revocari, quod etiam inobſervatum non reliquit Sanctiſſimus Dominus Noſter, qui, etſi reliqua ſtudia mea ſacra ſibi fuerint, ac futura ſint, hoc tamen præclariſſimo tuo nomini offerri, cle-

mentiſſime annuit, probavitque. Illud hilari, ſerenaque fronte ab animi tui magnitudine excipiendum ſpero, meque ampliſſimo tuo Patrocinio ita fovere, ut liberiore mente, ac pacatiori animo Typos meos proſequi valeam, ne dedigneris, demiſſiſſime exoro.

DON

DON JO: HIERONYMUS
G A Z O N I

Congregationis Clericorum Regularium Sancti PAULI

PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUM Librum, cui Titulus est: *In Quæstiones de Sacramento Matrimonii*: à Patre D. Fortunato Venerio Congregationis Nostræ Presbytero professo compositum, duo ejusdem Congregationis Nostræ eruditi Viri Theologi, quibus id commisimus, accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & posse in lucem edi probaverint; Nos ut Typis mandetur, quantum in Nobis est facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, Sigilloque Nostro muniri jussimus. Datum Romæ in Collegio Nostro SS. Blasii, & Caroli die 12. Junii 1739.

Don Joannes Hieronymus Gazoni Præpositus Generalis.

Don Valentinus Viani Cancellarius.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Ph. Epiſcopus Viceſgerens.

EGregia, quà pollet Theologica Doctrira, & utriuſque Juris peritia, quemadmodum alias jan Typis editas, ità iſtas *De Sacramento Matrimonii Quæſtiores* Reverendiſſimus P. D. Fortunatus Venerio Clericus Regularis Barnabita diligenter, accurateque digeſſit. Illas jubente Reverendiſſimo P. Nicolao Ridolfi Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtro attente legi, & non modo ab omni reprehenſione immunes, ſed digniſſimas reperi, quæ ad omnium utilitatem in publicam lucem edantur.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul. Sanctiſſimi Salvatoris, & Sac. Congreg. Indicis Conſultor.

JUſſu Reverendiſſimi P. Nicolai Ridolfi Apoſt. Pal. Magiſtri *Quæſtiones de Sacramento Matrimonii* à Reverendiſſimo P. D. Fortunato Venerio Clerico Regulari Barnabita conſcriptas, ea qua Theologicas Quæſtiones alias, ab eodem Auctore jam Typis editas, animi jucunditate perlegi. In iis enim & nihil eſt reprehenſione dignum, & omnia ingenii perſpicaciam, doctrinæ robur; Juris utriuſque Pontificii, & Cæſarei peritiam planè egregiam, omnigenamquè eruditionem præſeferunt: Quamobrem eas, & publica luce donandas, & optandum id maximè cenſeo, ut Auctor felici calamo Theologiæ univerſæ ſupremam manum imponat.

Joſeph Carpani Soc. Jeſu Cleri Romani Examinator, & in Collegio Romano Generalis Studiorum Præfectus.

IMPRIMATUR,

Fr. Nicolaus Ridolfi Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſtol. Magiſter.

IN-

INDEX

Eorum, de quibus in hoc Libro.

QUÆSTIO I.

De Sponſalibus.

QUÆSTIO II.

De Sponſalium obligatione, ſeu effectu.

QUÆSTIO III.

De Sponſalium diſſolutione.

QUÆ-

QUÆSTIO I,

De matrimonio ſecundum ſe conſiderato, & ut Sacramentum eſt.

QUÆSTIO II.

De Materia, forma, Miniſtro Matrimonii.

QUÆSTIO III.

De conſenſu ad Matrimonium requiſito.

QUÆSTIO IV.

De Unitate, & indiſſolubilitate Matrimonii.

§. III.

QUÆSTIO V.

De impedimentis Matrimonii in genere.

QUÆSTIO VI.

De impedimentis dirimentibus in particulari.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De impedimentis prohibentibus in particulari.

QUÆSTIO VIII.

De dispensationibus ab impedimentis.

QUÆSTIO IX.

De mutuo Conjugum debito.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

De Potestate, quam habent conjuges vovendi atque irritandi sibi invicem vota.

QUÆSTIO XI.

De Divortio.

SECTIO UNICA.

DISPUTATIO UNICA.

De Parentum erga filios obligatione.

IN

IN QUÆSTIONES DE SACRAMENTO MATRIMONII.

ANtequam quæſtiones iſtas de Matrimonio exponendas aggrederer, plures ac graviores ex iis, qui in hac re ſcripſerunt ſub oculos poſui, nec inconſiderata mente frequentius eorum ſententias uſurpavi. Pluribus difficultatibus, ut verum fatear, involutum negotium inveni, quod utrum mihi contigerit vel ob ingenii mei tenuitatem, vel ob ipſarum rerum tractandarum conditionem ac naturam ſatis explicare non valeo. Illud quidem neminem vellem ignorare, quod ad præſens inſtitutum meum obeundum in Theologicâ tantùm facultate verſatum eſſe parùm prodeſſet, niſi etiam in juris Pontificii ac Cæſarei doctrina peritia manum præcipuam daret, quare de eo Theologi cum Magiſtro ſententiarum agunt in 4. diſt. 26. uſque ad 42. Doctores juris Pontificii in 4. decretal. & in 6. tit. de Sponſalibus, necnon alibi, Profeſſores verò juris Cæſarei cap. de Sponſalibus, & quadripartita per totam. Horum omnium ſententias, decreta, ac leges breviter quantùm potero, proferam & explicabo: utrùm verò id ex integro & dilucidè præſtiturus ſim; polliceri vel mihi, vel tibi non audeo; aliorum tamen judicium, quod ab odio vel invidia ſepoſitum ſit, libentiſſimè expectabo. Cum verò ſponſalia ſint diſpoſitio quædam ad matrimonium, à plurium Theologorum methodo recedam, qui priùs de matrimonio, quam de ſponſalibus ſcripſerunt; ſed priùs de iſtis agam ſequens Gregor. IX. juris Pontificii collectorem, qui in 4. decretal. ubi de matrimonio ſermo habetur, ab iiſdem ſumpſit exordium.

QUÆSTIO I.

De Sponsalibus.

ARTICULUS I.

Quid sint sponsalia, & quas conditiones requirant.

1. Nomen hoc sponsalium quamdam speciem contractus significat, qui fit inter virum & mulierem, qui se ipsos invicem spondent, seu sponte promittunt; unde cap. *Nostrates* 30. qu. 5. definiuntur, *Futurarum nuptiarum promissio*, subintellige mutua; atque ideo sponsi dicuntur etiam promissi: Sumi autem solent sponsalia non sub unica tantùm consideratione. Primo pro muneribus, quæ à sponso sponsæ conferuntur l. 1. cap. *si nuptiæ, ex rescripto*, & 1. Reg. cap. 18. legitur: *Non habet Rex sponsalia necesse.* Secundò pro matrimonio nondùm consummato c. *Tertio loco*, de præsumptionibus; & Matt. 1. habetur, *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph.* Tertio pro futuri matrimonii promissione, & ita in sensu proprio usurpantur, de quibus tantummodò sermo noster instituitur.

2. Porrò ad hujusmodi sponsalia constituenda plures conditiones requiruntur. Prima, ut sit promissio futuri matrimonii. Secunda, ut sit facta à personis jure idoneis ad contrahendum. Tertia, ut signis, aut verbis fiat manifesta.

Quantùm attinet ad primam conditionem; promissio debet esse mutua; unde l. 1. ff. de sponsalibus, hæc dicuntur repromissio, & quidem directa & immediata matrimonii, alioquin si sufficeret indirecta, qui promitteret contrahere sponsalia, verè sponsalia contraheret, quod est falsum; quia promissio rei exhibendæ necessario differt à re exhibita, debet esse deliberata, ita ut promittens perfectè cognoscat, & advertat quid agat, aliter non est actus humanus, ac voluntarius, proinde nullam obligationem inducens; atque hac ratione qui promitteret fictè sine animo se obligandi, sponsalia non perficeret. Quid autem dicendum esset, si fictè promitteret, juraret tamen se promissa servaturum, non est una Doctorum sententia; Cajet. 2.2. qu.89.art.7. ad 4. Sot. lib. 4. de justit. qu. 1. art. 7. ad 4. aliique, docent ita jurantem promissario obligari; Ego verò existimo, vi juramenti, & ex virtute religionis teneri, nequaquàm ex vi promissionis, quæ in re nulla fuit. Debet insuper prædicta promissio circa determinatam personam versari; Unde si Petrus sex, ex. cau., puellis simul promitteret, se unam ex illis ducturum, & vicissim puellæ promitterent se ipsi nupturas, hujusmodi promissio sponsalibus non sufficeret; quia promissio Petri nec specialis est, cum nulli certæ sit facta, nec universalis, quia non promisit omnes ducere, sed unicam; Ratio est, quia illa puellarum acceptatio est conditionata, idest, si me præ aliis elegeris, & idem dicas de promissione alterius, quare non evadit absoluta, donec Petrus unam elegerit, qua facta electione tunc contraherentur sponsalia.

3. Quantùm ad secundam conditionem: primo necessarius est talis rationis usus, qui requiritur, ut lethaliter peccare possint; secundò, ut nullo sint impedimento irretiti, de quibus suo loco à nobis dicetur; nemo etenim potest se ad aliquid obstringere, quod nonnisi illicitè fieri potest; poterunt qui-

quidem promittere, se matrimonium inituros, ablato impedimento per dispensationem, sed tunc promissio erit conditionata, nec sponsalia dicentur, donec obtenta fuerit dispensatio. Tertio necessaria est ætas septem annorum, ut expresse traditur c. *Litteras*, & c. *Accessit*, l. *finali* tit. 1. par. 4. Ratio est, quia septennio completo incipit communiter rationis usus, & libertas, ut habetur l. *si infanti*, & l. *Potuit* C. de jure deliber. Quod si ad matrimonium contrahendum non eadem ætas in maribus & fœminis à jure canonico præscribitur, non inferas: ergo neque eadem ætas ad contrahenda sponsalia; siquidem pro sponsalibus requiritur usus rationis, qui eodem tempore viro & fœminæ advenit, pro matrimonio verò requiritur facultas generandi, quæ tardiùs reperitur in viris; & si opponeres, non esse pro sponsalibus præscriptam ætatem, ut in l. *In sponsalibus contrahendis*, ubi dicitur: *ætas contrahentium definita non est, sicut in matrimoniis*. Lex ista intelligenda est, ut in matrimonio contrahendo semper ætas à jure præscripta sufficiens sit, non sic in contrahendis sponsalibus: quia fieri potest, ut etiam septennio completo desit usus rationis, atque ideo ætas contrahentium sponsalia semper & in omni casu definita non est.

4. Utrum autem annus septimus debeat esse completus physicè, vel sufficiat solum moraliter, quod intelligitur etiam si deficiant octo vel decem dies; Respondet Sanchez lib. 1. disp. 16. num. 4. debere physicè esse completum: ratio est, quia sicuti, quando jura alicui rei certum pretium determinant, hoc omninò consistit in indivisibili; ita etiam quando præscribunt pro aliqua actione certam ætatem: & sicuti non valeret professio religiosa, si deficeret una dies pro anni decimisexti complemento; ita non valerent sponsalia si deficeret una dies pro complemento septimi. Contrarium tamen mihi satis probabile videtur, ita ut sufficiat, si ultima dies dicti anni incæperit: si enim ad condendum testamentum non requiritur, ut ætas quatuordecim annorum in maribus completa physicè sit, sed sufficit ultimam diem initium habuisse, ut in l. *Qua ætate* ff. de testament. quare non sufficiet in sponsalibus inchoasse ultimam diem anni septimi? non enim minùs favorabilia sunt sponsalia, quam testamenta; imo Doctores aliqui, ut S. Th. in 4. dis. 27. qu. 2. art. 2. ad 7., S. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 18. Sylvest. &c., & clariùs absque aliqua limitatione aut explicatione, Vivaldus, Victoria, Veracruz &c. existimant, non obesse dierum trium vel quatuor defectum; quia quod parum distat à re, nihil distare videtur, ex Arist. 2. Physic. & colligitur ex l. *finali* tit. 1. par. 1.

5. Sed quid dicendum erit, si malitia præveniat ætatem, & rationis usus celeriùs adveniat? validè ne ante septennium contraherentur sponsalia? Negant Abbas in cap. *Juvenis*, num. 4. Angel. ver. *Sponsalia*, Rosella ver. *Impedimentum* aliique, ubi asserunt, per malitiam tantùm suppleri ætatem, quando fœmina ante septennium fuerit ad copulam tentata; tunc enim oritur publica honestas; Ratio per ipsos est: quia ubi certa ætas jure determinatur, nequit anteverti, ut manifestum est in professione & testamento; & si valent sponsalia ante septennium, si discretio adsit, nec valent post, si ea deficiat, immeritò jus septennium præscripsit, sed breviùs & consultiùs dixisse valere sponsalia, quæ ab usum rationis habentibus contrahuntur.

Contrarium tamen probabiliùs existimo cum S. Th. loco superiùs laudato, S. Antonino, Soto, Ledesma &c. rationem exhibet Jurisconsultus, quia sponsalia sunt via & dispositio ad matrimonium tanquàm ejusdem inchoatio; hujus igitur leges sequuntur; atqui lex disposuit malitiam in matrimonio sup-

plere ætatem c. *De illis*, 9. de deſponſat.impub., ergo idem dicendum etiam de ſponſalibus. Hinc patet quid priori argumento dicendum ſit; illud enim eſt verum, quia proteſtamento & profeſſione in nullo jure eſt expreſſum contrarium in caſu aliquo æquivalenti; eſt vero in re noſtra. Pro ſecundo argumento reſpondendum, ideo à juribus illam ætatem præſcribi, quia ante eam præſumuntur pueri ſufficientem diſcretionem non habere; & ideo ſponſalia judicantur invalida, niſi apertè probetur ſufficientem habuiſſe; ſicut poſtea contracta judicantur valida, niſi apertè probetur, iis defuiſſe judicium.

6. Quæres. An peccent mortaliter, qui ſponſalia contrahunt invalidè ob defectum ætatis, aut uſus rationis. Nullam difficultatem exiſtimo poſſe moveri de ipſis contrahentibus, ſi enim deficit ætas & uſus rationis, planè peccati lethalis incapaces ſunt; dubium igitur locum habere poteſt pro iis, qui illos inducunt, ut contrahant.

Reſpondeo; negative. Ratio eſt, quia nec ſit injuria alicui perſonæ, cum ex illis ſponſalibus nulla oriatur obligatio, ſaltem reſpectu illius, qui doli incapax eſt, nec ſit injuria ſacramento, quia ſponſalia ſacramentum non ſunt. Hinc verba cap.2. de deſponſat.impub, quæ ſunt iſta: *Diſtrictiùs inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem canonibus determinatam non pervenerint, conjungantur, niſi fortè aliqua urgentiſſima neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis &c.* non ſunt intelligenda de ſponſalibus, ſed de ipſo Matrimonio, ut patet ex illo verbo, *conjungantur* ſponſalia enim non ſunt propriè conjunctio, ſed conjunctionis promiſſio; quod autem pertinet ad pœnam & prohibitionem, ultra propriam ſignificationem non debet extendi.

ARTICULUS II.

Quænam verba, vel ſigna requirantur ad contrahenda ſponſalia.

7. Cum dictum ſit, ad ſponſalia neceſſariam eſſe mutuam promiſſionem, inquirendum ſe objicit, quibus verbis, aut ſignis hujuſmodi promiſſio peragenda ſit; Certum autem eſt, faciendam eſſe vel per aliqua verba, vel per aliqua ſigna, quæ verbis æquivaleant, ut manifeſtum eſt in omni humano contractu, ſicut certum eſt, promiſſionem merè internam inter homines non obligare, nec poſſe eſſe mutuam; quia, ſi non poteſt innoteſcere, non poteſt acceptari, proinde illius intuitu nihil poteſt repromitti.

8. Non requiri aliqua determinata verba, vel determinata ſigna, in dubium revocari non poteſt; cum neque id exigat res ex natura ſua, neque aliquod jus poſitivum; ſed neque verba quæcumque, nec quæcumque ſigna ſufficientia eſſe, perſpicuum eſt; Talia igitur neceſſaria erunt verba, vel ſigna, quæ ſpectatis circumſtantiis indicare valeant promiſſionem, ac repromiſſionem; dixi *ſpectatis circumſtantiis*; etenim conſideranda eſt cujuſcumque loci, ac regionis conſuetudo; quod enim in uno loco videretur pro diſſenſu uſurpandum eſſe, in alio ſignificare poſſet conſenſum; Unde apud Indos fertur; ſponſalia contrahi dicente viro, *ſi ego ſupervixero, te ſepelliam*. Et reſpondente fœmina; *Ego forte te ducam*. Imo exiſtimo, quod ſi inter adoleſcentem & adoleſcentulam eſſet pactum, quod verbum *nolo* ſignificaret pro *volo* adhibendo prius verbum, ſponſalia contraherentur quantum ad ſubſtantiam; Hoc autem dici non poteſt de Matrimonio, quia pro hoc, verba non tantùm debent ſignificare per reſpectum ad contrahentes, ſed etiam ad Parochum & teſtes.

9. Ex his ſequitur, verba vel ſigna am-

ambigua nequaquàm sufficere: quod enim indifferenter accipi potest ad significandum consensum, vel dissensum, nullo pacto assensum significat; & sicuti necessaria est interna voluntas mutuò se obligandi; ita necessaria est mutua determinata promissio, quæ per verba vel signa ambigua haberi non potest.

Sequitur 2. annuli traditionem, seù subharrhationem secundum se non esse signum sponsalibus sufficiens; potest enim multas ob alias causas fieri: oppositum tamen censendum est, si pro loci consuetudine usurpatur ad ea significanda, atque idem valet; si verba unius præcesserint, & alia annulum receperit, facto enim ipso consensus præbetur, ut ait Glos. cap. *Tuæ*, de sponsal. verbo *Verba*; idemque sentiendum, si dum tractatur inter amicos vel consanguineos de Matrimonio contrahendo, sponsus nihil aliud exprimens arrhas vel jocalia mittit, & sponsa acceptat; dummodo tamen ipsi de tractatu constet. Si verò inscio sponso mitterent parentes ejus, nequaquam ad sponsalia constituenda pertineret, sed ad donationem; ut dicunt Ab. in c. *Finali* num. 7. Masc. de probat. conc. 1024. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 2. num. 8. aliique.

10. Sed hic jam occurrit difficultas 1. an dum aliqui contrahunt sponsalia pro aliis præsentibus, & isti tacent, horum silentium sit sufficiens argumentum interni consensus.

Distinguendum est; vel ita contrahentes agunt ex ipsorum mandato; & ita certissimum est, taciturnitatem sufficere; quia quidquid ab illis agitur, ab his non reclamantibus agi, compertum est: Vel contrahentes sine mandato sunt eorum parentes, vel tantum extranei, quamvis amicitiæ vinculo conjuncti & etiam consanguinitatis.

Si ipsorum parentes sint, videtur, filiorum silentium nequaquam sufficere; etenim in re tam gravi per illud non exprimitur consensus; præsertim cum taciturnitas ex verecundia aliisque capitibus possit oriri; atque ita statuitur in c. 1. de despons. impuber., ubi affertur discrimen inter infantes, & alios doli capaces; quod pro illis possit Pater contrahere, non verò pro istis; hocque sustinent plures apud Petrum de Ledesma, & Enriquez.

Nihilominus oppositum tenendum est cum Glos. in c. *Honorantur*, & cum pluribus Doctoribus, Hostien. in cap. unic. de desponsat. impub. Villalab. in communibus, lit. M. num. 60. Navar. in sum. c. 22. aliisque inter Juristas, ac Theologos. Habetur hæc assertio in c. unico laudato in 6. §. *Finali*, ubi hæc leguntur: *Ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus contrahunt, si filii expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, non contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis*. Præter hocce decretum ratio satis apta proponi potest; quia cum ex l. *Isti quidem* 8. ff. *De eo*, plus diligant filios, quam se ipsos, præsumi debet, parentes istis optimè consulere, & ideo taciturnitas pro consensu usurpatur.

Neque obstant superiùs allata fundamenta; etenim quod dicitur de taciturnitate, quæ ex verecundia aut metu reverentiali oriri potest, quantùm ad conscientiæ forum nihil proderit; cum in hoc consideretur tantùm, utrum fuerit internus consensus, & sic sponsalia obligabunt, vel non fuerit, & sic nihil actum est; quantum verò ad forum externum, probandam erit, utrum taciturnitas orta sit ex verecundia & metu reverentiali; sed de hac re quantum ad metum alibi sermo continget.

Quod verò dictum fuit ex illo cap. de desponsat. impuber., nullum affertur discrimen quo ad juris effectum, sed tantùm sermo est de honestate, ac decentia; Cum enim adolescentes sunt doli capaces, & per se ipsos consentire possint, dedecens videtur, parentes pro illis contrahere; quod non contingit,

cum

eum sunt infantes, qui nullius sunt consensus capaces.

11. Occurrit difficultas secunda; An idem, quod de parentibus dictum est, asserendum sit etiam de aliis, qui contrahant, & illi, pro quibus contrahunt, taceant. Sotus in 4. dist.27. q.1. art.3., Victoria in sum. num.150. pluresque, quos Sanchez lib. 1. disp. 23. num.6. recenset, arbitrantur, idem valere tam de parentibus, quam de aliis extraneis: Ratio horum est, quia, ubi agitur de re, quæ in favorem vertitur, ille, qui tacet, consentire videtur; sponsalia autem ad rem favorabilem revocantur; ergo. Præterea; in c.1. de Matrimonio contracto contra interdic. Eccles. valida dicuntur illa sponsalia, quæ frater pro sorore præsente & tacente contraxerat.

12. Prior tamen ratio parum suffragatur; siquidem licet contrahere matrimonium sit per se res expetibilis, & ad favorem revocanda; hoc tamen dici non potest de quovis matrimonio, cum si contrahatur cum hac, vel cum illa, incommoda ac damna plura possit afferre. Posterior etiam desumpta ex laudato cap. nihil probat, nam glos. ibi verbo *præsente*, adnotat, adfuisse expressum consensum sororis; atque in textu ponderari alia signa tacita, ut confirmet, illum consensum non fuisse fictitium.

13. Propterea dixerunt alii communiùs cum S. Th. in 4. dis. 27. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. S. Antonino 3. p. tit. 1. c. 2., nec non cum juris peritis, Alano, Tancred., Guilermo &c. id solummodo parentibus convenire: Fundamentum desumunt ex cap. unico adducto num. 10. *Ex sponsalibus &c.* mentio tantummodo parentum fit; & ratio est eadem, quæ superiùs allata fuit, quia cum hac, vel cum illa contrahere potest contrahenti displicere ac odiosum esse; & ideo si taceat, non præsumitur consensum præbere, nisi hoc illi à parentibus proponatur, qui non præsumuntur ei nisi bonum proponere, cum ad ipsos pertineat bona matrimonia filiis procurare.

14. Ego tamen existimarem, totum hoc extendendum esse etiam ad tutores, curatores, aliosque, qui parentum loco curam pupillorum gerunt, atque minorum, cum de istis pari modo valeat ratio posterior: Prius autem momentum desumptum ex illo capite satis non evincit; nam licet parentum dumtaxat fiat mentio, nihil tamen in eo est, per quod alii excludantur.

15. Hæc dicta sunt, si a parentibus aut aliis contrahantur sponsalia præsentibus filiis & tacentibus; quid tamen dicendum erit; si filii sint absentes, & postea quid actum sit, noverint, tacent, nec contradicunt? Quidam negant, in hoc casu sufficere taciturnitatem, sed requiri, ut aliquo modo facti acta ratificent; quod quidem colligi videtur ex dicto cap. *Ex sponsalibus &c.* ubi adduntur hæc verba. *Et est idem, si filii tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes, eadem sponsalia post scientes ratificaverunt tacitè vel expressè*. Necesse est igitur, ut illa sponsalia tacito vel expresso consensu postea ratificentur, & laudatum caput discrimen affert inter illa sponsalia, quæ à parentibus contrahuntur præsentibus filiis, & inter illa, quæ contrahuntur ipsis absentibus. Hujus autem ratio reddi potest, quia si filius vel filia præsens est, & intelligit, quid ipsius nomine agatur, præsumi debet, quod si dissentiret, reclamaret; at dum absens est, evenire potest, quod vel obliviscatur, vel parum curet, existimans, postea se posse reclamare. In quibus autem signis sita sit hæc tacita ratificatio, jam diximus num.9. *Sequitur* 2. quibus addi possunt similia. Quidam verò affirmarunt, idem statuendum esse, sive filii sint præsentes, sive absentes, cum in eodem capite, inquiunt, eadem ratio tam pro absentibus, quam præsentibus afferatur; ita sentire videntur S. Th. in 4. dis.27. qu.2.

qu. 2. art. 3. ad 1., Sot. qu. 2. art. 2. ad 1. Enriquez de Matrim. lib. 11. cap. 13., & inter juris peritos Ancharan. c. unico §. Porro num. 3., quare hoc satis probabile dici potest.

16. Existimo tamen cum Coninch. disp. 21. dubio 4. num. 19. distinguendum esse; Vel enim filii absentes notitiam habuerunt ab aliquo, ad quem rem gestam afferre non pertinet, vel ab ipsis parentibus, vel tutoribus, & curatoribus. Si primum; filiorum taciturnitas non sufficit, quia huic respondere nullo modo tenentur; si secundum; sufficit, illis enim respondere debent, unde si tacent, consentire præsumuntur.

17. Occurrit tertia difficultas; Utrum, si quis diceret, *nullam aliam ducam, nisi te*, verba ista sufficerent ad sponsalia contrahenda; & teneretur ad illam ducendam: Pars affirmativa apud plures Doctores reperitur, & indicatur in l. *Si eum* §. *Qui injuriarum*, ff. si quis cautio, & l. *tutione* C. de transaction. ubi Bart., & reliqui cum Barbatio cons. 6, vol. 1. Alciato lib. 1. respons. cons. 13. num. 13. &c. Ratio horum est, quia particula *nisi*, cum sequitur negationem, affirmat, v. g. si diceres, *Nullus currit, nisi Petrus*: Petrum currere affirmares, & cum sequitur affirmationem, negat, v. g. si diceres, *omnes currunt, nisi Petrus* Petrum currere negares: igitur pari modo, si dicas, *nullam aliam ducam, nisi te*, hanc te ducturum affirmas & promittis.

18. Pars tamen negativa mihi magis probabilis & vera videtur, quam tenent Covar. lib. 4. decret. par. 2. cap. 4. §. 1. Alciat. l. *actione* Cod. de transact. num. 16. Alexan. de Nevo c. *Ex parte*, n. 31. Navar. lib 4. consilior. cons. 7. &c. Ratio, est quia in contractibus particula *nisi* facit sensum conditionalem, & illa propositio æquivalet isti, *Vel ducam te, vel nullam aliam*. Probatur hoc ex l. *si sterilis* §. penultimo ff. de act. empt. ex qua colligitur, quod si quis promitteret dicens, *non vendam, nisi tibi*, non teneretur ad vendendum, sed solum deberet illi vendere in casu quo vellet vendere; atque iste est communis modus loquendi, cui standum est in utroque foro, quando de intentione non constat: Si quis enim promitteret, se nullam religionem professurum, nisi Sancti Francisci; quis dicet teneri ad hujusmodi religionem? tenebitur quidem ad alias religiones omittendas, & tantùm in casu, quo velit religionem profiteri, ad illam Sancti Francisci obligabitur.

19. Neque argumentum oppositum quidpiam probat; nam in primis illa propositio, *Nemo currit, nisi Petrus*, est de præsenti, cujus objectum cognoscitur existens, è contrario propositio nostra est de futuro; & sicut si diceretur, *Nemo curret, nisi Petrus* non inferretur, Petri cursum esse determinatè futurum, sed solum conditionate, idest si Petrus voluerit currere, curret, & nullus alius; ita in re nostra dicendo, *nullam ducam, nisi te*, infertur, si voluero aliquam ducere, ducam te; non autem determinatè & absolutè te ducam: Præterea: in propositionibus, quæ sunt simplices affirmationes dictiones exceptivæ junctæ affirmationi negant, & junctæ negationi affirmant; quod tamen aliqui negant, inter quos Covar. loco laudato; in promissionibus tamen & contractibus id verum non est propter communem loquendi modum, ut probatum est.

ARTICULUS III.

Utrum matrimonium invalidè contractum per verba de præsenti habeat vim sponsalium.

20. In duplici sensu præsens difficultas locum habere potest. Primo; cum per verba de præsenti constituitur matrimonium, sed defectu ætatis hoc inter contrahentes consistere

re non poteſt. Secundò; cum contrahentes habiles ſunt, ſed contractui deficit ſolemnitas aſſiſtentiæ Parochi, & teſtium, quam præſcribit Concil. Trident. ſeſs.24. c.1. de Matrimonio; videlicet, an ita per Tridentinum matrimonium clandeſtinum irritum ſit, ut nullam prorsùs neque matrimonii, neque ſponſalium obligationem inducat.

21. Quantùm ad primum; Plures Doctores in jure antiquo ſiſtentes arbitrati ſunt, matrimonium invalidè contractum defectu ætatis nec eſſe matrimonium, nec eſſe ſponſalia; ita Petrus de Ledeſ. de Matrim. quæſt. 45. art. 5. punct.2. poſt dubium 4. niſi impuberes habuerint expreſſam intentionem ſe obligandi eo meliori modo, quo poſſunt; Ad hoc probandum occurrit doctrina Bartoli l. 1. §. *Si quis ita* num.5. ff. de verbo oblig. ubi ait, per textum probari, quod quoties agitur de contrahenda obligatione, quæ à duorum pendeat voluntate, actus, qui non valet eo modo quo fit, nec valet eo modo quo fieri potuit; quia actus agentium non poteſt ultra eorum intentionem operari, ut dicitur l. *Non omnis*.

22. Contrarium cenſeo aſſerendum eſſe, atque ita definitur c. finali, de deſponſatione impuber. & eodem titulo in 6. c.unico §.2., ubi dicitur, ex eo Matrimonio, tanquam ex veris ſponſalibus, oriri publicæ honeſtatis impedimentum; Ratio eſt, quia præſumi debet, talem fuiſſe contrahentium intentionem, ut caſu quo matrimonium minimè valeret, voluerint contrahere ſponſalia; & dum ſermo eſt de aliquo actu, qui includitur in eo, quod fit, ſi hoc non valet eo modo, quo fit, valere debet eo meliori modo, quo poteſt; ſponſalia autem virtute includuntur in matrimonii contractu; Ideo falſum eſt, quod in fine ſuperioris numeri dicebatur; ſi enim contrahentes non habuerunt expreſſam intentionem contrariam, habuerunt talem actum, in quo includebatur intentio ſe obligandi eo modo quo poterant, & hoc pacto intelligenda eſt doctrina Bartoli, quæ tantùm eſt vera, quando unus actus in alio non includitur: Ratio a me adducta probat, hujuſmodi matrimonium invalidum propter ętatem habere rationem ſponſalium non ſolùm ex præſumptione juris, ut plerique tantummodò affirmant; ſed etiam ex propria natura, ita ut ſic dicendum foret, quamvis nullum eſſet jus, aut Eccleſiæ conſtitutio: nam ex vi contractus, qui intendunt ſibi mutuo dare perpetuum jus in corpora ad uſum matrimonii, & perpetuam cohabitationem, intendunt hic & nunc mutuò ſibi dare quantum & quale jus poſſunt; proindè ſi non poſſunt ætatis defectu contrahere matrimonium, contrahent ſaltem ſponſalia.

23. Quantum ad ſecundum quæſtio ſit per reſpectum ad illa loca, in quibus vigent leges Concilii Tridentini, juxta quas matrimonium clàm contractum, ideſt ſine præſentia Parochi & teſtium nullum eſt.

Pater Sanchez totus eſt probaturus lib. 1. de ſponſal. diſp. 20. num. 3., hujuſmodi matrimonium ſponſalium rationem nequaquam includere; Omnia autem ejuſdem momenta petuntur à laudato Concilio, atque omnia refellam per meas probationes, quibus declarabo, etiam matrimonium clandeſtinum pro ſponſalibus habendum eſſe, niſi obſtent alia, qualia forent, ſi eſſet expreſſa contraria intentio, & ſi aliunde eſſent impedimenta dirimentia, quę etiam ſponſalia reddunt invalida: Hanc autem ſententiam defendunt Veracruz append. ad ſpeculum dub. 9. concl. 2. Enriquez lib.11. de Matrim. cap.5. n.4. Corduba in ſumm. quæſt. 52. Coninch. diſp.21. dub.4. num.47., atque ipſe Sanchez eam probabilem putat; mihi verò probabilior apparet, ſiſtendo momentis, quæ à contrariis Doctoribus afferuntur.

24. Hoc ſic oſtendo. Matrimonium impuberum, ſeù defectu ætatis contractum,

ctum; quamvis in ratione matrimonii sit invalidum, attamen in ratione sponsalium ratum est, ut tenent adversantes Doctores; ergo etiam matrimonium clandestinum: illationem hanc multis declaro. 1. quia pro ea militant ea omnia, quæ superiùs retulimus, ut quisque perpendet, si velit. 2. quia Concilium Tridentinum contractum hunc non alio modo irritum facit, nisi prout habet vim matrimonii, non autem sponsalium; aliter in ea linea constituisset sponsalia, in qua constituit matrimonia impuberum, ut manifestum est; quod tamen est falsum. 3. quia ideo irritum declaratum fuit matrimonium clandestinum, quia Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illud semper detestata fuit, & propter hominum inobedientiam prohibitiones præteritæ non proderant, proindè gravia peccata committebantur; at rationes istæ non militant prout contractus iste sortitur & retinet vim sponsalium; ergo sub hac ratione nulla est Tridentini prohibitio: Unde idem Concilium hisce verbis loquitur: *Eos Sancta Synodus ad sic*, nempe clandestinè, *contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit*. Porrò personæ non redduntur inhabiles ad clandestinè contrahenda sponsalia; ergo neque ille contractus redditur irritus & nullus, prout refertur ad sponsalia.

25. Hoc denique confirmo occurrendo præcipuæ rationi partis contrariæ. Matrimonium clandestinum in ratione sponsalium vel redditur irritum, quia contrahentes sunt inhabiles, vel quia deficit forma, vel quia jus ei resistit, neutrum ex his dici potest; ergo: Non primum, quia tales personæ non sunt inhabiles ad contrahenda sponsalia; non secundum, quia ad formam sponsalium nullo modo requiritur præsentia Parochi, & testium; non tertium, quia clandestinis sponsalibus nullum jus obstat: & ex praxi constat, hæc tanquam valida admitti; ergo.

26. Dixi superiùs, sententiam hanc mihi probabiliorem apparere, sistendo momentis, quæ à contrariis Doctoribus afferuntur; etenim mihi argumentum unum occurrit, quod judicio meo invictum videtur, & ita à me proponitur. Si fierent sponsalia cum promissione contrahendi Matrimonium clandestinum, illa sponsalia essent non solum illicita, sed etiam invalida; nam quibus absolutè prohibentur nuptiæ, iis etiam prohibentur sponsalia, l. *Oratio* ff. de sponsalibus, & l. *Si quis tutor* 60. v. *Quamvis*, de ritu nuptiarum; ergo matrimonium clandestinum subsistere non potest in ratione sponsalium: illatio efficax est; nam si sola promissio matrimonii clandestini invalida reddit sponsalia, potiori ratione ipsum matrimonium clandestinum; Propter hanc rationem adhæreo illorum opinioni, contra quos probavi num. 24. & 25.

27. Neque est eadem ratio de matrimonio impuberum, quod licet invalidum, attamen in ratione sponsalium tenet; siquidem, ut benè advertit Sanchez, matrimonium impuberum claudicat tantùm ex parte causæ efficientis, nec jus ei resistit, imò favet volens obligare, sicut declaratum est num. 22., clandestinum autem inter puberes claudicat, ut ajunt, ex parte formæ, cum deficiat solemnitas essentialiter requisita, & jus illi resistit, cum Tridentinum reddat contrahentes inhabiles, proinde &c.

28. Sicut autem dixi, Matrimonium impuberum vim sponsalium retinere, nisi esset expressa intentio contraria; ita nunc dico, quod si contrahentes Matrimonium clandestinum, haberent animum se obligandi eo modo, quo possunt, reverà fierent sponsalia; quia per hæc poterant se obligare; & sic manebunt obligati; eo pacto quo Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 15. irritam ac nullam facit professionem mino-

norum ſexdecim annis, & tamen ſi dum minor profeſſus eſt, intendit ſe obligare eo modo, quo potuit, tenebitur vinculo ſimplicis voti, quo potuit obſtringi.

29. Aliqua difficultas oriri poteſt, ſi matrimonium illud clandeſtinum eſſet juramento firmatum; Videtur in hoc caſu fieri ſponſalia, etenim juramento ea vis ineſt, ut valorem tribuat actibus aliàs invalidis, eo modo quo valere potuerunt, ut probat Gutier. de juram. 2. par. cap. 2., & pro hac parte Enriquez lib. 11. de Matrimonio cap. 5. affert declarationem Cardinalium.

Reſpondent aliqui abſolutè: Juramentum nihil efficere, quia jus tali contractui reſiſtit, eſtque contra bonos mores; proinde juramentum omni caret obligatione, ex Regula *non eſt obligatorium*, de reg. juris in 6.

Alii dicunt, ut Petrus Ledeſma conc. 2., Emanuel, & Vega, quod ſi clandeſtinè contrahens copulam habuerit, licet non teneretur ad eam ducendam virtute contractus, teneretur tamen ratione juſtitiæ, & damni illati injuſta illa deceptione, præſertim ſi fœmina erat Virgo.

Exiſtimant Pater Sanchez lib. 1. de Sponſal. diſp. 20. num. 5., & Navar. lib. 4. tit. de ſponſ. conſ. 1. num. 4. ad nihil teneri, etiamſi Virginem defloravit: Verba Navarri ſunt iſta: *Is, qui matrimonium contraxit abſque Parrocho & teſtibus cum Virgine, & eam defloravit; ad eum modum ſatisfacere tenetur, vel non tenetur, quo modo ſatisfacere tenetur, qui defloravit Virginem volentem & non deceptam*: infero: atqui deflorans Virginem volentem & non deceptam, ad nihil tenetur; ergo. Ratio autem eſt, quia nec tenetur ratione contractus, qui nullus eſt, nec ratione injuriæ illatæ, quia ipſa novit, vel noſcere potuit & debuit, matrimonium eſſe nullum, & dignum graviſſima pœna; ideo &c.

30. Hoc magis confirmari poteſt ex doctrina Soti in 4. diſt. 29. q. 2. art. 1. Enriq. lib. 12. de Matrim. c. 10. Capuæ lib. 2. Deciſion. c. 80., ubi docent; Quod ſi quis juramento promitteret conſanguineæ matrimonium, accedente diſpenſatione Pontificis, eamque defloraret, adhuc non teneretur ad eam ducendam, quamvis Papa diſpenſaret, quia contractus eſt jure reprobatus: ergo cum matrimonium clandeſtinum ſit jure reprobatum, & redditum prorsùs nullum, dicendum eſt, quod juramentum nihil efficeret.

31. Utrum horum doctrina acceptanda ſit, ego definire non audeo; mihi magis placet diſtinguere. Vel juramentum illud reſpexit præcisè ipſum contractum, ut eſt præſens traditio corporum, v. g. ſi contrahentes dicant, *Juro, me te accipere in meam*. Vel juramentum tale eſt, ut contrahentes jurent, ſe illum contractum perpetuo habituros ratum, & ſe perpetuo futuros conjuges; Si primum dicatur, verum eſt, juramentum ad nihil obligare, & valet prior doctrina: Si verò ſecundum; debent poſtea contrahere, ut decet, niſi ſibi mutuo obligationem remittant, aut una pars cedat juri ſuo, prout etiam dixi num. 2.

32. Quod verò attinet ad illum, qui clandeſtinè contrahens, Virginem defloravit, non tam facilè aſſentior doctrinæ Sanchii, & Navarri; Hæc vera eſt, ſi puella illa noverit, matrimonium illud invalidum eſſe, & nihilominùs ſe deflorari permiſit ſ[illegible] rationem adductam, ſed ſi inv[illegible]biliter putaſſet, illud validum eſſe; utique in foro externo id fortaſſe probari non poſſet; attamen in foro conſcientiæ nihil referret, & ſic admitto doctrinam Ledeſmæ, & aliorum, quos ſuperiùs produxi.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Sponſalium obligatione, ſeù effectu.

ARTICULUS I.

Quomodo ſponſalia obligent.

33. IN hac prima hujuſce Quæſtionis difficultate plura tanquàm certa exiſtimanda ſunt. Certum eſt, per ſponſalia oriri obligationem ad matrimonium contrahendum, quod patet ex prima ſponſalium conditione, de qua num. 2. Utrum verò hæc obligatio ſit peccatum lethale inducens, videtur negativè concludendum per l. 1. C. de ſponſalibus, ubi legitur; *Alii deſponſata, renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibetur* quod & docet Gratian. ſub dubio 27. qu. 2. §. *Sed aliud*, ponitque tanquam probabile Abbas Panormitanus c. *requiſivit* de ſponſal. n.6.

34. Sed hoc penitùs rejiciendum eſt, ſive authoritatem ſpectemus, ſive rationem; Pro illa ſunt S. Thom. in 4. diſ.27. qu.2. art.1. ad 2., Sot., Corduba, Enriq., Ledeſma, aliique ex Theologis; Felin. de pactis declarat.6., Turrecremata c. *ubi non eſt*, 30. qu.2.art.6. Angelus ver. ſponſalia num. 21., Sylveſter, Tabiena, aliique ex juris peritis; & præſertim c. *De deſponſatis* c. *De conjugali* 27. qu. 2. Ratio autem eſt, quia ſponſalia ad contractum pertinent, & quidem in re gravi, cum maxima alteri inferatur injuria, ſi minimè impleantur; omnis autem hujuſmodi contractus obligat ex juſtitia, & ſub lethali; ergo. Lex illa in contrarium producta te non moveat, fuit enim correcta per canones.

35. Certum eſt ſecundo, quod ſi certa dies matrimonio contrahendo ſit præfixa, hac omnino contrahendum eſt; niſi aliter inter ſe conveniunt: Quid verò ſentiendum ſit, ſi nullus certus terminus ſit ſtatutus, Bartholom. à Ledeſma de Matrim. dubio 13. aliique putant, promittentem habita commoda opportunitate ſtatim teneri ad implendum: Sicut enim votum emittens nullo præfixo termino, tenetur ſtatim ac potuerit commodè implere, præſertim ſi votum ſit religionis, ut communiſſimè tenent Doctores; ita promittens contrahere matrimonium nulla die ſtatuta, debet ſtatim contrahere; nam ſi in primo caſu defraudaretur Deus eo tempore, quo votum differtur; in ſecundo defraudaretur ſponſa, vel ſponſus. Hoc magis probant duæ leges, ideſt l. *in omnibus obligationibus* ff. de regulis juris, ubi dicitur. *In omnibus obligationibus, ubi dies non ponitur, præſenti die debetur*; & l. *Eum, qui* §. *Quoties* ff. de verbo *Obligatio*, ubi ſic, *Quod ſine termino præfixo debetur, ſtatim debetur*.

36. Vera tamen ſententia eſt, promiſſorem ſtatim non teneri, ſed tantùm requirente eo, cui promiſſio facta eſt; hoc verò requirente, debere contrahere, ſi commodè poſſit: Quod enim commune eſt in omni debito abſque diei præfixione, etiam ad debitum contrahendi matrimonium debet extendi, in omni autem debito tunc debitor ad ſolvendum tenetur, quando à Creditore fuerit requiſitus, l. *Debitores præſentes* C. de pignoribus; Obſervandum eſt autem id non valere, ſi Creditor petere non audeat etiam ex timore reverentiali, tunc enim debitor conſtituitur in mora, quod etiam tenet, ſi non petat ex oblivione: Ratio ſententiæ noſtræ eſt, quia ſi Creditor debitum novit, & po-

potens commodè petere, non petit, videtur consentire dilationi: Res igitur ita se habet in sponsalibus absque certo termino contractis, quod si conscius alter, cui promissio facta est, promissionis sit memor, & potens commodè petere, non petet, tutus in conscientia est promissor, si differt implere; è contra si è contra: Advertendum est autem, quod plerumque in fœminis vel ob verecundiam, vel ob timorem illa dilatio est involuntaria, proinde sponsi differendo tuti non sunt.

37. Ex posita doctrina explicandæ sunt illæ leges; nempe veras esse, quando Creditor debitum petit, vel si non petit, id ex timore contingat: Illa autem voti paritas non concludit, quia in voto Creditor est Deus, qui semper petit, & si statim non reddatur, ipsi fit injuria; *vovete enim, & reddite Domino Deo vestro*. Contrarium evenit in re nostra, quia alter supponitur liberè non petere, & ideo dum dilationi consentit, nulla ipsi irrogatur injuria.

38. Certum est tertiò, obligari per sponsalia ad ea omnia vitanda, quæ si fierent ab uxoratis matrimonii fidem violarent, (excipe tamen ingressum Religionis, & alia, quæ jure conceduntur) quemadmodum enim in matrimonio traduntur corpora; ita per sponsalia promittuntur, & in ea traditur jus remotum, contra quod peccarent sponsi, si cum alio quopiam fornicationem haberent.

39. Hic autem consurgit dubium, utrum sponsi, cum alio fornicationem committentes, peccent peccato mortali à fornicatione distincto. Paludanus in 4. dis.27. qu.1. art. 3. ait, peccatum hoc esse adulterium ex l. *si Uxor* 13. §.3. ad l. *Juliam* de adulter. ubi dicitur, *etiam in sponsa hoc idem vindicandum, quia nec matrimonium qualecumque, nec spem matrimonii violari permittitur*. Falsum tamen docet, quia juxta S. Th. 2. 2. q.154. art. 8. in corp., aliosque omnes Doctores, adulterium est alieni thori violatio, hujusmodi autem nequit esse fornicatio sponsi vel sponsæ; & l. *Inter 6*. §.1. ad l. *Juliam* de adult. habetur: *Propriè adulterium in nuptam committitur*. Sponsa autem nupta non est; & quantum ad illam legem à Paludano adductam, satis ibi distinguitur violatio matrimonii à violatione sponsalium, quamvis dicatur, utrumque crimen puniendum.

40. Hoc igitur relinquendo, dico fornicationem tam sponsi, quam sponsæ cum alia persona continere distinctum peccatum mortale in ratione injuriæ.

Id primò ostenditur de sponso: Si sponsus cum alia fornicetur, gravem injuriam infert sponsæ; primò quia est sufficiens causa solvendi sponsalia; secundò quia exurgit periculum, ne nascatur proles, quæ postea communibus sumptibus ali debeat, ac educari; tertiò quia sponsa facile timere potest, quod si sponsus in primi amoris ardore alienis amoribus captus est, id magis eventurum sit post matrimonium consummatum; Hæc autem omnia ipsi durissima esse, quisquis perpendit, proinde fornicatio ejusdem erit distinctum peccatum in ratione injuriæ.

41. Hoc magis valet de sponsa; siquidem se ita vilem reddit, ut nullus honestus vir illam duceret; atque exponens se concipiendi periculo, ita se gerit, ut fortasse sponsus alere debeat, prolem non suam, eamque hæredem constituere; Quare in l. *si Uxor*, citata num.39. hæc fornicatio tanquam adulterium punitur.

Dices, qui religionis vovit ingressum, ante fornicando non committit peccatum mortale distinctum à simplici fornicatione; ergo id etiam dicendum de sponsis.

Verùm est manifesta disparitas, quia in primo casu nec votum violat, nec ullam facit injuriam Religioni, nisi fortasse se redderet minùs aptum ad religionis ingressum; è contrario in re nostra, ut probatum est.

A R-

ARTICULUS II.

An qui citra legitimam causam resilire velit à sponsalibus cogi possit per Judicem ad illa implenda.

42. UT vides, sermo non est de eo, qui ex justa causa sponsalia implere recusat, de hoc alibi pertractabimus: rursùs nulla controversia de foro interno excitatur, cum ex dictis non sine peccato lethali hoc contingere possit, & juxta hæc ait S. Th. in 4. dis. 27. art. 1. qu. 2. *Ex tali promissione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat, & secundum hoc etiam Ecclesia cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato*. Imò quandiu promissum matrimonium contrahere renuit, non potest à peccatis absolvi, nec ad alia sacramenta admitti; quia tandiu in lethali peccato detinetur, ac perseverat.

43. Quæritur ergò, utrum per Judicis sententiam compelli possit ad eadem sponsalia servanda, & implenda; & primò sermo fiet de Judice Ecclesiastico; dubitandi locum faciunt duo textus, qui sibi opponi videntur: In c. *Ex litteris* 10. hęc habentur. *Quia igitur periculosum est contra suum juramentum venire, fraternitati tuæ mandamus, ut moneas, & si monitus non acquieverit, censuris compellas, ut ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat*. In c. vero, *Requisivit* de sponsalibus, legitur. *Cum libera esse debeant matrimonia, monenda est potius mulier, quæ renuit, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus habere*. Primus textus est Alexandri III. Secundus est Lucii III.

44. Ex istis inquam textibus, qui videntur contrarii, varias sententias doctores protulerunt. Aliqui dixerunt, coactionem tantùm adhibendam esse, quando sponsalia juramento confirmata sunt, & sic primum textum interpretantur; in hac opinione habes ex juris peritis in gloss. 1. *De illis* de sponsalib. impub. Præposit. num. 5. Conradum Lagum in method. juris tit. de nuptiis, Tabien. ver. sponsalia qu. 8. in fine &c. ex Theologis Sot. in 4. dis. 27. quæst. 2. art. 3., Barthol. à Ledesma de matrim. dub. 8., Viguer. lib. instit. cap. 16. §. 7. &c. Aliqui dixerunt, nullam esse adhibendam coactionem, sed tantummodò admonitionem; ita ut si huic non acquieverit pars, hæc sit relinquenda, & pro hoc placito afferunt secundum textum, pro quo stare videntur S. Th. loco supęriùs adducto, Angel. ver. sponsalia, num. 42., Armilla, Germontius &c. atque hoc dicunt, etiamsi sponsalia sint juramento firmata.

45. Tertiam sententiam cum juris peritis in glos. cap. 2. de Sponsalibus ver. *interpositione*, Alex. de Nevo num. 13., Felino num. 14., Rosel. ver. sponsal. num. 3. Brunello de sponsal. concl. 16. num. 10., Menoch. consult. 386. n. 1. &c. cum Theologis S. Bonavent. in 4. dis. 29. quæst. 3. S. Antonino 3. par. tit. 1. cap. 13., Petro de Soto lect. 18. de matrimon. §. *Quo ad primum &c.* tertiam inquam sententiam statuo, in qua.

Dico; Resilientem sine justa causa à sponsalibus priùs monendum esse, inde, si renuat, cogendum esse per censuras; Si vero nec censuræ prosunt, dimittendum esse. Hoc pacto textus contrarios conciliare judico.

Probatur prima pars ex priori textu, cap. *Ex literis* in quo prius præscribitur admonitio; deinde coactio per censuras: Ratio autem est, quia judicis officium exigit, ut quotiescumque subditus jus suum petit, hoc illi non negetur, sed unicuique quod suum est tribuatur, ita ut nulla illi injuria, vel damnum contingat; Qui autem sponsalia absque justa causa implere recusat alteri parti injuriam infert, & damnum; proinde si hæc petat, debet Judex monere, & si admonitio non sufficit, debet

bet eogere per censuras, quæ sunt validiores Judicum Ecclesiasticorum sententiæ: & si opus fuerit, etiam per pœnam carceris, ut ait Enriquez. Quod si hoc servatur in rebus minoris momenti, ut habetur c. *De pactis*, quantò magis in re tam gravi? Hoc addo, ad innuendum, id fieri posse, sive in sponsalibus contrahendis fuerit juramentum, sive simplex promissio: in utroque enim casu injustitia fit, & injuria; igitur in utroque casu potest Ecclesia compellere: Verum tamen est, quod si fuerit juramentum, aut puella sub matrimonii specie fuerit deflorata, major coactio poterit adhiberi.

46. Aliam assertionis partem suadeo ex alio textu, *Cum libera &c.* non non quia coactio, de qua superiùs dictum est, opponatur libertati, quæ ad contrahendum sufficiat, sed propter alia momenta: siquidem ex hujusmodi coactionibus plura incommoda, nec non scandala possent proficisci; Nunquid non posset coactus tantùm fictè contrahere? nunquid non perpetuæ rixæ inter sic contrahentes, & alia hujusmodi; Magis igitur expedit, ut qui per censuras, aliasque pœnas induci noluit, ut promissa servaret, dimittatur: Id namque à Judice agendum est, quod magis matrimonii convenit fini, cum à fine mediorum electio sit desumenda; non convenit autem matrimonii fini, ut, qui nolit, ad matrimonium compellatur, imò matrimonii finis destrueretur; neque à coactione desistendo à Judice actori fieret injuria, imò ipsi multùm Judex faveret, quia graviora damna ab ipso propelleret, quod quidem præsertim ab Ecclesia servari debet, quæ, ut majora evitet damna, minora potest permittere, consultòque permittit: atque hæc est ratio, quæ in secundo textu affertur, nempe, *cum coactiones difficiles soleant exitus habere*.

47. Observandum tamen est, quod, ut Judex à coactione desistat, scandala & incommoda secutura debent ipsi juridicè constare, aut saltem attentis circumstantiis debet ipse tanquam infallibiliter eventura censere. Sic igitur habes, & quomodo monendus sit qui à sponsalibus injustè recedit potius quàm cogendus, ut dicit secundus textus, & quomodo etiam censura compellendus, ut primus contendit; & semper est rationabilis causa, ne strictè & omninò compellatur, nempe rixarum scandalorumque evitatio.

48. Hucusque actum est de Judice Ecclesiastico, aliquid dicendum superest de Judice Sæculari; Huic nullam actionem competere posse adversus resilientem existimat S. Th. loco citato num.42., quod etiam statutum esse à Senatu Parisiensi ann. 1645., dummodò tamen damnum, si quod fuerit compensetur, asserit Tournely. Arbitror tamen, quod examinare utrum sponsalia fuerint valida necne, & utrum justa, necne, fuerit causa resiliendi, ad civilem forum nullo pacto pertinere; Si tamen compertum fuerit, valida fuisse, & injustè sponsum vel sponsam resilire, etiam Judex Sæcularis competens erit ad coactionem, cum habeat jus ad cogendum, ut in omnibus contractibus fides servetur. Ita Ab. c. *Ex literis* de sponsalibus num. 4., Rosel. ver. *Sponsalia* num. 3., Brunel. de sponsal. conclus.16. num.16. &c.

ARTICULUS III.

Utrum Sponsalium contractui validè apponantur pœnæ persolvendæ ab injustè resiliente.

49. OBserva pœnam duplicem esse; Una consistit in aliquo lucro non acquirendo, ex. ca. si quis donet, vel leget centum Annæ, si Pasquali nubet, & Anna ipsi non vult nubere, jam tunc Anna non acquirit illa centum; Hujusmodi pœna impropria est, quia nolens nubere nihil lucratur, sed nihil deperdit; Alia consistit in propriis bonis

nis minuendis, cum. ex. c. duo contrahunt inter se sponsalia, & statuunt certam pœnam pecuniariam ab eo solvendam, qui resiliet, ac de ista quæritur utrum validè possit apponi.

50. Communis Doctorum fert sententia, pœnam hanc omninò esse irritam & invalidam, atque ideo resilientem in nullo foro teneri ad illam solvendam; Hoc inquiunt expresiè definitum est c. *Gemma* de sponsal., & l. *Titia* 134. ff. de verborum obligatione, & l. *finali* de sponsal., & l. *Mulier* 5. C. de sponsal., & ratio est, quia matrimonia debent esse libera, proinde ita debet esse consultum, ut timore pœnæ solvendæ non ineantur.

51. Procul dubio ita sentiendum est, si de eo, qui justa ex causâ à sponsalibus recedit, sermo est; & hoc saltem probant jura superiùs laudata; Si tamen justè resiliens statutam pecuniam alteri solveret, posset alter hanc pecuniam retinere; & ratio est, quia jura liberant quidem resilientem ab obligatione solvendi, attamen alium non faciunt incapacem recipiendi & retinendi: Colligitur hoc ex l. *Generaliter* 36. ff. de verb. obligat., ubi legitur, stipulationes turpes nullius esse momenti, & tamen probabilior sententia docet, in hoc sensu censendas esse nullius momenti, ut stipulans ad solvendum non teneatur, non tamen si solverit, recipiens teneatur ad restituendum: & certè hoc novum non est, siquidem qui perdit ludo vetito non tenetur ad solvendum, & tamen si solvat, qui accipit non tenetur ad restituendum, ut docent Bannez 2.2.q.32. art.7. Salon. 2.2. qu. de dominio art.6. Molina tom.2. de justitia trac.2. disp.515. &c. Legatarius etiam in minùs solemni testamento relictus non tenetur ad legatum receptum restituendum, quamvis hæres non tenetur ad illud solvendam, quæ est doctrina Soti lib.4. de justit. q.5. art.3. & aliorum; Ità igitur etiam in re nostra non tenebitur quidem justè resiliens ad solvendam statutam pœnam, nec alter poterit eam per Judicem repetere; si tamen ille solvet, poterit iste retinere: hac tamen lege, ut si qui solvit errore suo detecto restitutionem exigat, alter ad restitutionem teneatur, quod valet etiam in aliis casibus superiùs adductis; Hinc falsum est, talem non intendere transferre dominium illius pecuniæ, nisi in quantum erat ei debita, etenim iste non solvit, sub conditione, si debeat, sed tantùm ut pacta servet, & si errat, putando ad hoc se teneri, sibi vertet, alter enim non tenetur ad docenda jura, & ex alia parte jura non irritant omnia ex errore facta; ut dictum est.

52. Sed cum jam dictum sit, justè resilientem ad nullam pœnam solvendam teneri, superest, ut rem definiamus de eo, qui ex injusta causa resilire contendit, & reverà id perficit. Fateor, spectatis juribus num. 50. adductis, & veneratione servata in tot egregios Doctores, quorum copiam affert P. Sanchez lib.1. disp.30., etiam injustè resilientem ad nihil teneri, omnemque pœnam statutam invalidam esse; Hoc ita sit; Liceat tamen etiam meam mentem proferre, atque omninò oppositum litteris demandare.

53. Atque primo loco Glos. Gothofredi l. *Titia* num. 22. v. *Quia inhonestum* docet omninò, quod à me dicitur; & arbitratu meo satis consultò; Examinentur omnia illa jura in oppositum adducta num. 50., hæc disertè loquuntur de iis, qui justa ex causa resiliunt, pœnamque iis impositam irritam faciunt omninò, c. enim *Gemma* sermonem habet de casu particulari, nempe de pœna apposita sponsalibus impuberum, quos post pubertatem licitè resilire posse, dubitat nemo; loquendo verò de juribus aliis, ratio in iis adducta injustè resilientibus nequaquàm favet; Tota est, quia matrimonia libera esse debent, at rogo, ubi quis injustè sponsalia contracta recusat, minui ne po-

potest per pœnam impositam libertas? mihi videtur negandum esse suppositum, quia qui injustè resilit, non habet resiliendi libertatem, nisi dicamus libertatem esse ad res illicitas; quod tamen nullum jus dicit; omne enim quod illicitum est, à juribus impossibile nuncupatur; & si recurris ad libertatem physicam, hæc remanet, etiamsi pœna imposita in sui valore subsistat.

54. Hòc ampliùs confirmo: Injustè resilienti major pœna à juribus imponitur, quam imponi possit à contrahentibus, nec tamen illa impedit, matrimonia libera esse; cur igitur impediet ista? antec. ostenditur, etenim à juribus imponitur pœna damnationis æternæ; privatio omnium sacramentorum; imò etiam excommunicationis; quis autem ambigat, nisi vir perditus sit, pœnas istas majores esse? Fortasse dices, magis timeri pœnam pecuniariam, quam pœnam à juribus indictam: perperàm reponis; si magis illam quis timeret, imprudenter ageret; jura autem respiciunt id, quod prudenter timeri potest, non quod imprudenter; & quisque præsumi debet magis timere culpam, quam temporariam, præsertim pecuniariam pœnam. Magis etiam hoc ostendam, ubi de arrhis sermo continget: Hoc unum addam; in re nostra in oppositum esse jus naturæ; pœna enim apposita est ad id servandum quod ex se honestum est, & quod ex justitia debitum est: Hoc autem à naturali jure postulari nullus ibit inficias, nisi naturæ jus neget.

55. Adderem tamen libenter cum Alciato l. *Titia*, in principio num. 6., quod attenta lege Evangelica, in qua divortia sine justa causa illicita sunt, pœna injustè divertenti, tanquam juri conformis, validè imposita est; igitur imposita est etiam à sponsalibus injustè resilienti; hoc enim non minùs, quàm illud illicitum est; quod quidem jam olim Cæsareo jure introductum fuit, cum in novella 18. Leonis Imperatoris hæc legantur. *Idcircò quod consuetudini placuit, ut in sponsalitiorum reprobationibus pœna immineret iis, qui reprobare instituerent, id in legis auctoritatem collocamus*; cui novellæ, cum suffragetur etiam ratio, locus dandus esse videtur etiamsi plurium Juristarum auctoritas contraria sit, ut habetur l. 1. §. *Sed neque* C. de vetere jure enucleando. Hæc ita à me dicta sunt, ut quod sentio dicerem, non tamen ut alios, si ipsis non placet, in meam opinionem deducerem: Vellem tamen ab aliis contrarium opinantibus rem maturiùs ponderari.

Ex istis facilè plura alia resolves, quæ fermè consectaria sunt, & minùs urgent, quam sit pœna inter ipsos contrahentes statuta.

ARTICULUS IV.

Utrum sponsalium contractui apponi possint arrhæ, ut sponsalia confirmentur, & qua ratione &c.

56. SI priorem hujusce tituli partem inspiciamus, nihil nobis difficultatis occurrit; etenim arrhas sponsalium contractui apponi posse communis est sensus Doctorum; & quamvis nulla lex esset hoc permittens, & approbans, sufficiens argumentum experientia suppeditaret: Sunt autem leges permittentes & approbantes, l. *finali* C. de sponsal. l. *arrhis*: nec ullum jus canonicum in oppositum potest afferri.

57. Observandum est autem arrhas istas trifariam accipi posse; 1. pro donatione, quam in dotis præmium uxori vir facit; 2. pro donatione propter nuptias; 3. pro pignore, quod inter sponsos exhibetur in expressum signum matrimonium perficiendi; quod etiam in aliis contractibus evenire solet, cum & in istis interdum pignus tradatur, ad hoc ut contractus complendus significetur: dixi *expressum*, nam si absolutè

tra-

tradantur absolutè donatio & liberalitas, seù largitas arrhæ dicendæ forent: Debent autem non tantùm promitti, sed tradi, ut ait Bartholus, & habetur ex l. *Mulier* C. de sponsal. & l. *Arrhis* 3.

58. Observandum præterea est, in dicta l. *Mulier* plura de arrhis constitui: Primum est, ut qui arrham recepit, si à sponsalibus injusta causa resiliat, duplum restituat, videlicet ipsam arrham, & ejus valorem, licet nullus alius contractus intercedat: Secundum est; ut ipsi contrahentes possint inter se hoc pactum inire, ut qui injustè resilierit, reddat arrham, & præterea duplum vel triplum, non autem ampliùs: Tertium, ut hæc pacta inire non possit, nisi aut ætatis suæ annum vigesimum quintum expleverit, aut ætatis dispensationem obtinuerit: Quartum; ut qui justè resilierit, nec arrham perdat, si eam dederit, nec ad quipiam solvendum præter ejus restitutionem teneatur, si eam acceperit: & denique, ut pro sponsis possint etiam eorum parentes sub dictis conditionibus arrhas exhibere, aut recipere.

60. Hisce expositis nonnullæ difficultates excitantur. Et prima sit; Utrum arrhæ possint validè tradi in quacumque quantitate. Plures negant, ut Joan. Andr. c. *Gemma* de sponsal. num. 9., Cynus l. *Titia* ff. de verbor. obligat. Rosel. verb. sponf. num. 7. & ratio horum est, quia si arrhæ in quavis quantitate validè traderentur, ne fieret earum jactura, impediri posset matrimonii libertas. Plures affirmant, sed sub hac conditione, ut dotis, vel donationis propter nuptias quantitatem non excedant, ita Bart. l. *Titia* loco laudato num. 5. Alciat. num. 13., Brunel. de sponsal. concl. 16. num. 2.

61. Verius tamen docent alii validè apponi arrhas in quavis quantitate; quia ubi per leges non statuitur limitatio, à nemine est statuenda; leges autem permittentes arrhas, & de harum conditionibus loquentes nullam stabiliunt limitationem, & quamvis jura respiciant eam, quæ frequentiùs accidunt, ut in l. *Nam ad ea* ff. de legibus, & arrhas modicas tradi frequentiùs contingat; non tamen, si aliquo casu particulari tradantur, nova lex eas limitans constituenda est, quia lex cessante lege in particulari minimè cessat. Ita opinantur Bald. l. *finali* num. 8. C. de sponsal., Hostiens. in sum. tit. de sponsal. §. 1. num. 2.; Covar. 4. decret. p. 2. cap. 3., Tabien. verb. sponsalia quæst. 8. num. 9. &c. Quo pacto autem adhuc non lædatur matrimonii libertas collige à fortiori ex dictis num. 53. & sequentibus.

62. Secunda dubitatio sit: an arrhę assignandæ sint in quantitate numerata, vel constitui possint in specie, ut in aliquo fundo. Videtur hoc secundum esse negandum. Primò quia in l. *finali* C. de sponsal., ubi permittuntur arrhæ, sermo est de istis in quantitate numerata, aliæque pœnæ nullæ dicuntur: Secundo quia, ut dictum est, exigitur, ut arrhæ tradantur, & ut duplicari possint, cum alius ad duplum teneatur; hoc autem arrhis in specie appositis nequaquàm convenire potest, l. *Lutius* §. Impuberum, ff. de legat. 2.

63. Contrarium tamen magis placet, siquidem leges, in quibus arrhæ permittuntur, indistinctè permittunt, & disertis verbis l. 84. tit. 18. approbantur illæ, quæ sunt in specie constitutæ; & si potest fundus vendi, ut ex comparato pretio dentur arrhæ, quare non poterit tradi ipse fundus? Nihil etiam prohibet posse duplicari, si rejectis injustè sponsalibus reddatur fundus, & tantùm, quanti æstimabitur; Per quod patet, quid superioribus momentis dicendum sit. Hoc tamen ita intelligendum est, ut sermo sit de contrahentibus, qui facultatem habeant alienandi; cum nemo possit se obligare ad aliquid alienandum, quod alienare non potest.

64. Tertiò inquiritur, & est potior diffi-

difficultas: Utrum qui fidem sponsalium sua culpa violat, teneatur in foro conscientiæ ad restituendas arrhas receptas, & simul solvendam pœnam dupli legalem, vel tripli conventionalem ante ullam Judicis sententiam.

Faciendam esse absque ulla Judicis sententia restitutionem arrharum, quas quis recepit, in dubium revocari non potest; eo quia nullum eas retinendi jus illi suffragatur; non teneri verò ante Judicis sententiam ad solvendum duplum illud, quod à lege impositum est, probabilius censeo; cum sit pœna legalis, ad cujus naturam pertinet Judicis sententiam expectare. Superest igitur resolvamus de pœna statuta ex mutuo pacto inter sponsos.

65. Triplex est Doctorum sententia. Prima docet illam pœnam absolutè in foro conscientiæ nulla Judicis decisione expectata, nulla etiam accedente partis petitione esse persolvendam: Hanc tenent Felin. c. 1. de constitution. num. 46. Ancharan. reg. Possessor. de regulis juris in 6. num. 21., Palud. in 4. dist. 27. qu. 1. art. 2., Navar. lib. 3. de restit. cap. 2. dub. 10. num. 274.

Docet secunda omninò oppositum, ita ut pœna illa solvenda non sit, quamvis pars petat, nisi per Judicis decretum id statuatur: Hanc tenent Adrian. quodlib. 6. art. 1. coll. 3., Ledes. par. 4. qu. 18. art. 3. Pallacios lib. 4. de contract. c. 5. coll. 275., Navar. in sum. cap. 23., Sanchez disp. 37. num. 4.

Docet tertia, quæ media est inter laudatas, non expectandam quidem esse Judicis sententiam, sed sufficere partis petitionem, ita ut hac existente injustè resiliens in foro conscientię ad pœnam illam persolvendam teneatur: atque hanc tradunt Rebuf. in repetit. l. unicæ C. de sentent. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 3. casu 270. Padilla, l. *si quis major* num. 59. C. de transact. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 8. n. 11. Silvest. ver. Pœna num. 14. Lessius &c.

66. Omnes isti magni quidem nominis Doctores omnes allatas opiniones probabiles asserunt, sed unusquisque, ut moris est, suam præfert, tanquàm probabiliorem. Ego quidem talis non sum, ut definire possim, proinde omnium fundamenta proponam, ut inde qui legit quod æquius est colligat, & in quam partem propendam intelligat.

67. Pro priori hæc dici possunt. Primò: Ubi jus intervenit naturale, nulla est expectanda sententia Judicis, nulla alterius partis petitio, ut quis in conscientiæ foro existimetur obstrictus; sed ubi est contrahentium pactum præsertim in re tam gravi, ut sunt sponsalia, intervenit jus naturale; quia hoc in omnibus pactis justis reperitur, ut in l. 1. ff. de pactis; ergo. 2. Quilibet justus contractus talis est conditionis, ut injustè ab eo recedens statim teneatur ad statutam pœnam solvendam; Ut quid igitur necessaria erit aut Judicis sententia, aut partis petitio?

68. Pro secunda hæc possunt afferri. Primò, quia talis contrahentium videtur intentio, qui ideo pœnas illas statuerunt, ut metu condemnationis per Judicem faciendæ compelli possent ad fidem servandam; Secundo quia cum pœnæ interdum nimis rigidæ sint, oportet, ut earum rigor per Judicem minuatur, ac ad modum revocetur.

69. Denique pro tertia hæc militant. Primò ipsorum contrahentium intentio, quæ fuit, ut pars posset cogi ad servanda promissa, quin ulla Judicis auctoritas interveniret; ut enim per Judicis sententiam cogi posset, illas pœnas apponere opus non erat, cum ipse Judex pœnam illam per se parti, quæ pactis stare nolit, possit infligere. Secundò; Cum sermo est de solvendis pœnis, quæ à lege impositæ sunt, nemo tenetur ad illas nisi post Judicis sententiam, ut dictum est num. 64. & omnes concedunt; ergo cum sermo est de solvendis pœnis, quæ impositæ sunt à conventione, non est expectanda Judicis

cis sententia, sed solum partis petitio: quantum enim in prioribus pœnis virtutis habet Judicis sententia, tantum in posterioribus habet partis petitio.

Ad fundamentum prioris sententiæ dico, id verum esse, si talis sit mens contrahentium, quæ in nostro casu non est, ideo enim pœnas illas contrahentes statuerunt, ut possent cogere, si vellent, partem ad standum promissis, & ideo partis petitio necessaria est; deinde si pars solutionem non petit, censeri potest pœnam relaxare.

Ad fundamentum secundæ, patet, primum falsum esse; Secundum pariter, illæ enim pœnæ rigidæ non sunt, quibus sponte contrahentes se subjecerunt nullo jure in oppositum reclamante, earumque rigorem debuisset moderari aliquod jus prius, nequaquam Judicis sententia posterior.

ARTICULUS V.

Quid sentiendum sit de pœna negativa, idest consistente in non acquirendo.

70. Plura sub hoc titulo nobis resolvenda proponuntur, quæ referri possunt ad pœnam de non acquirendo, quæ vel apponi potest tanquàm conditio ad matrimonium contrahendum, vel ad abstinendum à matrimonio; Potest enim quis testari, vel donum aliquod facere sub hisce conditionibus, dabo centum aurea, si matrimonium contrahes, vel dabo, si vitam cælibem duces. Rursus conditiones istæ respicere possunt diversas personas, idest Virgines, pro quibus intelligo illas, qui nunquam matrimonium contraxerunt, & consummarunt, quamvis alia via corruptæ sint; & ad eos, qui in viduitatis statu sunt constituti. Ut in tanta rerum molle ordo servetur, nonnullas propositiones exponemus.

71. Propositio prima: Pœna, quæ consistit in lucro non acquirendo interposita ab ipsis contrahentibus nulla est, scilicet, si quis dicat, promitto tibi mille, si mecum contraxeris matrimonium: Ratio hujus est, quia hæc conditio turpis censetur, & à juribus dicitur impossibilis, cum præsumatur intuitu libidinis facta hujusmodi promissio; Traditur hoc in l. *si ita stipulatus* §. si tibi nupsero ff. de verb. oblig. ubi leguntur hæc verba: *Si tibi nupsero decem dare spondes: causa cognita denegandam actionem puto, nec raro probabilis causa hujusmodi stipulationis est &c.* atque ita docent Covar. 4. decr. par. 2. c. 3. §. 3., Rosel. ver. Sponsalia, num. 7., Brunel. de Sponsal. concl. 16. num. 5. &c.

Si tamen cessaret turpitudinis præsumptio, illa promissio etiam inter contrahentes valeret, v. g. si vir diceret fœminæ, promitto tibi matrimonium, si mihi dederis mille, tunc enim intelligitur causa dotis, aut etiam, esset ignobilior & senex, diceret, si mihi promittis matrimonium, tibi dabo mille, quia tunc censetur facta promissio non propter libidinem, sed propter fœminæ majoris nobilitatis & juventutis compensationem: & hoc pacto conciliatur textus in c. *De illis*, de conditione apposita, ubi approbatur tanquam conditio valida, & honesta, *contraham tecum si certam quantitatem donaveris*. Ubi adnotandum est, verbum hoc *donaveris*, non usurpari in stricta significatione, & pro largitione gratuita, sed pro aliqua causa; cum sit deducta in pactum, & conditionem contrahendi matrimonium.

72. Propositio secunda. Valida est pœna consistens in lucro non acquirendo, si fiat inter alios à contrahentibus, v. g. si aliquid legetur Annæ, si Mario nubat, atque ideo si huic non nupserit, hujus legati lucrum non comparabit, l. *Titia* §. 1. ff. de conditionibus, & l. 1. C. de institut. & substitut. Poterit igitur testator præcipere fœminæ vel viro, ut alicui personæ nubat sub pœna legati, vel hæreditatis amittendæ, ut dici-

tur in l. *Cum ita legatum sit*; dummodò tamen non apponatur conditio in legitima, quia tunc debita fit, proinde sicut testator nullam gratiam concedit, ita nullam patitur conditionem.

73. Est verò, & alia exceptio. Prima; potest gravari hæres vel legatarius ad nubendum personæ dignæ, aliter conditio rejicienda est, tanquam turpis & impossibilis, ut legitur in l. *Cum ita legatum sit* ff. de condit. & demonst., & ratio est, quia id fieri potest, quod honestè potest, l. *Nepos Proculo* ff. de verb. significatione; Exceptionem istam intellige locum habere in fœmina, quæ vidua non sit; Si enim hujusmodi fuerit, dicta conditio omninò rejicienda non est, sed tunc, quamvis non tenebitur ad illi ignobiliori nubendum, tenebitur tamen ad nulli nubendum, alias legatum, seù hæreditatem amittet; etenim illa conditione duo continentur, unum expresè, nempe, ut illi nubat, & hoc reprobatur; alterum implicitè intelligitur, ut nulli alteri nubat, & ita præscribitur in l. *Cum tale* ff. de condit. & demonst.

74. Si verò legatum, vel hæreditas sit in favorem Virginis; si hæc ex Patris consensu alteri nuberet, ea non amitteret; siquidem illa conditio intelligitur sub alia conditione, idest, si Virgo tali poterit honestè nubere; Virgo autem non potest honestè nubere, si desit Patris consensus. Idem dicendum, si hæreditas daretur sub hac conditione, *si nubat Romæ*; ut manifestè sustinent Baldus l. 1. num. 9. C. de institut. & substitut., nec non Card. Mantica de conject. ultimæ volunt. lib. 11. tit. 18., & hæc omnia valent, non solùm in foro externo, sed etiam interno; quia laudatæ leges non sunt pœnales, nec falsæ præsumptioni innituntur, sed sunt dispositivæ, quæ etiam contra manifestam testatoris voluntatem ob commune Reipublicæ bonum eas conditiones rejiciunt, & hæreditatem vel legatum concedunt, ut docent Sylvest. verbo *hæreditas* Tabiena q. 16. num. 17. Molina to. 1. de justit. tract. 2. disp. 207. Covar. 1. variar. cap. 19. n. 10. Sanch. disp. 33, num. 2. aliique.

75. Hisce omnibus expositis nonnulla dubia excitari possent; Primum est; Utrum, si testator uteretur hac formula, constituo hæredem Annam, si Marius cum ea contraxerit, non stat autem per Annam, sed per Marium, qui cum illa nequaquam contrahere vult; Utrum inquam Anna illam hæreditatem amitteret. Divisi sunt in hujusce dubii resolutione Doctores, ut legitur apud Manticam de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 37., & Menoch. de præsumption. lib. 4. præsumpt. 183. Ego verò censeo perpendendum esse, in cujus favorem testator matrimonium contrahi voluerit; si in favorem Marii, Anna hæreditatem non acquiret, si in favorem Annæ, adhuc acquiret.

Si verò absque neutrius culpa conditio ista deficeret; vel per obitum Annæ institutæ hæredis, si Mario nuberet; vel ipsius Marii, antequam Anna esset in mora; hæreditas perit omninò, ut traditur in l. *Legatum* C. de conditionibus insertis, ubi sic legitur: *Cum mortuo filio priusquam matrimonium cum eo contraheres conditio defecerit, nulla ratione deberi tibi existimas.* Et hoc docent Doctores superiùs laudati; quamvis aliqui dicant, ut Molina tom. 1. de justitia tract. 2. disp. 107., conditionem haberi pro impleta, si altera, cum qua aliquis contrahere debet, moriatur, secùs si ipse, & idem dic de opposito.

76. Secundum est: Si Marius, ut hæreditatem obtineret, deberet cum Anna matrimonium inire, & vellet; Anna autem nollet; deinde mutato consilio, annueret; amitteret ne hæreditatem? Aliqui negant, cum existiment, jam impletam esse conditionem, quia per ipsum non stetit; Aliqui verò affirmant, quia adhuc potest conditionem adimplere: Verùm melius cum aliis distinguamus oportet; Vel Marius

rius alteri nupsit, & jam hæreditatem adivit, vel non: Si primum; hæreditatem non amittit: Si secundum; amittit, propter rationem adductam, quia nempe adhuc conditioni potest parere.

77. Tertium est: Si Marius vi conditionis jussus Annam ducere, aliam priùs ducit; deinde viduus effectus, velit Annam ducere, amittit ne legatum, vel hæreditatem? Sentiendum affirmativè juxta l. *Hæc conditio filiæ meæ*, & l. *Cum ita* §. 1. & sic concludunt Bart. & Bald. Quare rejiciendus est Corneus, afferens similem casum, in quo legatum non perditur; Casus autem est, alicui relinqui legatum, si Monachus fiat, & iste priùs uxorem ducit, inde uxore defuncta Monachus fit; inquit, legatum non amitti; sed hoc falsum judicatur; proinde & illud.

78. Quartum est; Utrum legatum relictum alicui, ut matrimonium contrahat, non amittatur ab eo, si religioni se donet. Conclusio affirmativa est communis; imò Molina tom. 1. de justitia tract. 2. disp. 207. concl. 1. dicit, esse omnium Doctorum tam ex juris peritis, quàm ex Theologis: traditur autem in auth. de Sanctis. Epis. collat. 9. §. *Sed & hoc præsenti* & auth. *Nisi togati* C. ad Senat. consul. Ratio autem est, quia cum testator oppositum non declaraverit, præsumit jus, quod idem dispossuisset, si jussus ad matrimonium, religionem ingredi voluisset; si hoc ipsius menti fuisset repræsentatum, & hoc religionis favore, ut docent Covar. 1. variar. num. 11., Menoch. lib. 4. præsumpt. præsump. 114. num. 14., Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 31. Dixi, cum testator oppositum non declaraverit, quia si hoc factum esset, jam tunc cessaret dicta præsumptio.

79. Usque modo aliqua dicta sunt de pœna consistente in non acquirendo, si matrimonium non contrahatur; nunc aliqua resolventur de lucro non acquirendo, si matrimonium non evitetur. Qua in re

Dico primò. Conditio matrimonium non contrahendi imposita Virgini, nulla & irrita est; ideo Virgo, etiamsi nubat, obtinere debet legatum, seu hæreditatem ipsi relictam sub tali conditione, quæ tanquam impossibilis & turpis à legibus rejicitur, ut l. *Quoties* 22. l. *Cum tale* 71. §. Mæviæ, & l. *Titiæ si non nupserit* ff. de condit. & demonst. ratio hujus resolutionis est, quia multùm interest ad Reipublicæ bonum, quod ex legitimis matrimoniis filii procreentur: Sunt tamen aliqui dicentes, hoc quidem valere pro primo matrimonio, quo etiam contracto potest Virgo legataria & hæres instituta legatum & hæreditatem accipere, non tamen pro secundo; Cujus ratio est, quia, cum conditio illa, si non nupserit, sit negativa, est perpetua, & omne matrimonium futurum includit; Quamobrem, sicut ea conditio valida foret, si esset affixa secundis nuptiis, quas si contraheret, legato & hæreditate privaretur; ita invalida erit quantùm ad primas, non quantùm ad secundas, & dum primò nubit, inquiunt, legatum non esse dandum sine cautione Mutiana, idest restituendi legatum cum fructibus, si secundò nupserit.

Nihilominùs absolutè dicendum est, conditionem illam habendam esse pro nulla, & pro non scripta; si enim legatarius cautionem præstare deberet, non posset legatum illud vendicare, cujus tamen oppositum docent illi Doctores, inter quos Acosta l. *Cum tale* §. si arbitratu ff. de condit. & demonst. ampliatione 1. Ratio est, quia testator intelligendus est de primis nuptiis, cum sermo simpliciter prolatus de prima vice intelligatur, l. *Boves* §. hoc sermone, ff. de verborum significatione; Neque obstat conditionem negativam esse perpetuam, proinde omnes nuptias includere; siquidem hoc locum habet quando modo à jure permisso, & utiliter expressum est; quod non contingit in casu.

80. Ex istis inferuntur plura. 1. condi-

ditionem à liberis procreandis avertentem nullam esse, ut si quis diceret, lego Mario centum, si filios non habuerit; si enim conditio non nubendi rejicitur tanquam turpis; ita & conditio non habendi filios, cum matrimoniū sit ad filios procreandos. 2. non valere conditionem prohibentem matrimonium hisce verbis, lego centum Patri, vel Matri, vel Curatori, vel alteri, si Anna nuptias non contrahat; 3. idem judicium ferendum esse de conditione avertente à nuptiis spiritualibus, seù religionis ingressu, ut colligitur ex aut. de Sanctiss. Episc. §. *Sed & hoc præsenti* coll. 9. & ratio est, quia videtur argumentum valere à minori ad majus à matrimonio carnali ad spirituale, ut fusè probant plures Doctores, præsertim Everardus, & hoc tenent Baldus, & alii, quos refert Acosta l. *Cum tale* §. si arbitratu. Postrema tamen hæc resolutio non est tam certa; imò multos habet contrarios, qui pluribus momentis inducuntur. 1. quia, licet illa conditio non sit adversa religioni, attamen foret matrimonio, & filiorum procreationi. 2. quia, ingressus religionis respicit tantum bonum privatum personæ ingredientis; matrimonium autem bonum Reipublicæ commune, proinde jura huic magis favent, quam illi; 3. quia, non est verisimile aliquem à religionis ingressu recessurum esse, quia legato privabitur; etenim qui religionem amplectitur, ideo amplectitur, ut bonis omnibus ac voluptatibus per trium votorum vincula abrenuntiet; Contrarium verò contingit in matrimonio, à quo quis abstineret, ne legato, vel hæreditate careret; atque hoc tenent Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 18. n. 31. Menoch. de præsump. lib. 4. præsump. 83. num. 18. & sequentis, Covar. 1. variar. cap. 19. num. 10. aliique.

81. Dico 2. conditionem dari posse nuptias impedientem vel quantùm ad certum tempus, vel quantùm ad certum locum, vel quantùm ad certas personas; Primum habetur in l. *Sed si hoc* §. finali, ff. de condit. & demonstrat. non debet tamen tempus hoc adeo protrahi, ut probabile sit, Virginem non inventuram ampliùs virum cui nubat; sicut nec illa conditio ulla esset, si fieret hisce terminis, si non nubat, donec Marius moriatur; quia tunc æquiparatur conditioni perpetuo impedienti. Secundum constat, quia sic matrimonii libertas nullo pacto impeditur; nam extra illum locum matrimonium iniri potest, & forte commodius; per quod & tertium demonstratur, & habetur expresse in l. *Cum ita* ff. de condit. & demonst. Arbitror tamen, quod si ita commodè nubere non posset, vel in alio oppido, vel cum aliis personis, conditionem illam irritam esse, ut docent, Acosta §. si arbitratu, ampliatione 8. num. 1., & Molina tomo 1. de justit. tract. 2. disp. 207.

Validam pariter existimo conditionem matrimonium prohibentem in favorem causæ piæ, v. g. si quis Virginem constitueret hæredem, si matrimonio non jungatur, aliter hæreditas illa transeat ad orphanorum domum. Siquidem libertas Virginis & pia causa solent æquiparari, ut tradunt Tiraquel. de privilegiis piæ causæ privil. 18., Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 8. &c.

82. Dico 3. conditionem nuptias prohibentem validam esse in viduis. Hoc experientia compertum est; & traditur in auth. de nuptiis, §. *Quæ vero* collat. 4. & auth. *Cui relictum* C. de indict. vid. per quas authenticas aliquæ antiquiores leges, quibus etiam in viduis illa conditio rejiciebatur, corriguntur: Ita docent Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 19. n. 2., Guilelmus Benedic. cap. Raynutius, de testamen. Guttier. lib. 2. can. 25. num. 3. aliique: Ratio autem est, quia honestum est à secundis nuptiis abstinere, c. finali 31. q. 1. Quod autem dictum est de vidua; dicendum etiam de viduo, ut

ut conſtat ex c. *Gaudemus* de divortiis, ubi dicitur, virum & uxorem non debere ad imparia judicari, & ex auth. de nuptiis, *Sive uxor maritum*. Atque hoc tenent Doctores citati contra Paulum l. ultima num. 5.

QUÆSTIO III.

De Sponſalium Diſſolutione.

83. SPonſalia diſſolvi poſſe continua experientia docemur; Quare à nobis in præſentiarum aliud agendum non eſt, niſi modos illos rationeſque perpendere, quibus licitam eſſe eorum diſſolutionem omnes concedunt. Modi autem iſti hiſce carminibus continentur.

Diſſenſus, crimen, fuga, tempus, & ordo, ſecundo
Morbus, & affinis, vox publica, cumque reclamant.

Pro diſſenſu pauca dicenda ſunt, ſi enim mutuus conſenſus fuerit à ſponſalibus recedendi, cum hæc ex natura ſua ſolubilia ſint, procul dubio licitè diſſolvuntur, ut patet ex l. regula juris, ubi dicitur. *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Locum tamen faciunt priori difficultati ſponſalia impuberum, utrum per mutuum eorum conſenſum ſponſalia diſſolvantur &c.

ARTICULUS I.

Quomodo diſſolvantur ſponſalia impuberum.

84. CErtum primo haberi debet, per mutuum eorum conſenſum, quamdiu impuberes ſunt, ſponſalia diſſolvi non poſſe; atque hoc fit, ne puerorum levitas locum habeat; aliter hodie hæc diſſolverent, cras alia contraherent; & ſic ſponſalia innumera fierent, & nullum fieret; Hoc autem apertè habetur c. *De illis* 7. de deſponſatione impuberum.

Certum eſt 2., quando ad pubertatem prævenerint, poſſe utrumque à prioribus ſponſalibus reclamando reſilire; ratio eſt, quia eorum judicii immaturitati conſultum eſſe debet; atque ideo ſi minùs prudenter egerint, dum ſe obligarunt, locus eſſe debet reſipiſcentiæ, ut ætate comparata poſſint obligationis contractæ jugum deponere; Neque ex hoc dici poteſt, fruſtra per impuberes contrahi ſponſalia, quia ab iis reſilire poſſunt, cum tempus advenerit illa adimplendi: etenim primò, uſque dum pubertas perſeverat, in iis debent perſiſtere. 2. quia, dum puberes facti ſunt, novus contractus non exigitur, ut priora in ſuo robore perſeverent.

85. Hic verò excitantur dubia, quæ in hiſce ſponſalibus evenire poſſunt. Primum eſt; Utrum impuber pubes factus, ut à ſponſalibus reſiliat, debeat alterius pubertatem expectare. Secundum; Utrum Pupes contrahens cum impubere ſtatim per contractum obligetur. Tertium; Utrum impuberes contrahentes cum juramento, ita ſe habeant, ut adveniente pubertate unus poſſit ſine alterius conſenſu reſilire.

86. Quantùm ad primum, cenſeo alterius pubertatem non eſſe expectandam, & hoc videtur clarè definiri in c. *De illis*. Ratio autem eſt, quia quod paulò poſt poterit, nempe cum alter ad pubertatem pervenerit, poteſt etiam ſtatim, cum fruſtra expectetur eventus, qui nullum habet effectum, c. *Cum contin-*

tingat de offic. deleg. In eo, qui jam pubes factus est, judicii maturitas non est expectanda; jure igitur reclamabit, si statim habito judicio, ac sufficiente rerum notitia reclamabit; imo si statim non reclamabit, postea justè non poterit, quia ex quo statim non contradixerit, tacitè consensum præstitisse videbitur: atque ita sentiunt communiter Doctores, quos affert Sanchez disp.51.n.9. & 14. statim autem intelligi debet triduo post pubertatem, quia l. finali C. de errore advocatorum, id dicitur incontinenti fieri, quod intra triduum fit.

87. Reclamet igitur pubes, si sponsalia priùs contracta sibi non arrident, atque ut in foro externo ab illis censeatur solutus, judicium expectet Ecclesię, juxta c. *De illis* superius adductum, ubi dicitur: *Si reclamaverint, judicio Ecclesiæ separentur*; quod judicium satis expectatur, si reclamatio fiat vel coram Episcopo, vel coram ejus Vicario, vel istis deficientibus coram honestis personis, quæ possint esse testes idonei. Utrum verò pro conscientiæ foro sufficiat, si interiùs statim dissenserit, negativè aliqui opinantur, ut Hostien. super verb. negaverit; Angel. ver. sponsal. num. 37. Tabiena qu. 9. num. 10. casu 8. Armil. num. 13. affirmandum tamen ego existimo; Siquidem ideo non reclamando sponsalia manent firma, quia consensum tacitum præbere videtur; sed in hoc casu nullus est tacitus consensus, imò oppositum; ergo in foro conscientiæ sponsalia firma non manent.

88. Quantùm ad secundum. Dicendum est; Puberem contrahentem cum impubere statim obligari, nec posse ex hac causa reclamare; cum enim in eo judicii maturitas supponatur, lex illi nullum affert subsidium, quod tamen affert impuberi, cum ad pubertatem perveneri. Hoc traditur expressè in dicto c. *De illis*, versu, *Mulier* imò hoc affirmari debet, etiam si accederet consensus impuberis; quia hic pro nullo recensetur.

89. Major difficultas est in dubitationis tertiæ resolutione, in qua non una est mens Doctorum; Suppono, antequàm proferam quod sentio, juramentum hoc factum esse ab impuberibus doli tamen capacibus, aliter juramentum nullum est, nec posset aliquem firmare contractum: Quando autem censeri debeant doli capaces quantùm exigit res nostra, concors definitio non habetur; Aliqui enim docent hujusmodi esse post septennium, quando scilicet usu gaudent rationis, ut patet ex c. 1. de delictis puerorum, & ut ibi docet Glos. verbo, *Grandiusculis*, manifestumque hoc fit, quia in eo textu deciditur, pueros esse omnium peccatorum capaces præter illud, quod per carnalem copulam contrahitur: Aliqui verò dicunt, tunc esse ad hunc effectum doli capaces quando ita proximi sunt pubertati, ut cognoscant quid ad firmos reddendos contractus requiratur: sed cum nihil ampliùs explicent, nihil dicunt, quia adhuc inquirendum superest, qua ætate hujusmodi sint. Quidam verò generaliter hoc statuunt, quando masculus excedit decimum annum cum dimidio, fœmina verò nonum & dimidium; Ita Glos. §. *Pupillus* verb. infantiæ, quam sequitur Bartol. num. 6. nec non Navar. lib. 4. Consil. tit. de Sponsal. cons. 39. Videte quæso, quo pacto fœminæ viros præcellant ingenio, ipsisque natura celeriorem largita fuerit rerum agnitionem; Hoc tamen non concedunt alii, inter quos Gregor. Lopez ver. *Major*, ubi dicit per præfatas leges inter mares & fœminas nullam differentiam constitui. Ego tamen arbitror cum Covar. 4. decret. 2. p. cap. 5. num. 5., & Clementina, *si furiosus*; nec non Menoch. de arbitrar. lib. 2. cent. 1. casu 57., id Judicis arbitrio relinquendum esse. Hisce expositis

90. Dico. Impuberes, qui contrahentes sponsalia, ea juramento firmarunt, facti puberes invita parte illis renuntiare non posse: Id expressè traditur

tur in c. *Ex litteris* 10. de ſponſal., ubi dicitur, impuberes jurantes ſponſalia ad ea perficienda cogendos eſſe: & quamvis, dum ſermo eſt de aliis contractibus, non ſit certum apud Doctores, utrum nec ne firmentur impuberum juramento; attamen id non valet in contractu ſponſalium; etenim ideo illud, quia alii impuberum contractus abſque juramento nullum valorem habent; ſponſalia autem etiam ſine juramento valida ſunt, quamvis uno reclamante diſſolubilia; igitur per juramentum reddentur indiſſolubilia, nec ſine mutuo conſenſu diſſolvi poterunt. Hæc eſt communis ſententia juxta Gloſ. in dic. c. *De illis* & Gloſ. in c. *Ex litteris*.

91. Contra eam aliqua militare videntur. Primo: ex illo c. *Ex litteris* nihil evinci poteſt, quia ibi habetur, ideò cogendos eſſe ad ſponſalia perficienda, quia adepta pubertate non reclamarunt. 2. quia juramentum additum contractui ejuſdem contractus ſequitur conditiones, l. *finali* C. de non numer. pecun., atqui ſponſalia impuberum habent hanc conditionem ut teneant, niſi facti puberes reſilierint; ergo etiam poſito juramento id fieri poterit; Denique c. *Pueri*, & c. *Parvuli* 22. qu. 5. impuberes prohibentur jurare, ergo eorum juramentum nihil efficit.

Hæc parvi facienda ſunt; Ad primum, abſque aliquo fundamento & ex arbitrio dicitur, adepta pubertate non reclamaſſe; Ad 2. id verum eſt, quando à jure aliter non diſponitur, idem autem jus canonicum, quod in c. *De illis* inquit ineſſe tacitam conditionem ſponſalibus impuberum, niſi poſt pubertatem reſilient, in c. *Ex litteri.* diſponit deeſſe, quando ſunt juramento firmata. Ad 3. illi textus loquuntur de impuberibus quantùm ad teſtimonium ferendum, qui non ſunt ad jurandum cogendi, & ita eos intelligunt fermè omnes Doctores juris canonici.

ARTICULUS II.

Utrum ſponſalia ob alterius fornicationem diſſolvantur.

92. Crimen, de quo ſermo eſt in adductis verſiculis ad fornicationem reducitur, quæ non ſolum ad illam corporis revocatur, ſed etiam ad illam ſpiritus, qualis eſt hæreſis & infidelitas, ut communiter ſuſtinent Doctores, & tradit præſertim S. Antonin. 3. p. tit. 3. Per fornicationem autem diſſolvi ſponſalia, quamvis etiam forent juramento firmata, ſtatuitur in c. *Quemadmodum* de jurejurando. Ratio eſt; quia ſi ea fornicatio, quæ matrimonio ſupervenit eſt ſufficiens ratio illud diſſolvendi quo ad thorum, quanto magis prorſus dirimet ſponſalia, per quæ contrahitur obligatio ad contrahendum matrimonium? Juramentum autem non obeſt, quia ſemper includit conditionem, dummodò à parte contrahente fides non frangatur, etenim fidem frangenti fides ſervanda non eſt. Adde; quod ex tali fornicatione, quid deinceps futurum ſit, deduci poteſt argumentum.

93. Quod de fornicatione ſponſæ dicitur, affirmandum eſt etiam de fornicatione ſponſi, cum valeant eædem rationes, quas adduximus num. ſuperiori, & in hac re par cenſetur utriuſque fornicatio c. *Apoſtolus* 32. q. 7. Utrum verò hoc dicendum ſit de fornicatione, quæ ſequuta fuerit, antequam ſponſalia contraherentur, Doctores in reſolvendo dividuntur. Paludan. in 4. diſ. 27. qu. 1. art. 3. num. 17. ait improbabile eſſe, per præcedentem fornicationem dirimi poſſe, & idem docet Navar. lib. 4. Conſil. tit. de divortiis conſ. 2. num. 1.

94. Contrarium ſentio, ſi de ſponſa ſit ſermo; & ideo poteſt ſponſus, ſi illam Virginem exiſtimabat, advenien. te notitia ejus fornicationis juſtè reſilire. Hoc ampliùs probabo, dum de aliis loquar, quæ ante ſponſalia acciderunt,

& tantùm post ea cognita sunt; Interim quantum attinet ad præcedentem fornicationem, ratio est, quia per supervenientem cognitionem illa putata Virgo multò vilis effecta est, & non levis ignominia viri censetur ducere jam corruptam per copulam; unde nullus sciens vellet illam ducere, si honestè vellet agere: quare sponsus graviter deceptus est, & tantùm per errorem contraxit; contractus autem, cui error causam dedit, à decepto potest irritari. Neque obstat, in dicto c. *Quemadmodum* de jurejurando decerni, sponsum non posse opponere sponsæ præcedentem fornicationem, siquidem hoc valet de fornicatione præcedente, quæ a sponso ignorata non fuit; Certè enim si novisset, eam in fornicationis crimen incidisse, & nihilominùs contraxisset, nequaquam ob illud resilire posset, etiamsi putasset bis vel ter fuisse fornicatam, & multò amplius fornicata esset, quia hoc notabiliter non variat sponsæ conditionem, nisi fortasse fuisset publica meretrix, & sponsus existimasset, ejus fornicationem occultè fuisse commissam; etenim illud multo viliorem fœminam reddit.

95. Sed quid dicendum, si contraxisset cum vidua, deinde nosset eam cum alio in viduitate copulam habuisse? Idem sentiendum esse arbitror, siquidem fit in contractu notabilis mutatio, & fornicatio postea cognita retraxisset virum ad contrahendum cum illa vidua, cum non mediocris sit nota dedecoris cum vidua impudica contrahere, quæ judicabatur honesta; Hæc omnia tamen intelligenda sunt, si sponsus noluisset contrahere, si id cognovisset; secus verò, si tali erat ductus affectu, ut nihilominùs iniisset contractum, quia in hoc casu error contractui causam non dedisset.

96. Si autem de præcedente sponsi fornicatione postea nota sponsæ loquamur, censeo, sponsam justè resilire non posse; ratio est, quia illa fornicatio tribuit potestatem justè resiliendi, quæ fornicantem per respectum ad matrimonii contractum reddit notabilitèr viliorem, & dedecus affert parti, quæ contraxit; sed fornicatio præcedens sponsi, etsi postea nota, non reddit sponsum notabilitèr viliorem, nec dedecus affert sponsæ juxta hominum existimationem; ergo. Excipiendum tamen est, si frequentes fuissent hujusmodi fornicationes, præsertim cum pluribus ac publicis mulierculis; quia hoc pacto infamis censeri posset, & sponsa timere posset, id deinceps etiam facturum; excipe etiam si ex fornicatione prolem alendam suscepisset, quia hoc esset tum oneris causa, tum etiam discordiarum.

Collige, quod si sponsa post contractum cognosceret virum notabiliter vitiosum, posset justè à sponsalibus recedere.

97. Quæres 1., quid sentiendum sit, si sponsa vi & sine sua culpa esset oppressa post sponsalia. Tabiena ver. *Sponsalia* qu. 9. casu 6. num. 10. aliique opinantur, fornicationem istam non esse justam causam dissolutionis; ratio est, quia hoc pacto nec fœmina frangit fidem, nec fit in futurum suspecta, quibus momentis innititur textus c. *Quemadmodum*, dum resolvit, per alterius fornicationem dissolvi posse sponsalia. Præterea, copula per vim habita non est sufficiens ad separationem matrimonii quo ad thorum; ergo nec dissolvendi sponsalia.

Oppositam tamen sententiam probabiliorem judico ex cap. Raptor. 27. qu.2., quam tradunt Brunel. de Sponsal. concl.8. n.4., Navar. in sum. cap.22. num.27. Lancellot. in juris canonici instit. lib.2. tit. de sponsal. verbo, *fornicata*, & communiter Theologi. Ratio est, quia, licet in hac fornicatione nulla fuerit culpa, nec ulla sit causa suspicionis in futurum; attamen sponsa notabiliter mutata est, nec definit ignominia in viro, qui contraxit, quique certè non contraxisset, si hæc fornicatio

prius

priùs extitisset; per quod respondemus priori rationi ab illo textu desumptæ; non enim ibi afferuntur omnes justæ dissolutionis rationes. Adde, non adeo facilè credi posse, omninò invitè ac per vim fuisse fornicatam. Secunda ratio in oppositum non probat: nam difficiliùs solvitur matrimonium etiam quo ad thorum, quàm solvantur sponsalia.

98. Quæres 2. Quid dicendum sit, si tam sponsa, quam sponsus post sponsalium contractum fornicati sint. Quidam arbitrantur, neutrum posse justè ex hoc titulo recedere, quia habetur delictorum compensatio; & ambo pares habendi sunt: Veriùs tamen dicitur oppositum, cum nequaquàm compensatio detur; gravius enim est damnum illatum per fornicationem sponsæ, quàm sponsi, & dedecorosius est sponso ducere talem fœminam, quàm sponsæ ducere talem virum, sicut turpior est fornicatio fœminæ, quam viri, ut probat Tiraquel. l. 1. *Connubia* num. 45. Præterea ex fornicatione sponsæ proles fieri potest incerta; Manifestum hoc etiam fit ex l. *In arenam* C. de inoffic. test. ubi dicitur, Matrem meretricem non posse filiam pariter meretricem hæreditate privare, & tamen Patri concubinario licitum est filiæ meretrici hæreditatem negare, ut cum pluribus aliis probat Covaruv. c. *Raynutius* de testam. n. 15.

99. Quæres denique. Utrum vir possit justè à sponsalibus recedere, si post sponsa non quidem fornicationem commiserit, sed tamen tactus impudicos alterius & oscula passa sit.

Resp. affirmativè; fit enim non levis mutatio non sine viri dedecore, & de hac fœmina dici potest, quod inhonesta sit & impudica; Quare sicuti per tactus impudicos & oscula amitteret legatum, si ipsi relictum esset sub conditione, si honestè viveret, ut probat Covar. 4. decr. par. 2. cap. 7. §. 6. afferens Baldum; ita amittit jus, ne à sponso dimittatur.

ARTICULUS III.

Quomodo fuga, sed absentia dissolvat sponsalia.

100. Quæstio est de absentia sponsi sine alterius obtenta facultate; Hac in re variant Doctores, sicut varia statuuntur in juribus. Jus civile l. 2. C. de sponsal. decernit, sponsum absentem intra eamdem Provinciam biennio esse expectandum, l. 2. C. de repudiis triennii spatium determinat; l. *Sæpe* ff. de sponsal. statuit, quod si ex causa necessaria abfuerit, expectandus sit, donec causa finem acceperit. Jus verò canonicum nullum designat tempus expectandi, sed inquit, liberum esse alteri aliud matrimonium ineundi, c. *De illis* de sponsalibus hæc habet: *Si quis curavit aliquam ducturum, & postea dimittit terram, se ad alias partes transferens, liberum erit mulieri cum alio contrahere.*

101. Ut juris civilis textus, qui inter se videntur contrarii, concilientur, aptior videtur modus, quem statim subdo: Aut hujusmodi absentia est ex justa causa & necessaria, v.g. ob parentum obitum, ob propriam ægritudinem, & hujusmodi, & tunc juxta l. *Sæpe* expectari debet, donec cesset causa necessaria. Aut est ex causa justa non necessaria, sed probabili, & tunc biennio expectari debet, si in eadem Provincia sit, juxta l. 2. C. de sponsal., triennio verè, si sit in remotiori parte, juxta l. 2. c. de repudiis. Ita sentiunt communiter Doctores; Hostien. in sum. tit. de sponsal. n. 3., Brunel. de sponsal. concl. 8. num. 3., Navar. in sum. cap. 22. casu 4. num. 26., Menoch. de arbitrariis lib. 2. cent. 5. casu 455. aliiq; Ubi tamen observandum est, modum à nobis expositum esse intelligendum, si habeatur notitia loci, in quo sponsus sit, si verò ignoretur, dandum est triennii spatium, nisi aliter Judex determi-

naverit; etenim hujus sententia juxta circumstantias poterit tempus vel restringi vel protrahi, ut censent iidem Doctores.

102. Hæc dicta sunt juxta leges à jure civili statutas: sed cum aliter habeatur in jure canonico, sicut dictum est, difficultas promovetur, utrum per hoc correctum sit illud. Quidam dicunt, correctum non esse, atque etiam non recedendo à jure canonico illud tempus servandum esse, quod à jure canonico præscriptum est. Siquidem in illo cap. *De illis* statuitur tantùm liberum esse alii nubere, si sponsus absit, at absentia juxta decreta juris civilis accipienda est, siquidem, ut habetur l. *Præcipimus* C. de appellation. legis correctio vitanda est: Hanc opinionem sequuntur Hostiens. in dictum caput, *De illis* ver. liberum; Menoch. lib. 2. de arbitr. centur. 5. cap. 455. Cucus lib. instit. major. tit. 10. num. 64., Paludan. in 4. dis. 27. qu. 1. art. 3., S. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 18. Ledesma de matrim. qu. 43. art. 3.

103. Licet hoc probabile sit, attamen probabilius mihi videtur, per jus canonicum correctum esse jus civile, ut docent in c. de sponsalibus Alex. de Nevo num. 15., Angelus ver. sponsalia num. 25., Navar. in summa c. 12. Lancel. in instit. juris canon. lib. 2. de sponsal. ver. *liberum*, Sot. in 4. dis. 27. q. 2. art. 5., Enriq. lib. 11. de Matrim. cap. 38. Sanch. disp. 54. num. 6. &c. Ratio est, quia si sponsus in longinquam regionem perrexit absque sponsæ facultate, sponsam reliquisse, ac fregisse fidem præsumendus est; non est igitur expectandum biennium, vel triennium, ideo in cap. laudato, *De illis* dicitur, liberum esse sponsæ alteri nubere; non esset autem liberum si deberet illius temporis transitum expectare; quia sic esset licentiam ab illo petere, quod libertati opponitur. Quare autem tanta sit diversitas inter jus civile & canonicum, est, quia jus canonicum considerat peccandi periculum, & ideò cum ob sponsi absentiam immineat sponsæ periculum fornicationis, huic facultatem tribuit liberè nubendi; jus verò civile tantùm considerat publicum bonum, ut habetur in regul. *Possessor malæ fidei*: Quod verò dicitur, legis correctionem vitandam esse, utique valet, si non habeatur diversus finis, & respectus; alioquin nunquam per jus canonicum correctum esset jus civile.

104. Observa tamen ex verbis allatis in textu, hoc non esse intelligendum de quavis absentia, sed in terram longinquam, & ita potes utramque sententiam conciliare tum retinendo jus civile, tum canonicum; Si enim sponsus esset in loco propinquo, is expectandus esset, si foret ejusdem reditus spes, vel esset admonendus, ut intra tale tempus, matrimonium iniret, & cognito justo impedimento, non deberent tam facilè sponsalia dirimi; spectata semper sponsæ qualitate, ne fornicationis periculo locus daretur.

105. Oritur hic alia difficultas; Utrum in hac re judicis sententia requiratur. Aliqui censent, non requiri, si sponsalia non fuerint juramento firmata; requiri verò, si fuerint: inter istos Abb. in c. *Sicut* num. 11. Aliqui existimant, requiri, sive fuerit, sive non fuerit juramentum; inter istos Covar. 4. decr. 1. p. cap. 5. num. 6. Ego autem dicerem, in nullo casu sententiam judicis poscendam, vel expectandam esse; quia textus juris canonici dicit, liberum esse alteri nubere; liberum autem non est illud, quod sine alterius licentia fieri non potest; servatis tamen iis, quæ superius dixi: & in hac sententia sunt Tabiena verbo sponsalia num. 10. casu 2. qu. 9. Lancel. in institut. juris canonici lib. 2. tit. de sponsal. ver. *Liberum*, Sotus, & Enriq. num. 103. citati.

AR-

ARTICULUS IV.

Quomodo tempus dissolvat Sponsalia.

106. Quamvis de hoc puncto aliqua à nobis dicta sint in præcedenti quæst. n. 35. & plura etiam revocari debeant ad id, quod diximus in superiori articulo, nihilo tamen minus, ut de omnibus iis, quæ justam resiliendi à sponsalibus causam exhibent, in proprio loco disseramus, hic nonnulla subdemus.

Certum autem est per tempus, idest, quando unus ex contrahentibus est in mora, dissolvi sponsalia ex parte alterius: ut omnes concedunt, & habetur in cap. *Sicut* extravag. *De sponsalibus*. Dixi, ex parte alterius; quia qui in mora est, adhuc tenetur; aliter culpa ipsi reo faveret.

107. Verùm plura ponderanda sunt. Primo; hanc moram esse posse inculpabilem, ortam scilicet ex aliqua necessitate, ac legitimo impedimento, & esse posse non sine culpa unius, vel etiam utriusque. Secundo; sponsalia contrahi possunt sub tali conditione, ut pro ipsis adimplendis sit statuta certa dies, & hoc duplici modo, vel ita ut nisi ea die matrimonium contrahatur, altera pars, per quam non stetit, ab omni obligatione libera fiat; vel ita, ut tunc obligatio non desinat, sed alter cogi possit ad matrimonium contrahendum.

108. Hisce expositis; Primò tenendum est, quod si mora inculpabilis sit, per eam sponsalia non dissolvuntur, neque pars, per quam non stetit, potest justè recedere, & alia inire sponsalia; siquidem in cap. *Sicut* expresse ponderatur illius culpa, per quem stetit; si igitur culpa desit, nulla est illius capitis decisio; & in cap. *Quia diversitatem*, de concef. præben., legitimè impedito tempus non currit: ratio autem est, quia, ut docet Lessius de just. cap. 8. num. 7., nulla promissio obligat in iis casibus, in quibus promissor censetur, noluisse se obligare; nec tamen alia pars videatur hoc modo semper obstricta iisdem sponsalibus, quod durum & iniquum esset, spectandæ sunt circumstantiæ, & Judicis alicujus prudentia res est dirimenda.

109. Secundò tenendum est; Quod si sponsalia sint absolutè contracta absque alicujus temporis determinatione, tunc, licet una pars differat, altera ab obligatione non solvitur, nisi hæc illam admoneat, tempusque definiat, quo transacto liberam se declaret: ratio est, quia ex una parte potest esse legitimum differendi impedimentum, & mora inculpabilis; ex alia potest quis sibi persuadere, pro tali mora non esse dissensum, quoadusque nulla apparet contradictio. Excipe tamen casum, quo tanta esset mora, ut prudenti judicio censeretur renuntiatum esse sponsalibus, aut contra datam fidem mortaliter esse peccatum; tunc enim recurrit id, quod alibi diximus, nempe frangenti fidem, fidem non esse servandam.

110. Tertiò tenendum est; quod si tempus præfixum fuerit, ad obligationi finem imponendum, elapso illo tempore solutus ille remanet, per quem non stetit; ut dicitur in l. *Si fidejussor* 29. ff. mandati, §. finali: & ratio est, quia contractus non ex alio vim accipiunt obligandi, quàm ex contrahentium consensu, regula *contractus*, de regulis juris in 6., & l. 2. ff. de act. & obligat. Si autem tempus fuerit præfinitum ad solicitandam partem, ita ut in mora intelligatur constituta, & cogi possit ad matrimonium contrahendum, altera pars ab obligatione non solvitur; quia terminus ille non fuit ad hunc finem præfixus; & quia in hoc casu est duplex contractus, unus faciendi; alter certo termino faciendi, ut habetur in l. *Celsus* §. 1. ff. de recep. arbit., ergo quamvis contrahens in uno deficiat, attamen subsistit alius; proinde omnem liberationem non efficit.

Quia

111. Quia tamen contingit, ut sponsalia contrahantur certo die implenda; nec exprimi soleat, utrum illa dies statuta sit, vel ad matrimonium contrahendum, vel ad habendam facultatem cogendi partem, quæ in mora judicatur; tradenda est aliqua regula ad hoc dignoscendum.

Aliqui dicunt, ut Covar. 4. decret. p. 1. cap. 5. & Ab. in c. *sicut* de sponsal. num. 11., tunc censeri contracta esse ad habendam facultatem cogendi partem, quando solùm una pars obligatur intra certum tempus; tunc verò ad contrahendum pro tali die matrimonium, quando utraque pars mutuo consensu contractum ineunt, & diem determinant. Meliùs tamen & clariùs rem explicant alii cum Sylvest. Tabiena, Cuco, & Brunello, dicentes, tunc esse ad solicitandam partem, quando temporis determinatio additur contractu jam perfecto ac persoluto; quia hoc modo temporis adjectio est conditio solùm extrinseca contractui; & ideo licet non servetur, adhuc contractus in sui intrinseco valore perseverat: tunc verò esse ad obligationi finem imponendum, perficiendumque matrimonium, quando terminus ab utraque parte præfigitur in ipso actuali contractu, & se habeat tanquam conditio intrinsecè afficiens & constituens contractum, & ideò si ea deficiat, deficit etiam ipse contractus, atque ita per tempus sponsalia dissoluta censentur ex parte illius per quem non stetit, licet maneat obligatio ex parte alterius, ut dixi n. 106. in fine.

ARTICULUS V.

Quomodo per ordinem dissolvantur sponsalia, nec non per votum castitatis, & religionis ingressum, cum aliis dubiis.

112. In hoc puncto examinanda sunt ea, quæ spectant non solùm ad ordinem, sed etiam ad votum vel religionis, vel simplicis castitatis. Dum autem audis ordinem, intellige ordinem sacrum; certum enim est, ordines minores post sponsalia susceptos hæc minimè dirimere; quia status illius, qui in minoribus ordinibus constituitur, nequaquam repugnat matrimonio, & eadem ratione susceptio sacrorum ordinum dirimit, sive fuerint præcedentia, sive subsequentia, quia reddit suscipientem incapacem matrimonii contrahendi; Ut verò clariùs progrediar, incipiam à voto simplici castitatis, inquirendo, utrum per istud superveniens sponsalia soluta intelligantur; dixi superveniens, nam si præcedat sponsalia, hæc nulla sunt, cum illicita promissio nullam inducere valeat obligationem. Rursùs de solo simplici voto castitatis inquiro; nam si votum esset ingrediendi in religionem, procul dubio sponsalia dissolverentur, ut tenent omnes Doctores, & si hoc sufficit ad dirimendum matrimonium ratum, ut dicam suo loco, potiori ratione sufficiet ad dirimenda sponsalia. Insuper in dubium revocari non potest, alteram partem ad sponsalia non teneri, quia qui ita post ea vovit, censendus est sponsalibus renuntiasse; præsertim cùm per hujusmodi votum maxima in rebus sit facta mutatio, & altera parte gravamen novum impositum; etenim qui votum emisit, petere non posset, sed tantùm reddere, quod respectu fœminæ maximum foret incommodum, ac sexus verecundiæ prorsùs contrarium. Igitur quæstio est, an post contracta sponsalia possit ab uno contrahente licitè votum casti-

ſtitatis emitti, & illum à ſponſalium liberet obligatione.

113. Licitum eſſe hujuſmodi caſtitatis votum, & per idem ſponſalia dirimi, fuit plurium ſententia tam ex Juriſtis, quàm Theologis, quos citat Sanchez diſp.46. num.7., apertiſque verbis loquitur S. Th. in 4. diſ.38. qu.1. art.3. quæſtiunc.2. ad 1. dicens: *Simili modo obligat votum ſimplex, ſicut ſponſalia, unde propter votum ſimplex ſunt ſponſalia dirimenda*. Plura ſunt, quibus hoc confirmari poteſt, momenta; Primum, cui adhærent Sacrorum Canonum profeſſores deſumitur ex c. *Veniens*. *Qui Clerici, vel voventes* ubi fœmina, ut à ſponſalibus libera fieret, caſtitatis votum emiſit, & interrogatus Pontifex, an non obſtante voto, nubere poſſet, reſpondit, ob fornicationis periculum injungendam ipſi eſſe pœnitentiam ob violatum votum, & ipſi dandam eſſe nubendi facultatem; igitur votum caſtitatis ſponſalibus prævalet, aliter mulier illa in votum non peccaſſet, nubendo ſponſaliumque fidem ſervando. Parùm tamen firmum hoc argumentum cenſeo, cum & pro oppoſita ſententia inferiùs afferenda adduci ſoleat; Aptius probari ſequentibus poteſt. Primò; quia dum fit ſponſalium promiſſio nemo intendit, nec debet ſibi in meliori bono detrimentum ac præjudicium inferre; ſtatus autem caſtitatis eſt melius bonum; igitur, dum promittit, non intendit, ſe poſt ſponſalia caſtitatis votum emittere non poſſe; & idcircò in ipſo ſponſalium contractu ex parte utriuſque contrahentis ſubintelligitur hæc conditio, *niſi ſtatum perfectiorem elegero*. Secundo, quia promiſſum non infringitur, dum fit in melius commutatio, ex c. *Pervenit* de jurejurando. Tertio, quia ubi ſint duo vincula, quæ ſimul componi non poſſunt, fortiùs prævalet; vinculum autem voti caſtitatis componi nequit cum ſponſalibus, & eſt horum vinculo fortiùs; nam per iſta inducitur obligatio reſpectu hominis, per illud verò reſpectu Dei: ergo.

114. Eſt verò & alia opinio contraria ex eodem c. *Veniens*; quam defendunt Panormit.in dic. c. num.5. Sylveſ. ver. *Sponſalia* quæſt. 7. Navar. in ſum. cap.22. num.27. Sanchez diſp. 46. n. 9. Coninch. diſp.23. dub.3. concl.7., aliique; & cum priorem ſententiam, quam etiam Doctores iſti probabiliſſimam, ac tutiſſimam dicunt, amplectar, ideo horum fundamenta proponenda ſunt, ac rejicienda.

115. Non afferam autem laudatum c. *Veniens*, ſiquidem ex illo pro neutra ſententia argumentum deduci poteſt; non pro priori, cum dici potuerit, ſponſalia illa diſſoluta eſſe non per votum caſtitatis à muliere poſt ea factum, ſed vel per matrimonium ab altero cum alia de præſenti contractum; vel etiam per ſola ſponſalia, quæ vir, poſt votum à prima ſponſa factum, licitè potuit cum alia ſtabilire; quibus ſtatutis priora ex mutuo diſſenſu diſſoluta intelliguntur: non pro ſecunda, quia pœnitentia non fuit injuncta mulieri propter votum caſtitatis poſt ſponſalia emiſſum; ſed quia fuit factum in fraudem, ut ſcilicet à ſponſalibus ſoluta fornicationi operam daret, ut colligitur, ex ipſo reſponſo Pontificis, qui tutius judicavit, ut illa mulier matrimonium contraheret, quàm fornicationis periculum ac reatum incurreret.

116. Opp. igitur 1. Si fuerint contracta ſponſalia, & inde factum fuerit ab una parte votum caſtitatis, Eccleſia obligat ad perficienda ſponſalia: ergo votum caſtitatis ſponſalia dirimit.

Huic argumento reſpondent aliqui, inter quos Azorius, votum caſtitatis dirimere ſponſalia in foro conſcientiæ, non autem in jure canonico; ſed cur hoc dicatur, non video, ſiquidem nullum ex jure canonico teſtimonium affertur præter illud c. *Veniens*, ex quo nihil evinci dictum eſt; Hoc igitur dicendum cenſeo; quod ſi ſponſalia eſſent occulta, & caſtitatis votum pariter

ter occultum, ad neutrum servandum cogit Ecclesia; si sponsalia publica, & votum castitatis occultum, Ecclesia ad illa cogeret; Si vero utraque publica, quid Ecclesia factura esset, jus canonicum non resolvit.

117. Opp. 2. Votum illud à Deo non acceptatur; ergo per illud sponsalia non dirimuntur; prob.ant. Deus non acceptat rem alteri promissam; atqui per sponsalia corpus est alteri promissum; ergo. Praeterea; Votum factum in alterius praejudicium nullum est; sed hujusmodi est votum in nostro casu; ergo. Tandem; nullo jure probari potest inesse sponsalibus eam tacitam conditionem, *nisi meliorem partem elegero*.

Resp. ne. ant. ad prob. dis. maj. si in promissione alteri facta non sit tacita conditio, nisi meliorem statum elegero conc., si sit, ne. maj. & dis. mi. ne. cons. Atque hoc argumentum apparet falsum in eo, qui vovet religionem, qui post sponsalia, imo etiam post matrimonium ratum, solvitur à quacumque obligatione contracta, quamvis sit de re alteri promissa; & si reponas, hoc esse concessum à Christo ex privilegio in favorem religionis; dicam ego, hoc etiam esse concessum à Christo ex privilegio in favorem castitatis, & status perfectioris; Hoc autem dici non debet reperiri etiam in aliis promissionibus, quod addo, ut occurram illorum argumento, qui dicunt, quod si teneret nostra doctrina, posset quis post promissa centum diviti, ea postea dare pauperi, quia est melius bonum.

Ad secundum conc. maj. ne. min. siquidem ex illa tacita conditione, quae utrique parti communis est, fit nulli parti praejudicium inferri.

Ad ultimum, in quo totus nodus consistit, dico, nullo jure positivo expresso id probari posse; attamen in jure naturali contineri; nemo enim praesumendus est velle per sponsalium promissionem in tam excellenti bono sibi detrimentum inferre.

118. Dices si ita est; etiam per coelibatum sponsalia dissolventur, quia, ut ait Concil. Trident. sess. 24. can. 10. melior est ac beatior; proindè conjugali statui praeferendus.

Resp. ant. esse verum, si coelibatus continentiae voto sit stabilitus; falsum autem, si è contra; non enim quaecumque melioris perfectiorisque vitae electio sponsalia dirimit; sed illa tantùm, in qua reperitur status; ad quem juxta S.Th. 2.2. q.183. art.1. duo requiruntur, nempè immobilitas & obligatio; ita ùt eligens ad libitum mutare non possit; alioquin praetextu vitae perfectioris relictis prioribus sponsalibus ad alia posset transire; quod absurdum evitatur, si coelibatus continentiae voto sit obstrictus; sic enim redduntur illicita & invalida quaecumque alia sponsalia; Ex quo habes, quod si votum castitatis esset tantùm ad tempus, sponsalia non dirimeret; quia non constitueretur vovens in statu immobili cum perpetua obligatione.

119. Instabis contra dicta superius Conjux castitatem vovens illam solùm vovet in sui praejudicium, nequaquàm in alterius; neque per hujusmodi votum matrimonium dissolvitur, sed tantum fit, ut vovens perpetuò obligetur ad non petendum; ergo similiter vovens post sponsalia castitatem, illam vovet in sui praejudicium, non in sponsae proinde sponsalia non dirimentur.

Sed contra; argumentum à matrimonio, quod indissolubile est quo ad vinculum, & obligationem ex utraque parte includit; non potest protrahi ad sponsalia, quae pluribus ex aliis titulis dissolvi possunt: & si valeret, sequeretur, quod sicuti contracto matrimonio ac consummato non potest quis ingredi religionem, nisi accedente mutuo conjugum consensu; ita neque contractis sponsalibus, quod est falsum.

120. Ex hisce ita resolutis jam habes etiam per votum suscipiendi ordines sacros sponsalia dirimi; cum votum illud

illud esse nequeat sine voto castitatis, sicuti sine tali voto nequeunt esse ipsi ordines: & quidem ita censeo dicendum esse de voto ad sacros ordines ascendendi, sicut de voto religiosum statum amplectendi, & ideo in contractis sponsalibus semper subintelligi conditionem, nisi clericalem statum in sacris ordinibus elegero. Observa tamen, quod votum castitatis, & votum suscipiendi sacros ordines in hoc differunt, quod cum illud adimplere pertineat ad solam voventis voluntatem, per idem statim dissolvi sponsalia, cum hoc verò solvi possit, etiam sine voventis culpa, si v. g. Episcopus nollet illi ordines conferre, per istud nequaquam statim sponsalia dirimi; & ideo, si nollet Episcopus hunc ordinare, prioribus sponsalibus teneretur.

121. Idem dico de illo, qui vovit religionis ingressum; ita ut, quamvis altera pars libera remaneat, attamen qui religionem ingreditur, donec voto se adstrinxerit, solutus non sit; & si à religione dimittatur, debet cum priori contrahere, si ipsa velit: ideo enim per Religionis ingressum sponsalia dirimuntur, quia religio est mors spiritualis, ut habet in 4. dis.27. qu.2.art.3. ad 1., non est autem mors spiritualis nisi propter professionem; ergo ante professionem per hujusmodi ingressum sponsalia non dirimuntur ex parte illius, qui ingreditur.

122. Non desunt tamen Doctores, qui oppositum sustinent, eorumque fundamenta hic subjiciam. Plus requiritur ad dissolvendum matrimonium ratum, quàm sola sponsalia, sed ad illud dissolvendum sufficit professio religiosa; ergo ad ista dissolvenda minus requiretur; 2. Ita se habet novitiatus ad professionem sicut se habent sponsalia ad matrimonium; ille enim est dispositio ad professionem; hæc sunt dispositio ad matrimonium: sed professio dirimit matrimonium ratum, non consummatum cap. *Ex publico*, de conver. Conjug.; ergo novitiatus dirimet sponsalia.

123. Sed contra: argumentum secundum desumptum à similitudine & proportione in nostro casu non tenet, cum versemur in iis, quæ pendent à jure positivo; Hoc autem disponit, per professionem dissolvi matrimonium ratum, non consummatum; non autem disponit per novitiatum dissolvi sponsalia; proinde &c. Ad primum conc. maj. siquidem multò plures sunt causæ, quibus dirimuntur sponsalia, & minùs ad horum dissolutionem requiritur, quàm ad dissolutionem matrimonii tantùm rati; sed hoc minùs servari per novitiatum non habetur in jure.

124. Inferes, 1. Quamdiu quis post contracta sponsalia manet in novitiatu, non potest in sæculo relictus aliquam actionem in illum habere, cum jus habeat religionem per novitiatum experiendi, quod patet in eo, qui matrimonio rato non consummato religionem ingreditur: hic enim, licet religionem deserens teneatur ad sponsam redire; non tamen, dum religionis experimentum facit, potest à sponsa revocari.

Inferes 2. Eum, qui in sæculo relictus est, posse statim alia inire sponsalia; quia solus religionis ingressus est sufficiens causa judicandi, alium sponsalibus renuntiasse. Sed quid dicendum foret, si ambo religionem ingrederentur, & egrederentur? essent ne ambo liberi, vel prioribus sponsalibus tenerentur? sentio, rem ita se habere, ut posset uterque licitè vel ab altero resilire, vel cum eo contrahere; sicuti, si ambo post contracta sponsalia notabli corporis defectu afficerentur, potestiatem haberent vel resiliendi, vel contrahendi; ex quo fit, quod si unus vellet contrahere, alter non teneretur; quia cum uterque suum jus habeat, etiamsi alter velit juri suo cedere, alius non tenetur.

125. Hæc dicta sunt de sponsalibus non firmatis juramento; Utrum verò va-

valeant etiam de illis, in quibus juramentum fuit, videtur oppositum colligi ex c. *Commissum* 16. de sponsalibus, ubi Alexander III. consultus de quodam juvene, qui sub jurejurando promiserat, se ducturum quamdam puellam, & postea religionem amplecti cupiebat, respondet, *Tutius est ei, religione juramenti servata, priùs contrahere, & postea, si elegerit, ad religionem migrare*. Neque desunt alia momenta. 1. Quamvis juramentum in melius commutari possit, quando non est in alterius utilitatem juxta c. *Scriptura* de voto, si tamen in utilitatem alterius factum sit, invita parte in melius commutari non potest: ergo si sponsa velit, jurata matrimonia sibi impleri, ea adimplere tenebitur sponsus: deinde ingredi religionem. 2. Qui juravit, se usuras soluturum, debet illas solvere, quamvis statim possit eas repetere, c. *Debitores* de jurejuran., & qui vovit religionem, si in Episcopum eligatur, tenetur religionem ingredi, antequam consecretur, ut in c. *Tuas* de voto; ergo à pari, qui juravit sponsalia, si velit religiosum statum amplecti, priùs debet contrahere.

126. Mihi verò placet sententia opposita, quam tradit Glos. in cit. cap. *Commissum* ver. *Tutius*, & sequuntur Panorm. num.4., Hostien., Tabien., Navar., Covar., Lancel., Paludan. in 4. dis. 27. qu. 1. art. 3., Sot. qu. 2. art. 5., Ledes., Corduba &c. Si enim quis habet à jure c. *ex publico* de convers. conjug., ingredi posse religionem etiam post contractum matrimonium, quantò magis habebit post contracta sponsalia? nunquid obest juramentum? minimè quidem, siquidem Gregor. III. c. *Pervenit* de jure jurando, juramentum ab eo non infringitur, qui illud in melius commutat, & semper, dum sponsalia contrahuntur hæc conditio intelligi debet, *nisi in aliquid melius commutabitur*, præsertim dum agitur de religione, cui favent omnia jura; generatim verò c. *Quemadmodum* de jure jurando; Revera; Si quis priùs contraxisset cum aliqua suæ conditionis, deinde ita in Rempublicam se gessisset, ut Rex illi dare vellet in sponsam filiam suam, posset à prioribus sponsalibus recedere etiam non obstante juramento; Cur igitur non poterit, dum agitur de religionis ingressu?

127. Imò censeo, quod major injuria parti inferretur, si prius matrimonium cum ea contraheret, deinde religionem adiret; etenim si sponsus religionis causâ ab ea recederet post matrimonium contractum, non levis suspicio oriri posset, id factum esse ob aliquem defectum, & vitium in ea deprehensum; rursùs coget partem ad plurimos sumptus nuptiis perficiendis necessarios, atque ab aliis nuptiis abstinendum, donec vel professionem emittat, vel religionem relinquat, aut à religione dimittatur; & tunc non sine sui dedecore in maritum recipiet, qui post contractum matrimonium monachus fuit; quæ omnia evitantur, si ante contractum matrimonium sponsus, vel sponsa religionem ingrediatur: etenim tunc habetur sufficiens causa sponsalia dissolvendi, atque cum alio contrahendi datur facultas. Quæ omnia per se dicta sunt; nam si inde honoris sponsæ foret periculum, vel rixæ ac neces timerentur; tunc prius contrahi deberet matrimonium, non tamen titulo juramenti, sed titulo periculi vitandi, damnique alieni fugiendi.

128. Ex quibus jam tenes resolutam aliam difficultatem, in qua inquiritur; utrum qui Virginem sub spe matrimonii defloraverit, ingredi possit religionem sive non contracto matrimonio, sive etiam eo contracto ante consummationem; siquidem negativa sententia tenenda est: quia injuria illa resarciri debet, nec moraliter loquendo resarciri potest, nisi per matrimonium ad quod personæ justitiæ vinculo alligata est; unum enim pro alio reddi invi.

vito creditore non potest ex l. 2. §. *Mutui* ff. *Si cert. petat*, neque hoc tantum dico in casu copulæ ac deflorationis, sed etiam si notabilem famæ jacturam propter promissum matrimonium fœmina pateretur; atque ex istis alia hujusmodi resolvenda tibi relinquo.

129. Nunc verò respondendum est iis, quæ dicta sunt num. 125. Pro illius c. *Commissum* explicatione plura dixerunt tum canonici juris interpretes, tum Theologi. Prima est, quam sequuntur Panormit. in cit. cap., & Sanchez cum aliis, quos ipse refert, Pontificem locutum esse de eo, qui nondum de religionis ingressu apud se statuerat, cùm tamen juramentum præstitisset, se intra biennium matrimonium initurum, ait igitur, ne elapso tempore juramentum violaretur, tutius ipsi esse contrahere, & postea *si elegerit*, ad religionem migrare; Certè autem verba illa, *si elegerit* indicant, nondùm fuisse electionem, sed tantùm fuisse inclinationem ad eligendum; hæc autem ab implendo juramento non excusat. Secunda est Patris Suarez tom. 2. de Religione lib. 2. de juramento cap. 13., tutius esse, sponsum priùs de suo proposito sponsam monere, quàm ad religionem transire, ut agnoscat, utrum sponsa tales habeat rationes & causas, ob quas omninò expediat, ut priùs contrahant; in quo casu procul dubio priùs deberent contrahere, & postea sponsus religionem ingredi, & hoc pacto juramentum servaretur: etenim vel sponsa nollet cum eo tale propositum, seu votum habente contrahere: & sic sponsus à juramento solveretur: vel afferret justas causas ob quas contrahere vellet, & sic impleretur juramentum.

Ad primum momentum ne. ant. quod quam falsum sit constat in matrimonio rato, à quo quis in favorem religionis recedere potest, etiam invita sponsa; & ita potest, ut etiamsi juraverit, se consummaturum matrimonium, potest. Ad 2. negatur conf. etenim in adductis exemplis juramentum non est in confirmationem contractus, qui nullus est, sed tantùm est pro solvenda pecunia; in nostro autem casu juramentum est ad confirmandum contractum sponsalium, quo cessante tanquam principali, cessat etiam juramentum tanquam accessorium: est autem hoc discrimen inter juramentum adjectum ad confirmandum contractum, & inter illud ita non adjectum, quod illud non obligat, nisi obliget contractus: hoc verò obligat propter aliam promissionem, ut fit in promissione usurarum solvendarum, & in religionis ingressu, si in Episcopum eligatur; si vis aliam disparem rationem & breviorem; Hæc sit, quod in exemplis adductis nullum est periculum, si priùs juramentum servetur, est autem in re nostra, quia per matrimonium, si contraheretur, evanescere ac frustrari posset religionis juramentum.

ARTICULUS VI.

Quomodo per morbum sponsalia dissolvantur, ubi & quædam alia.

130. EA, quæ in hoc capite breviter expendenda sunt, fermè nullum dubitandi locum aperiunt: ea tamen exponemus; deinde nonnulla dubia proponentur.

Et primò certum est, sponsalia dirimi, si notabilis deformitas superveniat, ut oculorum, vel nasi amissio, paralysis, lepra &c., ut expressè traditur in c. *Quemadmodum* de juramen. ratio est, quia res hoc pacto sunt notabiliter mutatæ, & si in hisce casibus deberet matrimonium contrahi, aditus fieret ad adulteria, & periculo exponeretur maritalis affectus: imò Antonius Cucus lib. 5. instit. tit. 10. num. 63. inquit, solam oris maleolentiam sufficere, quam opinionem dicit communem esse apud jurisperitos, si tamen arte medicinæ removeri non possit. Hoc potiori

jure affirmari debet de morbo gallico & contagioso.

131. Utrum verò dissolvantur, si priùs sponsa esset venusta, deinde effecta esset notabiliter deformis, negant Covar. 4. decret. 1.p. c.5. n.6. Carrer. lib.1. de Sponsal. cap.15. aliique pauci, afferentes laudatum c. *Quemadmodum*, ubi sponsalium dissolutio illi deformitati conceditur, quæ ob oculorum vel nasi amissionem contingit: Verùm affirmativa sententia tenenda est, quia res in eodem statu non permanent, estque facta mutatio notabilis, & talis quidem, ut si hæc deformitas sponsalia præcessisset, nequaquam fuissent contracta: ratio autem desumitur ex eodem capite, nam ideo dicuntur dirimi sponsalia ab oculorum, vel nasi amissionem, quia sibi invicem sponsi displicerent, nec in tali matrimonio felix exitus expectari posset, hoc autem idem valet, si sponsa fuisset priùs pulchra, deinde facta esset deformis; ergo. Neque enim textus, in quibus adducuntur aliqua exempla, ad hæc tantùm limitandi sunt, sed etiam ad similia, ex quibus iidem effectus progrediuntur: unde quamvis in eo capite morbi gallici mentio non habeatur, attamen etiam ad morbum gallicum illud Doctores extendunt.

132. A morbis corporis transeamus ad morbos animi; & quidem tanquam certum suppono, quod si defectus animi tales sint, ut timeatur, matrimonium illud infelicem exitum habiturum esse, per eos irrita fieri sponsalia; sed difficultas præcipua fit, utrum sufficiens & justa causa sit morum asperitas, quæ postea in uno ex contrahentibus cognoscatur. Videtur id negari in cap. *Veniens*. *Qui Clerici vel voventes*, cum ibi dicatur, non dissolvi ex eo, quod sponsæ plura relata sint de sponsi severitate; sed contrarium omninò tenendum est, quia sicut ista, si priùs fuisset cognita, contractui locum non dedisset; ita postea cognita contractum efficit nullum, & si morum asperitas est sufficiens causa divortii, ut in c. *Litteras* de restit. spoliat. à fortiori sponsalia dissolvet; Quare ad textum in oppositum adductum dicendum est, quod aliud sit ab aliis aliquid audire, aliud certò aliquid cognoscere; Primum quidem non sufficit, utique tamen secundum.

133. Cum verò paupertas sit quædam infirmitatis species: hic inquirendum existimo; utrum notabilis mutatio in divitiis justam causam præbeat sponsalia dissolvendi.

Dubium hoc resolvendum est per aliqua, quæ certa sunt, & per aliqua, quæ probabilia.

Certum videtur primò, quod, si mulier pauper sed nobilis contraheret cum viro ignobili, sed valde divite, paupertas superveniens viro justam tribueret causam resiliendi; quia ideo contraxit, quia ejus nobilitas viri opibus erat conservanda, cum quo secùs nullo pacto contraxisset, igitur deficiente hac subintellecta conditione contractus est nullus: Eadem ratio probat, si vir pauper sed nobilis contraxisset cum fœmina ignobili. sed valde divite, & postea huic superveniret paupertas.

Certum videtur secundò loquendo absolutè, quod si sponsæ superveniat paupertas, & sponsus non habeat, quo possit illam juxta proprium gradum servare, ex parte sponsi dissolvi sponsalia, quia in hoc casu sponsa non poterit onera matrimonii sustinere; Eadem ratio probat ex parte sponsæ, si tanta paupertas superveniat sponso, ut sola dote nequeat ipsa & familia juxta matrimonii conditionem sustentari.

Incertum verò est primò, utrum superveniente tali paupertate ex parte sponsi, vel sponsæ, quæ necessaria onera matrimonii non impediat, juste ex parte alterius dissolverentur sponsalia; & è contrario si magna copia divitiarum accederet ex parte unius.

Quantùm ad primum censeo, justam causam esse dissolvendi; matrimonium enim non contrahitur tantùm pro-

propter ejus onera ſuſtinenda, ſed etiam ad alios fines, nempe vel ad nobilitatem opibus paulatim comparandam, vel ad filios & poſteros divites relinquendos: igitur licet ſuperveniens paupertas unum finem non impediat, impedit tamen alios, & quidem illos, propter quos homines ſolent inire matrimonia; Quod ſi exhæredatio ſponſi, vel ſponſæ ſufficiens eſt cauſa dirimendi ſponſalia, cur non ſuperveniens paupertas? Ratio eſt, quia, ut habetur in c. *Quemadmodum* de jurejurando, qualibet notabilis mutatio vel in perſonis, vel in bonis ſatis eſt, ne valeant ſponſalia jam contracta.

Quantum ad 2. negant Sanch. diſput. 59. num. 9. & Coninch. diſp. 23. num. 69. Quemadmodum enim ſi ſponſa tempore ſponſalium erat ignobilis & deformis, & poſtea facta ſit nobilis ac venuſta, non poteſt juſtè à ſponſalibus reſilire; ita ſi priùs pauper, facta ſit dives: at ſicuti ſi equus venditus ſit pretio, quod tunc juſtum erat, non impediet venditionem, ſi traditionis tempore pretium adauctum ſit, nec venditor contractum poteſt irritum facere, ita nec ſponſus, ſi poſt ſponſalia plures divitias comparaverit.

Mihi tamen magis arridet ſententia contraria, ad quam ſuadendam occurrit illa regula generalis, nempe, quotieſcumque aliqua nova cauſa emergit, quæ ſi præceſſiſſet, ſponſalia non fuiſſent contracta, juſtam præbet cauſam ſponſalia dirimendi; ſi autem tanta copia præceſſiſſet, profectò ea ſponſalia contracta non fuiſſent, ut ipſe ſponſus vel ſponſa reſponderet, ſi interrogaretur: ergo. Ratio autem eſt, quia in hoc contractu id præcipuè conſiderandum eſt, quod ad indiſſolubilem animorum conjunctionem confert, nec ex eo timeri poſſit malus exitus matrimonii; ſi autem detur notabilis mutatio in divitiis ex parte unius, difficulter animi conjungi poſſent, & facilè matrimonium malum exitum ſortiretur: proin- de &c.

Ad primum argumentum, nego mutationem in Nobilitate cauſam ſufficientem non eſſe; quantum verò pertinet ad venuſtatem, hæc tanti habenda non eſt, quanti habetur mutatio illa, quæ per magnam divitiarum copiam obtinetur, cum ſponſus, vel ſponſa ad ſubliniorem gradum evehitur. Ad 2. in contractu emptionis & venditionis ſpectatur ſolùm utilitas ementis & vendentis; in ſponſalibus verò præcipuè attenditur animorum conjunctio, ad quam plurimùm refert æqualitas.

134. Sed quid dicendum foret, ſi ſponſalia eſſent contracta abſque ulla promiſſione dotis? tunc paupertas ſuperveniens ſponſæ nullum detrimentum afferret ſponſo; ergo adhuc valerent ſponſalia. Ita de facto tenent Covar. 4. decret. 1. p. cap. 5. num. 5. Maſcard. de probat. concl. 577. num. 2. Barboſa ff. *ſoluto matrimonio* num. 32., quia non eſt verum, dote non promiſſa, omnia bona in dotem ſponderi, in quo conſiſtit potiſſimùm fundamentum opinionis contrariæ. Præterea, ſi nullum de dote pactum ſponſus injecit, ſibi tribuere debet, ut cum Gloſ. c. *Quemadmodum* ver. oculos docent Hoſtienſ. ver. juramentum, Menoch. conſ. 386. aliique plures, quorum tamen aliqui limitant, ſi ſponſus ſit ita dives, ut onera matrimonii valeat ſuſtinere, atque hæc ſententia mihi probabilior videtur. Oppoſitum verò dicas, ſi dos promiſſa fuerit, & propter ſupervenientem paupertatem ſolvi non poſſit; quia promiſſio dotis eſt veluti conditio, ſub qua ſponſalia celebrata ſunt, & ideo deficiente hac conditione contractus ille nullus eſt. Sunt aliqui Doctores exiſtimantes, quod, ſi dos ſolvi non poſſit ſine culpa ſponſæ, adhuc ſponſalia tenent; ſed non ſunt audiendi, alioquin etiam infirmitas, quæ procul dubio eſt ſine culpa ſponſæ, ea non diſſolveret; quod eſt falſum.

AR-

ARTICULUS VII.

Utrum teneantur sponsi occultos defectus sibi manifestare.

135. Observandum est, aliquos esse defectus, qui notabiliter sponso displicerent, nec non obessent futuræ proli, ut morbus gallicus, lepra, & quicumque morbus, qui ad contagionem reducitur, præsertim, si ante nuptias nulla spes curationis supersit; Rursùs aliquod crimen, quod facilè in publicum judicium deduci posset, ex quo gravis infamia posset oriri, & de vita, vel exilio perpetuo posset contrahens periclitari. Aliquos verò esse tales, ut non sint notabiliter noxii, ut fornicatio, & paupertas, talis tamen, ut onera matrimonii, prout ad contrahentium statum pertinet, non impediat, sicut & ignobilitas alterius nobilitati notabiliter non inferior; Demùm aliquos, qui facilè aliis mediis, præter quam ex contrahentis manifestatione cognosci possunt, & ita quidem, ut quamvis eorum quis conscius esset, nilo tamen minùs contractum iniret. His præsuppositis.

136. Nullum dubium esse posse judico, licitumque censeo, defectus illos occultare, quorum cognitio, etiamsi contrahentes non manifestent, haberi potest; etenim, si altera pars nullam diligentiam adhibet, ut eorum conscia fiat, jam censetur cedere juri suo, sibique imputet, si fuerit decepta: atque hoc multò magis dicendum est, si, quamvis hujusmodi defectuum non ignara, adhuc contraxisset. Contrarium verò dicendum est, si tales sint defectus, quorum notitia ab alio haberi non potest, quàm à parte contrahente; tunc enim est talis deceptio, quæ etiam juri naturali repugnat; quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris; neque cum alterius gravi damno, & jactura potest quis proprium commodum ac utilitatem sibi comparare juxta regulam 48. juris in 6.

137. Teneri etiam sponsos ad eos defectus manifestandos, qui notabiliter parti displicerent, & obnoxii essent proli, vel gravem infamiam inferre possent familiæ procul dubio tenendum est; si enim dum aliqua res venditur, debent ejus vitia, quæ cognosci non possunt, & emptori nocerent, manifestari, multò magis id in sponsalium contractu fieri debet, in quo corpus unius promittitur commutandum cum corpore alterius.

138. Si verò de sponsæ defloratione, aut ignobilitate & paupertate agatur, censeo sponsam non teneri ad istos defectus manifestandos; siquidem nemo tenetur sibi dedecus inferre, & ex alia parte spectat ad partem contrahentem de illis inquirere; præsertim quod non videntur matrimonio notabiliter obesse, cum nec impediant socialem vitam aut generationem, nec honestam educationem prolis, propter quæ matrimonium primariò institutum est; Si autem sponsa certa foret de sua sterilitate, & cum aliquo illustri, vel divite viro contraheret, illum admonere deberet, aliter in re gravissima illum deciperet.

Hæc ita dicta sunt, ut quamvis defectus istos manifestari non oportet; ille tamen, qui illis laborat, licitè non possit media alterum positivè ad nuptias inducentia adhibere; quia tunc ad fraudem confugeret, quæ semper est prohibita.

139. Oppones tamen ad probandum, in nullo casu teneri sponsos ad suos defectus manifestandos. Primò. Si quis ludat, certusque sit se lucraturum; non tenetur ad suum colludentem admonendum; etenim in naturalibus ludis hoc evenit, ut quod in uno contingit uni, in alio ludo contingat alteri; igitur nec sponsus aliquibus occultis defectibus laborans tenetur ad illos sponsæ manifestandos; nam quod accidit uni occulto defectu laboranti, potest accidere alteri, & sic in hoc contra-

tractu censeatur mutua compensatio tacita sponsorum voluntate recepta.

Secundò. Nemo tenetur, præsertim non interrogatus, sua vitia pandere, & sibi debet imputare sponsus, si cum aliqua defectibus laborante contraxit; ad ipsum namque pertinebat prudenti indagine sponsæ vitia explorare.

140. Ad primum; omitto antecedens, & valde dispar est ratio; etenim in ludo agitur de lucro, vel damno pecuniæ, quod æquali modo uni vel alteri contingere potest, & hac lege ludus acceptatur; at in sponsalibus agitur de indissolubili vinculo inter personas contrahendo, quod nisi præcedat personarum cognitio perpetuis discordiis, & dissensionibus locus aperitur. Ad secundum patet quid dicendum sit, superiùs enim plura distinximus, quæ occultari possunt, & parti tribuendum est, si ignorentur; plura verò, quæ manifestentur oportet.

141. Sed quid dicendum esset, si sponsus interrogaret, & scire vellet à sponsa, utrum esset corrupta per alterius copulam? teneretur ne sponsa ad manifestandum? Sanch. lib. 6. disp. 27. num. 8. & 9. sentit, posse suam corruptionem celare, si vir vitium hoc agniturus non sit, vel etiamsi agniturus sit, existimari prudenter potest, id non ægrè esse laturum; ait tamen ad suæ corruptionis manifestationem nullo pacto ex justitia teneri; primò quia, nemo tenetur sibi infamiam ac dedecus inferre: Secundò, quia, sicut conjux in sui viri opinione casta, sed reipsa adultera, non tenetur viro interroganti adulterium aperire; ita nec puella opinione virgo, sed reipsa corrupta, tenetur à sponso interrogata, corruptionem fateri.

142. Hanc sententiam in omnibus rejiciendam non esse, nequaquam inficior; Si enim fœmina id negat, facilè percipere potest, nunquàm id esse affirmaturam; proinde aut alia via sibi consulat, ut cognoscat; vel nisi aliud se facturum decernat, nequaquam interroget: Sed si revera interrogat, ut revera sciat, & contracta sponsalia sibi displiceant, si eam corruptam esse, comperiat; omninò dico, fœminam ad id manifestandum teneri, aut sponte ab ipsis sponsalibus recedendum, dicendo v. g. Quid hoc à me quæris? vide, te tricas quærere, atque parùm consonas interrogationes immiscere, si virginitas mea à te in dubium revocatur, nec ego te digna, nec tu me dignus; Quæras aliam, de qua non dubites, mihi alius non deerit, qui non dubitet. Alia similia, & fortasse acutiora, sponsæ occurrent, ut respondeat; Fœminarum enim artes quis novit?

143. Interim tamen, si sponsus hoc sibi manifestari petat, & sponsa in contractu velit permanere, sentio, ex justitia id esse manifestandum, habet enim vir jus interrogandi, est igitur in puella debitum respondendi, neque aliqua poterit uti æquivocatione, sicuti si quis rem aliquam velit emere, & de illius qualitate interrogat, tenetur venditor juxta mentem interrogantis respondere; Quemadmodum verò venditor non tenetur ad vitium rei, quæ venditur, manifestandum, si facilè emptor possit illud agnoscere; ita nec sponsa, si &c.

144. Momenta verò num. 141. in contrarium adducta, parùm suffragantur; & quamvis videatur, maximam in angustiam cogi puellam, si ad id fatendum adstringatur; attamen sibi vertat, quæ culpa sua ad eas se coegit; debuisset enim hæc omnia prævidere, ut se ad melius matrimonium præpararet; pœnam sentiat, qui culpam patravit, neque misericordia adhibenda est uni, si alteri detrimentum fiat.

Ad primum: Id verum est, quando alteri non fit injuria, & quando non coactè id fiat; hoc autem postremum non contingit in casu, cum & sponte contractus factus fuerit, & sponte possit dimitti.

Ad

Ad 2. valde dispar est ratio, nam in primo casu agitur de privanda conjuge jure, quod possidet, in secundo autem de non admittenda ad jus, quod nondum habet; plus autem requiritur ad auferendum jus possessum, quam ad non admittendum ad jus, nondum possessum.

ARTICULUS VIII.

Quænam probatio requiratur ad sponsalia dissolvenda, & an sit necessaria judicis authoritas.

145. UT inceptus ordo servaretur inquirendum esset de aliis causis, quibus sponsalia dissolvuntur; sed quod attinet ad vocem publicam, revocatur ad aliquod impedimentum, quod esse inter sponsum, & sponsam publice innotescat; quod vero spectat ad affinitatem, dicetur in quæstionibus de matrimonio; Quare cum actum sit usque modo de justis titulis dissolutionis, inquirendum superest 1. quænam probatio requiratur.

146. Ut duplex est forum, nempe internum & conscientiæ, nec non externum; Duplex etiam admitti debet probatio, & aliquando quæ uni sufficit, nequaquam satis est alteri; sic privata cognitio fornicationis, quæ sit certa, sufficiens est sponso ad sponsam in foro conscientiæ dimittendam; tamen sufficiens non erit pro foro externo, si ab eo, qui sponsalia dissolui petit, allegetur: huic enim, ut parti, fides non est adhibenda: è contrario aliqua probatio sufficiet pro foro externo, quæ non sufficiet pro interno, ut si juxta scientiam privatam esset falsa, & tamen secundum allegata & probata fidem faceret ut vera.

147. Atque in primis certum mihi videtur, probationem dubiam ad sponsalia dirimenda justam causam non præbere; Si enim dubitans, an creditori debitum solverit, nequit Creditorem jure suo spoliare, etiam sponsus dubius ex. g. de sponsæ fornicatione, nequit istam suo jure, quod possidet, privare; illudque servandum est, quod in dubiis melior sit conditio possidentis.

148. Idem etiam dicendum censeo, si probatio sit tantum probabilis, nisi conjuncta sit cum morali certitudine, quæ habeatur ex circumstantiis aut facti de visu, aut testis de auditu: ratio est, quia probabilitas unius partis non aufert probabilitatem alterius, quando autem pro utraq; parte est probabilitas, melior est conditio possidentis; & dato quod in humanis negotiis probabilitas honestam efficiat actionem, non sic tamen, quando agitur de tertii damno, ut c. *Veniens ad nos*, de testibus.

149. Quid tamen dicendum esset, si certa probatio deficeret, esset tamen adversus sponsam rumor vel fama; Datur hoc discrimen inter populi rumorem & famam, quod tunc dicitur rumor, quando pars aliqua quispiam affirmat, tunc verò fama censetur, quando major pars loci, vel Civitatis exclamat. Dicendum existimo, populi rumorem nequaquàm sufficere. Rumor enim, nisi aliæ rationabiles causæ accedant, judicatur invalidus in cap. *Super eo*. *De eo, qui cognovit*. Quod quidem valet tam quantùm ad forum externum, quàm internum; quia etiam quantum ad istum certa ac rationabilis causa esse debet in sponso, ut sponsalia dirimat. Ratio autem meæ opinionis est, quia per sponsalium dissolutionem gravis sponsæ fertur injuria, atque infamiæ nota non levis inuritur; ita enim fieret, ut quod prius per populi rumorem adhuc dubium remanebat, per sponsalium dissolutionem tanquam certum usurparetur. Quid vero de fama dicendum sit, inferius exponetur.

Neque obstat, quod si hic populi rumor fuisset ante contractum, sponsus nullo pacto contraxisset; quia ex eo aliqua infamia etiam redundat in sponsum;

fum; etenim non omnis causa, quæ si ab initio fuisset, contractui non dedisset locum, sufficiens est ad dissolvendum contractum; sed esse debet rationabilis, qualis non est populi rumor, qui plerumque falsus est, & quamvis in sponsum aliqua denigratio redundare videatur; attamen cum gravi sponsæ detrimento aufferri non debet; sed alia media sunt inquirenda. Quæ autem media? statim dico: procedat sponsus ad rei veritatem indagandam, & Si post diligentem, prudentemque inquisitionem certior fiat, tunc justissime sponsalia dirimat, si ita placet; si vero probare non possit, remaneat sponsa in jure suo, & sponsalia complendo, populi rumor evanescet, & ora nefaria conticescent, & confundentur.

150. Hæc dixi pro foro interno, nunc aliqua subdam pro externo; Qua in re inquiritur, an unus testis sufficiat: & sentiendum est affirmative si sermo sit de impedimento matrimonium dirimente, & habetur c. *Super eo* 2. de testib. & attest., si vero de reliquis impedimentis, duo saltem testes necessarii sunt; ut ex cap. *Præterea* 2. de sponsalibus. Ratio primi est, quia ibi agitur de peccato vitando, quod committerent contrahentes, ad peccatum autem vitandum sufficit etiam unus testis, hic autem juramento adstringi debet, quod si renuat, tanquam suspectus est rejiciendus; quam regulam communiter à Doctoribus receptam tradit S. Bernardus ad Eugenium dicens; *Hoc tibi constituas, ut omnem, qui palam veretur dicere, quod in auribus loquutus est, suspectum habeas*. Ratio secundi est, quia dum agitur de tertii præjudicio, unius testimonium acceptandum non est, ex cap. *Licet ex quadam*: cap. *Veniens*: cap. *Cum à nobis*, & quamvis ista decreta non essent, hoc satis colligeretur ex jure naturali, & divino; naturali inquam, quid enim facilius est, quam unum corumpi, atque in partem deteriorem deduci? divino vero, cum Deuter. 19. legatur: *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit*; & Mat. 19. *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*.

151. Dum vero de testimoniis loquimur, observandum est, non omnes ad hujusmodi officium aptos esse; aliquas propterea conditiones necessarias esse affirmant omnes, illæque hisce versiculis explicantur in glos. cap. 2. de testibus.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama.
Et fortuna, fides in testibus ista requiret.

Defectu conditionis utrumque jus servos excludit l. *Quod attinet* de reg. juris 33. & l. *Quoniam liberi* c. *de testibus*, ratio est, quia, ut ait Isidorus in dictum caput, metu dominorum testimonium supprimunt veritatis: jure tamen naturali a testimonio ferendo non prohibentur, quia quantum pertinet ad naturam nulla est in hominibus inæqualitas; excluduntur etiam ascendentes, descendentes, & collaterales, ut in l. *Testis idoneus* ff. *de testibus*, unde nec Pater testis esse potest pro filio, nec filius pro Patre, neque aliquis domesticus. Excipiendus est tamen casus, in quo agatur de impedimento Consanguinitatis, etenim 35. q. 6. can. 1. legitur. *Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel Consanguinitatem in Synodo computet, sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet, idest Pater, Mater, Frater, Soror, Patruus, Aumculus &c.*

152. Defectu sexus excluditur jure canonico Mulier in criminalibus can. *Mulierem* 33. q. 5. exceptis tamen criminibus læsæ majestatis, hæresis, & simoniæ cap. *Tanta* de simonia. Si vero de civilibus agatur fœminæ testimonium admittitur ab utroque jure can. *Ex eo* 15. q. 3. jure autem civili admittitur etiam in criminalibus exceptis ultimis voluntatibus l. *Qui testamento* §. *Mulier*,

lier, ff. de testam. & constit. Si fuerit quis hermaphroditus, attendendus est quinam sexus prævaleat, ut ait Paulus juris consultus l. *Repetundarum*, ff. *testibus*.

153. Defectu ætatis non admittitur jure canonico vir ante pubertatem can. 1. 4. q. 3. ubi dicitur, *Ad testimonium infra annos 14. ætatis suæ non admittatur*. Hoc in civilibus; in criminalibus vero ante annos 20. l. *In testimonium* ff. de testibus; si tamen ante pubertatem doli capax erat, testari poterit de visis in pubertate; Dum discretionem legis, intellige exclusos furiosos & dementes.

154. Defectu famæ excluduntur infames, perjuri, publici excommunicati, ejusdem criminis participes, famosi libelli authores, Histriones, ut l. finali cap. *de accusationibus* 4. q. 1. can. 1., & cap. *personas* de testibus. Excipe tamen casum hæresis, læsæ majestatis, falsæ monetæ, sortilegii, & alia crimina, quæ sine socio committi non possunt, in quo etiam criminis particeps tanquam testis admittitur.

155. Defectu fortunæ excluduntur personæ viles & inopes, nisi honestæ sint; siquidem l. *in testibus* decernitur diligenter spectandam esse fidem, morum probitatem, ac honestæ vitæ rationem: Observandum tamen est, quod si aliunde veritas haberi non posset, etiam infames in subsidium testari possent, ut adnotarunt Modestinus l. 7. ff. de testibus, & Julius Clarus lib. 5. praticæ criminalis quæst. 24. &c. *Item infamis*. Et idem dicendum est etiam de aliis, quos à testimonio ferendo superius exclusimus.

156. Devenio modo ad resolutionem secundi puncti in titulo propositi. Jam de impuberum sponsalibus dictum fuit num. 87.

Loquendo generatim, quando habetur certitudo justæ causæ & facti nulla per se requiritur judicis sententia, sed solum per accidens, nempe si aliquod scandalum oriri posset; ratio est, quia in sponsalium contractu semper est tacita conditio, nempe, si nulla ex illis causis contingat; si vero causa illa occulta sit, & sponsalia sint publica judicis sententia desideratur, non quidem sub pœna peccati lethalis, quia nullo jure id præcipitur, sed solum venialis, ut docent Angel. Sylvest. Navar. &c. Quod si causa dubia sit vel in jure, vel in facto, peccaret lethaliter, qui proprio judicio sponsalia dissolveret; quia probabile foret injustitiæ periculum: Utcumque autem res se habeat, judex iste potest esse tantum Ecclesiasticus, vel ordinarius vel delegatus, cum hæc sit materia spiritualis; excipe tamen Parochum, qui in foro externo nequit esse judex, ut docet Palud. in 4. dist. 27. q. 1. num. 38.

ARTICULUS IX.

De publicis denuntiationibus.

157. Antequam de istis pauca proferam, inquiram, qua ratione sponsalia præmittenda sint matrimonio; Nulla procul dubio est necessitas, cum absque illis firmum ratumque matrimonium sit, neque aliqua communi lege ea præscripta esse reperiamus. Laudabilis tamen est præcedentium sponsalium contractus, & quia futuri matrimonii onera attentioni ac graviori judicio perpenduntur, & quia magis contrahentes ad gratiam sacramentalem possunt se disponere; & quia tempus conceditur adimplendi conditiones in contractu statutas: Aliam rationem reddit S. Augustin. l. 8. confess. cap. 3., nempe; *institutum est, ut jam partæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam*: Rationem aliam inferius leges.

158. Publicarum denuntiationum, seu bannorum usus antiquus est in Ecclesia Christi, qui, ut arbitror, originem duxit à Christianorum consuetudine;

dine; qui cum inire matrimonium vellent, à consilio Episcoporum, ac Sacerdotum dependebant, eorumque arbitrio se ipsos moderabantur, ut indicat S. Ignatius Martyr in Epist. ad Polycarpum, & colligi potest ex Tertul. lib. 2. ad uxorem cap. 9. usus iste transiit in præceptum ab Ecclesia impositum, ut habetur ex Concilio Lateran. IV. an. 1215. cap. 51., quia etsi in aliquibus locis servaretur, nequaquam tamen in omnibus; & quoniam nec hujusce Concilii disciplina ubique recepta erat, strictius innovata fuit in Trident. sess. 24. de reformat. matrimonii cap. 1., cujus verba non refero, cum unusquisque facillimè legere possit; Quare autem ita præceptum fuerit satis indicat laudatum Concilium Lateranen. quod ibi ita loquitur. *Statuimus ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponatur, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominùs investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis.* Quod autem pro competenti termino dixit Lateranense ad tres dies festivos continuos revocavit Tridentinum; & ita quidem, ut si ordinarius loci expedire judicaverit, denuntiationes istas esse remittendas, illius prudentiæ & judicio à Sancta Synodo res relinquatur: ex quo inferas ad matrimonii valorem illas nequaquam esse necessarias; Sed etiam dum legis tres dies festivos continuos, ne intelligas tali pacto, ut nullum sit inter unum & alterum diem intervallum, siquidem convenit, ut tanta detur temporis mora, ut, si quod esset, impedimento detegendo sufficiat, imò in Concilio Provinciali Coloniensi sub Adolpho Archiepiscopo tit. *Censuræ*; & Concilio Moguntino sub Sebastiano can. 38. id tanquàm minimè juri consonum decretum jam fuerat.

159. Quo in loco fieri debeant hujusmodi denuntiationes olim non fuit eadem omnium sententia: Innoc. III. in c. finali, censuit faciendas esse in omnibus Ecclesiis loci, ubi contrahentes domicilium habent; aut saltem in pluribus, ut matrimonium contrahendum ad omnium notitiam perveniat; siquidem cum agatur de vitando peccato, cautiùs agendum est, quam in aliis rebus, pro quibus fieri solent publicationes. Alii existimarunt, satis esse, si fierent tantùm in una Ecclesia, vel in illa Parochia, in qua matrimonium celebrari debet. Nihilominùs asserto decreto Tridentini sess. 24. c. de matrim. faciendæ sunt in utriusque contrahentis Parochia, & ratio manifesta est; quia ideo fiunt, ut si quis contrahentium noverit impedimentum, illud manifestet; at in Parochia mulieris ignorari potest impedimentum viri, & è contrario; ergo. Pro Parochia autem non est accipienda ea, in qua novum domicilium habent, sed in qua diutiùs versati sunt; quia hoc pacto denuntiationum finis aptiùs & securiùs servatur.

160. Cum verò dictum sit, attento jure novo posse ordinarium in denuntiationibus dispensare, inquiri potest, an hæc facultas conveniat etiam Vicariis Generalibus, & in aliquo casu etiam Parochis. Quantùm ad primum, Sanchez lib. 3. disp. 7. num. 10. cum pluribus aliis, quos ibi citat, affirmat; nisi tamen Episcopus eam sibi specialiter reservaverit; Qua in re disertè loquitur Concilium Narbonense an. 1609. dicens, *Matrimoniales denuntiationes solus Episcopus, vel ejus in spiritualibus Vicarius Generalis ex causa bene nota remittat.*

Quantùm verò ad secundum, difficultas revocatur ad casum, quo malitiosi impedimenti foret timor & suspicio; Nonnulli affirmant, nisi constitutio

tio Synodalis, vel Episcopus id sibi reservet; censeo tamen contrarium tenendum esse, siquidem Concilium Tridentinum non correxit Concilium Lateran. sub Innoc. III. sed illud innovavit, unde dicit, *Sacri Concilii Lateranensis vestigiis inhærendo &c.* atqui tunc juxta omnes non poterat Parochus dispensare; ergo nec potest; hinc si Parochus sua authoritate in casu malitiosi impedimenti denuntiationes omitteret, esset puniendus, ut inter cæteros observat Gutier. 1. p. de juram. cap. 51, num. 25.

161. Plures autem esse possunt justæ causę, quibus moveri potest Episcopus ad dispensandum. Prima: si forent duo concubinarii, & vellent matrimonium inire, siquidem tunc foret periculum, ut, dum denuntiationes præmittuntur, commiscerentur, aut sententiam mutarent. Secunda: si aliquis in mortis periculo constitutus vellet concubinam ducere, ut prolem susceptam legitimam efficeret. Tertia: si repentinus casus matrimonii contrahendi occasionem præberet, v. c. si aliqui deprehensi essent tanquàm concubinarii, & à Judice plectendi, ut possent asserere, se conjugio copulatos esse. Quarta: si priùs contractum esset publicè matrimonium, & ab occultum impedimentum, nullum repertum esset. Quinta: si aliqui concubinarii existimati sunt tanquàm conjugati. Sexta: si timeretur, consanguineos injustè impedituros esse matrimonium. Septima: si per denuntiationes nimio pudore suffunderetur unus ex contrahentibus, v. c. si valde senex matrimonio duceret puellam; si valde nobilis ignobilem &c. Octava: si Magnates contrahere velint, siquidem eorum matrimonia sine aliqua denuntiatione sunt satis publica; & satis notum est, an inter contrahentes sit aliquod impedimentum. In omnibus tamen casibus, in quibus justa causa dispensandi contingit, Ordinarius prudenter se gerat, & quantum fieri potest res, prout decet, perpendat.

162. Hic autem aliqua possunt inquiri. 1. An possit Episcopus illi, cum quo dispensat, aliquam pecuniariam pœnam imponere ad aliqua pia opera.

Videtur sentiendum affirmativè, quia juxta regulam, *cui licet*, de regulis juris in 6. Cui licet id, quod plus est, licet etiam id quod minùs est; plus autem est dispensare, quam commutare, & hoc manifestum est in voto, in quo qui potest dispensare, potest etiam in aliud opus illud commutare; ergo Ordinarius, qui facultatem habet dispensandi in denuntiationibus, potest illi, cum quo dispensat, aliquam pœnam pecuniariam imponere. Præterea: illi, cum quo dispensatur vel de audiendo sacro, vel de servando jejunio, imponi potest aliqua pecuniaria pœna in eleemosynas eroganda; ergo a pari.

163. Oppositum magis placet; siquidem Trident. tantùm concedit facultatem dispensandi, non autem commutandi obligationem legis in aliam materiam, & assertionem confirmo, quia idem Trid. sess. 25. de reform. c. 18. præcipit, dispensationem gratis faciendam esse, si autem imponeretur aliqua eleemosyna, gratis nequaquam fieret; & sicuti, quia idem Concilium sess. 21. cap. 1. de reformat. jubet, ut dimissoriæ ab Episcopo gratis concedantur, non potest Episcopus aliquem obligare, ut pro ipsis obtinendis aliquam eroget eleemosynam; ita quia præscribit, dispensationes gratis esse faciendas, non potest &c. Merito propterea Sot. in 4. dis. 28. quæst. 1. art. 2. concludit: *Cum subest causa dispensandi in denuntiationibus, iniquum est dispensatis imponere aliquam multam etiam pro fabrica.* Idem dico de dispensatione audiendi sacrum die festo, & jejunium servandi, & oppositum tantùm fieri poterit à Summo Pontifice, qui nullis subditur legibus. Quod verò dictum fuit de voto, non tenet, quia votum strictius obli-

obligat, quam obligent denuntiationes, ut omnibus compertum est, qui illius, & illarum naturam non ignorant.

Verum tamen est, quod si justa causa dispensandi oriatur ex delicto, putà ex concubinatu, aut Virginis defloratione, tunc aliqua pœna imponi poterit; sed hæc pœna non erit ob dispensationem, sed in delicti, ac sceleris pœnitentiam.

164. Secundò inquiritur, an, si existente justa causa dispensationis, Ordinarius nolit dispensare, possit matrimonium absque denuntiationibus celebrari.

Responsio est affirmativa; præcipuè in certis casibus, in quibus justa causa magis urget; ut si quis malitiosè vellet matrimonium impedire; vel si quis sit in periculo mortis constitutus, & agatur, vel de legitimanda prole jam suscepta, vel de statu gratiæ sibi comparando; imò dantur aliqui casus, in quibus etiam non petita dispensatione possit quis absque denuntiationibus contrahere, ut si instaret communionis præceptum in Paschate, vel Jubilæi tempore, quod sine scandalo omittere non posset; & generatim juxta dubium propositum loquendo, si Ordinarius absque legitima causa dispensationem neget, cum ista sit debita, habetur pro concessa; secùs verò dicendum est, si adsit quidem justa causa dispensandi, attamen non tanta, ut Episcopus, quamvis posset, teneatur ad dispensandum, ex. ca. vel ob contrahentium verecundiam, vel ob eorum notabilem disparitatem; quia tunc dispensatio debita non est, sed gratuita, nullaque injuriam per negationem irrogatur; non enim quælibet causa sufficiens ad obtinendam dispensationem in præcepto; satis est, ut seclusa dispensatione, ab illus excuset transgressione; siquidem authoritas superioris supplet in eo, in quo deficit ipsa causa, ut excuset; aliter impertinens esset dispensatio, quando sola causa excusaret.

165. Quæres postremo, ut alia prætereamus, quomodo se gerere debeat Parochus, qui novit aliquod impedimentum.

Respondeo. Vel novit per confessionem sacramentalem, & tunc non potest denegare petentibus, quod in nuptiis ad se attinet, quia notitia per sacramentalem confessionem comparata talis est, qualis si non esset, atque ad summum poterit nuptias dissuadere, nequaquam prohibere. Si autem extra confessionem aliquod noverit impedimentum, & ipsi soli notum sit, adhuc matrimonium petentibus denegare non poterit, cum nequeat simul esse Testis, & Judex; Si verò impedimenti notitia sibi ex aliorum testimonio facta sit, nec ad alias denuntiationes progredi poterit, neque ad conjugium celebrandum, donec sublata sit oppositio, & habita dispensatio: Excipe tamen, si per metum mortis obstringeretur, quia præcepta ecclesiastica cùm tanto damno ac periculo non obligant, nisi foret in contemptum. Hæc pauca dicta sint de sponsalibus; satis tamen, ne ad aliqua, quæ vix contingere possunt, calamum protrahamus, vel alia, quæ in Quæstionibus de Matrimonio facilè occurrent, huc revocemus.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Matrimonio secundum se considerato, & ut est Sacramentum.

ARTICULUS I.

Quid sit Matrimonium, & in quo consistat formaliter.

1. Matrimonii nomen, idem tamen significans, multiplex est, scilicet, *Nuptiæ*, *Connubium*, *Conjugium*, *Matrimonium*; Pro nuptiis usurpatur à *nubendo*, quia nimirùm, velo quodam, veluti nube, obteguntur Virgines, dum benedictionem accipiunt; quod quidem fit, vel ad peccati erubescentiam, quando Eva à Serpente decepta virum suum fefellit, vel ad indicandum, se viro subditas esse, atque inferiores; atque ideò Gen. 22. videns Rebecca virum suum Isaac deambulantem, obviam ei veniens caput suum velavit; & 29. Jacob non agnovit Liam pro Rachele suppositam, quia velo erat obducta; ex quo quam antiqua fuerit hæc consuetudo compertum apparet. Fermè propter eamdem rationem dicitur connubium, ut non solum ex parte fœminæ significetur velum, seu nubes ista ad modestiam, ac verecundiam servandam; sed etiam ex parte viri; unde inter se tegere ac velare debent, quæ christianæ pudicitiæ videntur obnoxia. Appellatur conjugium ab effectu suo, quia videlicet ita conjunguntur, ut una caro efficiantur; atque ita eidem jugo subduntur, ut in eo ferendo pares sint, & mutua utriusque sit obligatio; ex qua fit, ut neque mulier sui corporis potestatem habeat, sed vir; neque vir sui, sed mulier, ut ait Apost. 1. ad Corinth. 7. Denique matrimonium nuncupatur desumpto nomine à matre, non à patre, quia, ut ait Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. Fœmina tantùm nubere debet, ut mater fiat, sed melius ex Gregor. IX. cap. 2. de convers. Infidelium, seu cap. *Ex litteris*, quia infans est matri laboriosus ante partum, in partu, & pluribus annis post partum; & mater semper certa est, pater verò tantùm juris præsumptione certus; Unde sequitur, potiùs matrimonium, quam patrimonium dici debere.

2. Est autem matrimonium juxta omnes Doctores, *Viri mulierisque conjunctio maritalis, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens*, quæ definitio desumpta ex cap. *Illud* de præsumptionibus, & §. 1. Instit. de patria potestate: dicitur *conjunctio*, per quam particulam indicatur genus, *ma-*

maritalis, ut distinguatur ab aliis conjunctionibus, quæ inter virum & mulierem esse possunt, ut ex. c. *Fraterna*, & ut significetur objectum & finis contractus, idest mutua traditio corporis. *Viri & mulieris* tùm ut excludatur polygamia, tùm ut matrimonii subjectum designetur; *inter legitimas personas*, ideſt inter eas, quæ habiles sint ad contrahendum matrimonium, nec aliquo impedimento sint obstrictæ *individuam vitæ consuetudinem retinens*, scilicet perpetuam propter indissolubile vinculum, quod in ipso reperitur, de quibus omnibus suis locis singillatim pertractabimus.

3. Ut verò declaremus, in quo ipsius essentia collocanda sit, observandum, plura in matrimonio concurrere, ac considerari; Primò: mutuus consensus. 2. Externus contractus, seu externa pactio. 3. Mutua traditio corporum, tanquam illius externi contractus effectus. 4. Vinculum quoddam ex illo contractu progrediens. 5. Mutua obligatio ad reddendum debitum. 6. Jus, quod est in utroque ad alterum. 7. Usus & consummatio matrimonii. Hinc oritur difficultas, in quonam ex istis septem recensitis essentialiter consistat.

4. Tanquàm certum habendum est, essentiam matrimonii nequaquàm in usu, atque ejusdem per carnalem copulam consummatione consistere; Siquidem inter Beatissimam Virginem ac Sanctum Josephum fuit verum matrimonium, nec ulla tamen fuit carnalis copula cum ea, quæ sicut ante partum, ita fuit Virgo in partu, & post partum: Verum etiam fuit matrimonium inter primos parentes, dum felicissimo statu in Paradiso commorabantur, nec tamen nisi à Paradiso ejectus, Adam cognovit Evam, ut habetur in Gen. cap. 2. Quis etiam inter senes carnalis copulæ incapaces matrimonium verum esse inficiabitur? Inficiaretur quidem aliquis Juliano similis, cui lib. 5. cap. 62. contra eumdem dictum fuit ab Augustino: *Sine nuptiis possunt nasci homines, & sine corporum commixtione possunt esse conjuges: alioquin non erunt conjuges, ut nihil aliud dicam, etiam cum senuerint, sibique misceri vel non potuerint, vel sine spe suscipiendæ prolis erubuerint, atque noluerint*.

5. Si verò quis inter Mariam & Josephum verum matrimonium fuisse inficias ire non trepidaret; statim Evangelicis sensibus confunderetur ejus audacia: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph*; & *noli timere accipere Mariam conjugem tuam* scribit S. Matth. cap. 1. Sanctorum etiam Patrum testimoniis ora sacrilega clauderentur: *Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis: Cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur*, inquit Ambrosius lib. de institut. Virginum cap. 6. eorum argumentum refellens, qui putabant nullum Virginis ac Josephi fuisse matrimonium; quia inter se carnaliter commixti non fuerint. Et August. lib. 23. contra Faustum cap. 8. de S. Josepho dicit: *Neque enim, quia concubitu non commixtus, ideo non maritus*.

6. Sed quomodo, inquies, Virginem inter ac Josephum fuit verum matrimonium, si Maria votum virginitatis emiserat; Hoc profectò matrimonii legibus prorsùs repugnat.

Si matrimonii leges juxta finem minùs præcipuum, ideſt carnalem copulam, spectes, verum dicis; Si verò, juxta bonum primarium nuptiarum, & jus mutuæ corporis traditionis radicale consideras, falsum enuntias; bonum enim matrimonii primarium unà cum dicto jure consistit in animorum unione, & individuæ vitæ societate. Quid verò senserint Patres de perpetuo Mariæ virginitatis voto, audi priùs Augustinum dicentem, eam, dum proposuit se Virginem perseveraturam, divinæ didispositioni se subjecisse, nisi aliter ei Deus revelasset; quod quidem ostendit, dum Angelo dicenti: *Ecce concipies*

pies & paries; respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* utique cum proposito non cognoscendi, aliter inepta fuisset responsio, & inde servandæ virginitatis certitudinem assequuta: *Ecce*, inquit, *Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Audi & S. Thomam in 4. dist. 30. qu. 2. art. 1. dicentem: *Potentia ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui nunquàm fuit in proposito Virginis*.

7. Dixi, *jus mutuæ corporis traditionis radicale*; ne mihi opponeres, quod si ad matrimonium spectaret sola in individuam societatem vitæ animorum conjunctio, etiam inter matrem & filium, fratrem & sororem, matrimonium reperiri posset; siquidem, præter alia, quæ dici possent, inter præfatos nequit esse ordo, seu jus radicale ad carnalem copulam habendam; & idem dicendum de illis, qui ad carnalem copulam perpetuò impotentes sunt: quanquàm non desunt, qui respondent, horum nihilominùs esse valida ac rata matrimonia, si nullum fuerit pactum explicitum vel implicitum futuræ copulæ; & adducunt cap. *Consultationis*. De frigidis, quod est Lucii, & cap. *Requisisti* quod est Cælestini III., juxta quæ asserunt, impotentiam esse impedimentum dirimens respectu illorum, qui futuræ copulæ pactum aliquod habuerunt.

8. Sed neque in aliis recensitis, præterquàm in illo vinculo ex mutuo consensu & externo contractu progrediente, essentia matrimonii collocanda videtur: non in externo contractu, & interno consensu; quia isti spectant ad causam matrimonii efficientem, & contractus externus est actio transiens, internus verò consensus retractari potest, matrimonio tamen perseverante: non in mutua corporum traditione, vel in obligatione reddendi debitum, siquidem utraque abesse potest, & tamen verum matrimonium persistere, ut patet in illis, qui libero mutuoque consensu se se obligant ad continentiam servandam, & obligatio reddendi debitum supponit jam matrimonium in se formaliter constitutum; sicut & ipsa corporum traditio, atque jus, quod ad se invicem conjuges habent; nisi sumas hujusmodi jus in sensu radicali, & connotativo, quo posito ponitur, & quo sublato tollitur matrimonium; non quia in eo formaliter consistat, sed quia est ejusdem fundamentum: sicuti positâ generatione habetur paternitas in gignente, & filiatio in genito; nec tamen paternitas & filiatio formaliter consistunt in generatione, sed quia ab ea, ut à fundamento dependent, & conservantur.

9. Superest igitur ut dicamus, matrimonium formaliter consistere in illo vinculo, quod ex consensu interno, & externo contractu inter virum & mulierem proficiscitur, & quo formaliter sunt, ac intelliguntur conjuges uniti; quod quidem disertis verbis indicavit Cathechismus Romanus par. 2. de Sacram. Matrimonii num. 5. ubi leguntur hæc verba. *Quamvis hæc omnia in perfecto matrimonio insint, consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua matrimonium consummatur; nihil tamen horum matrimonii vim, & rationem propriè habet, nisi obligatio illa, & nexus, qui conjunctionis vocabulo significatus est*: & num. 6. *Ex iis igitur patet, matrimonii naturam & rationem in vinculo illo consistere*.

10. Quod si aliqui, & quidem celebres Doctores matrimonium definiunt vel per mutuum consensum; vel per corporum traditionem verbis saltem æquivalentibus expressam; vel per mutuam reddendi sibi debitum obligationem; dicendum est, eas definitiones non esse proprias, & strictas juxta rationem formalem; sed tantum juxta causam effectricem, seu juxta physicum esse,

esse, non metaphysicum: quod planè indicavit ibidem laudatus Catechismus dicens: *Quod aliæ clarissimorum virorum definitiones hoc videntur consensui tribuere, ut, cum dicunt, conjugium esse consensum maris, & feminæ, hoc ita accipiendum est, consensum matrimonii causam effectricem esse; quod Patres in Concilio Florentino docuerunt, etenim obligatio & nexus oriri non potest nisi ex consensu & pactione.*

11. Duo contra sententiam nostram præcipua momenta perspicio. Unum est, quod si matrimonii essentia consisteret in hoc vinculo, ille, qui post matrimonium ratum & non consummatum contraheret cum uxore unius, qui defunctus est, bigamiam incurreret; sicut incurreret, qui duceret viduam à priori marito cognitam. Aliud est, quod si essentia matrimonii statuenda foret in vinculo maritali, Sacramentum Matrimonii permanens esset, sicuti permanens est illud vinculum; id autem dici non potest, cum juxta omnes Theologos unica Eucharistia sit Sacramentum permanens.

12. Verùm quod primo dictum est, nihil urget; Ad bigamiam enim non sufficit duplex matrimonium, sed requiritur duplex consummatum vel ab ipso viro, vel ab ipsa fæmina; etenim, ut ait Innoc. III. cap. *Quantum* de bigamis; *Qui mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cognitam ducit uxorem, nec illa, nec ipse carnem suam dividit in plures.*

Potiùs secundum aliquid videtur evincere; propter quod Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. p. 11. cap. 4. & Palatius in 4. dist. 27. disp. 1. cum aliquibus aliis à nostra sententia recesserunt. Respondeo tamen, vinculum hoc considerari posse vel quando fit, vel quando jam factum est; in hac posteriori consideratione est aliquid permanens & perpetuum; in priori tamen est aliquid transiens, & matrimonium formaliter in hoc, non in illo consistit: Unde matrimonium in facto esse permanens est, sed in facto esse Sacramentum non est; & qui leges matrimonii violat, non peccat in Sacramentum quod sit; sed in Sacramentum quod fuit, & non formaliter, sed consecutive perseverat in vinculo facto.

13. Dices: Si ita est, poterit essentia matrimonii collocari etiam in consensu interno, & externo contractu, quamvis uterque sit actio transiens. Contra. Si aliud non obstaret, hoc concedo: obstat autem, quia uterque spectat ad causam efficientem.

Sed quid inde? replicabis, An non verba in Eucharistia, ut dixi in proprio loco, sunt simul causa efficiens & formalis; quod probatum fuit exemplo animæ, quæ simul convertit per virtutem suam alimentum in substantiam viventis, & simul illam informat? Verum reponis: sed adverte, ibi etiam assignatum esse diversum terminum, qui in nostra re afferri non potest; nam consensus internus, & externus contractus essent simul causa efficiens, & formalis ejusdem matrimonii.

Adhuc instabis. Vinculum hoc juxta sententiam nostram resultat ex illo mutuo consensu; ergo sicuti consensus internus retractari potest, ita & illud vinculum solvi poterit, & sic formaliter matrimonium erit solubile.

Sed contra: argumentum non tenet, quia producto effectu destrui potest causa, quin destruatur effectus; ut experientia compertum est; & hoc patet in omni contractu, in quo retractari potest consensus, nec tamen revocari potest obligatio, quæ ex illo orta est.

14. Responsio à me allata absque instantiis, quæ additæ sunt, communis est apud Theologos, præsertim recentiores; Scotus tamen in 4. dist. 27. q. 1.; Paludan. q. 1. art. 2., Sot. q. 1. art. 1. ad 2. faciliùs se expediunt dicentes, vinculum illud aliud non esse, quam relationem rationis ex illo interno consensu resultantem; quia cum sit actio immanens,

nens, nihil extra propriam potentiam operatur; proinde in re ipsa nihil ponit, & ita rem permanentem efficere non potest.

Hoc, cum faciliùs argumentum illud infringat, mihi summopere placet; nec aliud obstare videtur, nisi quod relatio hæc fundatur in actione externa & reali, nempe in ipso contractu; proinde debeat esse realis: Sed hoc te non deterreat, siquidem fundatur in ea, tanquam in conditione applicante, seu manifestante consensum internum, non verò tanquam in sua vera causa.

15. Proponenda modo sunt alia argumenta pro aliis sententiis. Primum sic exponi posset: Sacramentum est aliquod signum sensibile; ergo ejus essentia in aliquo sensibili est statuenda; sed vinculum illud aliquid sensibile non est; ergo: è contrario consensus internus una cum externo contractu est aliquod sensibile; igitur. Præterea; vinculum illud, utpote effectus interni consensus, externique contractus, est effectus matrimonii; ergo in illo matrimonium nequit formaliter consistere.

Resp. antec. esse verum de Sacramento in esse physico considerato, juxta quam considerationem consistit in materia & forma, & sic fateor, collocandum esse in mutuo consensu, externo contractu, & mutua corporum traditione; non verò in esse metaphysico, sic enim illa materia & forma se habent tanquam causa efficiens, ex qua id resultat, in quo matrimonium consistit; & falsum est, vinculum illud esse effectum matrimonii, cum sit tantùm effectus mutui interni consensus, & externi contractus, cujus etiam effectus est ipsum matrimonium: per quod rejicitur, quod secundo loco dicebatur: Unde si quis opponeret, matrimonium esse contractum; verùm diceret in sensu effectivo, & de præsupposito, non in sensu formali, quia matrimonium est effectus contractus, proinde non est ipse contractus.

16. Secundum argumentum hujusmodi esse potest. Apostolus quodammodò definiens matrimonium, illud explicavit per unionem seu copulam carnis; ait enim ad Ephes. 5. *Erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Igitur matrimonium essentialiter consistit in usu, seu consummatione ejusdem, & sicuti unio Christi cum Ecclesia habetur per actualem & physicam utriusque conjunctionem; ita &c.

Resp. ne. ant. ad prob. verba illa Apostoli sunt intelligenda, non ita ut significent actum, seu usum matrimonii, tanquam si absque illo matrimonium verum esse non posset; sed ita ut indicent jus, quod unus habet in corpus alterius, quod tamen jus à maritali copula potest separari; sicuti quodcumque dominium in rem sejungi potest ab usu ejusdem rei.

Ut respondeas secundo, quod additum est; advertas, duplici modo explicari Christi cum Ecclesia unionem. Uno morali, consistente in influxu per gratiam, & assistentiam Spiritus Sancti; altero physico per unionem hypostaticam cum humanitate: Hanc posteriorem explicat matrimonium consummatum, illam verò significat matrimonium ratum absque aliqua carnali copula: Porrò non physica unionis repræsentatio spectat ad matrimonii essentiam, sed tantùm ad ejus majorem perfectionem accidentariam; pertinet verò repræsentatio unionis moralis, quæ habetur per individuam vitæ societatem, & per mutua officia, sicuti dictum est cum jure radicali in alterius corpus.

17. Tertium argumentum desumi potest ex Gratiano causa 27. q. 2. cap. 26. ubi affert duo testimonia, unum Sancti Augustini, alterum Sancti Leonis. In primo sic legitur. *Non est dubium eam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse*. In altero sic. *Cum societas nuptiarum ita à principio sit instituta*,

ta, ut præter commixtionem ſexuum non habeat in ſe Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum; non eſt dubium, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuiſſe nuptiale myſterium: itaque hi duo Sancti Patres exiſtimant, verum matrimonium in carnali copula agnoſcendum eſſe.

18. Verùm, ubi hoc dicat Auguſtinus, locum invenire non poſſumus; plura tamen invenimus, ubi diſertè docet oppoſitum; ut patet ex dictis nu. 4. & 5.: Authoritas verò S. Leonis in ſenſu omninò contrario eſt recitata; ſiquidem addita eſt particula illa negativa *non*, quæ non reperitur in textu germano; atque in eo loco, nempe Epiſt. 92. cap. 4. contendit San. Doctor oſtendere, non quamlibet commixtionem viri cum muliere ſignificare unionem Chriſti cum Eccleſia, qualis eſſet commixtio fornicaria, vel adultera; unde inquit, *Non omnis mulier juncta viro, uxor eſt viri; quia nec omnis filius hæres eſt Patris*.

ARTICULUS II.

Utrum Matrimonium in lege Evangelica ſit Sacramentum.

19. IN hæreticos ex inſtituto res noſtra peragenda eſt; ſed in primis quos errores ipſi protulerint, recenſendum exiſtimo.

20. Adeo matrimonii hoſtes ſe oſtenderunt aliqui, quos veteres appellabimus, ut vel dixerint nuptias à Deo non eſſe; ut Gnoſtici, & Manichæi; vel illas abſolutè malas aſſerere non trepidaverint, ac prorsùs illicitas; quos fuiſſe Simonianos, Nicolaitas, Tatianos, Marcioniſtas, alioſque, ut fidem faciunt Irenæus, Epiphanius, & Auguſtinus, qui adverſus eos plura ſcripſerunt, quoſve jam prævideerat Paulus I. ad Tim.4. dicens, *Diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum &c. prohibentium nubere*, agnovimus.

21. Mitius ſe geſſerunt hæretici, quos poſterioribus ſæculis hoſtes ſenſit Eccleſia: quamvis enim negaverint, Matrimonio Sacramenti diguitatem concedendam eſſe; attamen licitas eſſe nuptias ac honeſtas, inficiati non ſunt. Hoc legi poteſt apud Lutherum in lib. de captivit. babylonicâ cap. de matrimon.,& in Calvino lib.4. inſtit. cap. 18. §.34., ubi aſſerit; quod ſi matrimonio Sacramenti notio conveniret, etiam cujuſcumque arti foret aptanda; neque pro Sacramento acceptum ſit, niſi Gregorii tempore: Aliqui vero ex eorum ſectatoribus fucum aliquem affectantes, illud pro Sacramento habuerunt, ſed in ſenſu lato & improprio, non tanquam gratiæ collativo, ſed tantum, tanquam alicujus rei ſacro Symbolo: quales fuerunt Kemnit. in 2. parte examin. & Spelatenſis lib. 5. de Republica Eccleſiaſt. cap. 11.

22. Quod magis mirum videri poſſet, eſt, etiam nonnullos Doctores Catholicos hæc hæreticorum dicta tradidiſſe. Hoc prius docuiſſe videtur Magiſter ſentent. in 4. diſ. 1. lit. A., ubi poſt recenſita ſeptem novæ legis Sacramenta, ait; *Alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjutricem conferunt, ut baptiſmus; alia in remedium tantùm ſunt, ut conjugium; alia gratia & virtute nos fulciunt, ut Euchariſtia & ordo*. Etiam Durandus diſ. 26. q. 2. aſſerit, matrimonium impropriè ſeu æquivocè eſſe Sacramentum, quatenus eſt ſignum rei ſacræ, in eo autem conferri gratiam ex opere operato, ſicut in aliis, eſſe punctum Theologicum, quod citra periculum hæreſis negari poteſt; addit tamen communiùs Theologos ſuſtinere, per matrimonium conferri gratiam ſicut per alia Sacramenta. Ipſi etiam Theologorum Principes ut S. Th. & Scotus, id tanquam probabilius propoſuerunt; non tamen tanquam certum de fide; Sed quid mirum? nondum erat res definita, ſicut poſtea.

23. Dicendum primò. Matrimonium esse ex se bonum & honestum.

Hæc assertio ita certa est, ut si ea negetur, necesse sit Pauli Doctrinam destruere; An non disertè, & omni explicatione sublata inquit 1. ad Corint. 7. *Si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit Virgo non peccavit?* & rursus: *Qui matrimonio jungit Virginem suam, non peccavit?* adeo Apostolus nuptias commendabiles existimat, ut ad Timot. 1. cap. 5. dixerit; *Volo ego juniores nubere, filios procreare, matres familias esse*: præviderat verò jam illorum hæresim, qui dicturi erant, nuptias prohibendas esse, ut ait cap. 4., & tandem ad Hebr. 13. inquit. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Adde: à Deo ipso præceptas fuisse nuptias, atque à Christo in honore habitas; quod argumentum omitto, quia de hoc infra dicturus sum.

24. Dices: hæc omnia dicta esse à Paulo, non quia nuptiæ bonæ sint, sed quia sunt minus malum; dicta sunt enim ad evitandam fornicationem, quæ procul dubio majus malum est; *Unusquisque*, dicit in priori loco, *propter fornicationem suam uxorem habeat*. Et rursùs. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Si autem secundum indulgentiam, procul dubio matrimonium malum est; *Evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam*, inquit August. lib. de pecc. originali cap. 38. Et si bonum est homini mulierem non tangere, ut idem scribit, malum igitur erit, mulierem tangere, quod est argumentum Hieronymi lib. 1. contra Jovinian., ubi dicit; *Si bonum est mulierem non tangere, malum est eam tangere, nihil enim bono contrarium est, nisi malum. Si autem malum est, & ignoscitur; ideo conceditur, ne malum quid deterius fiat*. Et ecce quomodo verum est, quod superius dicebatur, nempe nuptias esse bonas, idest minùs malas respectu fornicationis, ad quam evitandam tantùm ab Apostolo conceduntur.

25. Resp. nuptias non solum esse minus malum, sed etiam bonas absolutè, & ex hoc ipso, quo sunt ad evitandam fornicationem, licitæ sunt & honestæ; secus neque ad illam evitandam eas insinuasset Apostolus, qui si dixit, non esse facienda mala ut eveniant bona, multò minùs dixisset, esse facienda mala ad evitanda majora mala. Quod verò ad fornicationem evitandam honestæ sint nuptiæ, id plures Doctores ostendunt tam eas considerando ex parte medii, quam ex parte objecti; primum quidem, cum illas institutas esse ab auctore naturæ suo loco declarandum erit; secundum verò, quia sic datæ sunt in remedium concupiscentiæ: *Hanc ob causam*, inquit Chrysostomus homilia 3. in illa verba. *Vidi Dominum. Hanc ob causam data est illi mulier adjutrix, ut effervescentem naturam coerceat, ut concupiscentiæ fluctus sedet*. Quod si dicuntur secundum indulgentiam, non secundum imperium; non inde inferas culpam in ipsis, si secundum se inspiciantur; sed tantum eas concessas esse, nequaquàm præceptas, & in illis reperiri minus bonum, quam refulgeat in virginitate, cum qua ibi à Paulo comparantur: & in hoc sensu explicari etiam potest Augustinus, ita ut culpa intelligatur negativè, quatenùs impediunt à majori bono, quale est virginitas; *Qui enim matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit, meliùs facit*, scribit Apost. 1. ad Corint. 7. Eodem pacto explicandus est Hieronymus, quamvis se ipsum explicat in eodem loco; ubi Marcionis, Manichæi, & Tatiani errore rejecto, ait; *Non ignoramus honorabiles nuptias, & thorum immaculatum; sed ita nuptias recipientes, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus*. Quod & dixit Augustinus lib. 6. de bono conjugali cap. 8. hisce verbis. *Non duo mala sunt connubium & fornicatio, quorum alterum pejus, sed duo bona sunt connubium & continentia, quorum alterum est*

est melius. Si ita est, inquies, cur igitur dixit David Ps. 50. *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Non agnoscas iniquitatem & peccatum vel in matre concipiente, vel in patre generante, sed in prole genita; quæ originem ducens ab infecto semine sine originali culpa non nascitur; de qua re alibi diximus, nempe in 2. tom. in quæst. de peccato originali.

26. Dixi, *si secundum se inspiciantur*. Siquidem in nuptiis aliquam culpam, & turpe aliquid esse posse, nequaquàm inficiamur; quod tamen à nuptiis non oritur, sed ab excessu delectationis, & concupiscentiæ rebellione, quibus conjuges plerumque non sistunt in fine primario nuptiarum, qualis est filiorum procreatio, non libidinis expletio, & sub hac consideratione dicit Apostolus illas concedi secundum veniam, ut observat Augustinus lib. de bono conjugali cap. 10. sic expendens Pauli verba. *Illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, & aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant*. Et si reponas, inseparabilem esse à nuptiis Eum delectationis exessum, & concupiscentiæ rebellionem, proinde semper nuptias malas esse, ac illicitas; satis aptè respondebis dicendo, inseparabilem quidem esse ex parte actus, non tamen ex parte intentionis agentis; potest enim qui agit ferri in solum actum ejusdemque finem, quin consensu suo feratur in omne id, quod est actui conjunctum, & patet in claudo, qui progressionem intendit non claudicationem, quamvis hæc ab illa sejungi non possit.

27. Atque hoc valet, loquendo in sensu morali, & quo ad culpam; nam si in sensu physico loquamur, in conjugii actu aliquid turpis & immundi reperiri, prorsùs est concedendum; si enim nihil, quod turpe sit, inveniretur, cur erubescerent homines illum coram aliis exercere, & cur Levitici 18. & 20. ejus actus instrumenta turpitudinis vocabulo appellarentur? *Unde hoc?* interrogat Augustin. lib. 14. de civit. cap. 18., & respondet; *nisi quia sic geritur, quod deceat ex natura, ut etiam quod pudeat comitetur ex pœna*.

28. Replicabis. Non solum in sensu physico, sed etiam morali ille actus est malus & turpis, quo fit, ut homines cogitent, quæ sunt mundi, & Deo placere non possint; Nuptiæ autem ita se habent, dicente Paulo. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*. Et ad Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*.

Sed contra: non semper cogitare, quæ mundi sunt, malum est; sed tunc tantùm, quando nimio affectu ea tanquam finis habentur; & si ex hoc inferri posset argumentum, ea omnia essent mala & illicita, quæ in temporalium bonorum vel administratione, vel acquisitione peraguntur: tunc igitur homines peccant, nec Deo placere possunt, cum ita in rebus mundi, & in amore uxorum implicarentur, ut non solum actu de Deo non cogitarent, sed etiam habitum gratiæ & charitatis destruerent; quamvis autem in usu conjugii primum evenire possit; non tamen secundum, si debito modo & juxta leges statutas exerceatur: ex quibus explicare potes Pauli testimonia. Quamvis ibi reverà loquatur tantum in sensu comparativo, scilicet comparando nuptias cum Virginitate, & certum est, magis Deo placere virginitatem, quam nuptias; unde verba illa, *placere non possunt*, sumas juxta magis, & minùs. Quod si velis intelligenda esse absolutè, dicam, ibi sermonem esse de conjugiis illicitis, vel de carnali copula habita per fornicationem, & adulteria, juxta quam considerationem loquitur etiam Siricius Papa scribens ad Himerium Taraconensem, in qua Epistola utitur laudatis verbis reprehendens Monachos

chos & Sacerdotes, qui illicitis nuptiis implicari volebant.

29. Sed jam ad præcipuum punctum contra præsentes Novatores deveniamus. Pro quo.

Dicendum: Matrimonium esse verum Sacramentum; Ut hoc probemus.

ARTICULUS III.

Probatur superior assertio.

PLurima argumenta ab hæreticis afferuntur, quæ non adeò levia sunt, & plura etiam, quæ à chatolicis afferuntur ex Evangelio aut aliis scripturis, non tam convincunt, ut nequeant in sano sensu explicari; ideo rem hanc examinandam esse, perperam non existimo.

30. Atque in primis ex scripturis plures Catholici Theologi matrimonium Sacramentum esse, contendunt evincere. Primum autem scripturæ testimonium illud est, quod habet Paulus ad Ephes.5., ubi afferens verba Adami, quibus prophetico spiritu afflatus dixit, *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Addit. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia*.

31. Frustra hic reponunt hæretici, appellari ab Apostolo Sacramentum hoc magnum, non referente ea verba ad matrimonium, sed ad conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem; vel etiam si referret ad matrimonium Adami, & Evæ, non propterea id dicendum esse de quolibet matrimonio: & præterea; non semper Sacramenti nomen id significat quod nos intendimus, ut dictum fuit, ubi in quinto tomo de hoc nomine pertractavimus sub initio.

Frustra inquam ista reponunt; etenim quantùm ad primum, illa responsio à sensu Patrum omninò recedit, dicentium, illa verba, *Sacramentum magnum*, non referri ad conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed ad ipsum matrimonium tanquàm signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, unde Hieronymus in ejus loci commentario inquit; *Idipsum per allegoriam in Christo interpretatur & in Ecclesia, ut Adam Christum, & Eva præfiguraret Ecclesiam*; & Joan. Chrysost. hom. 20. in Epist. ad Ephes. ait. *Reverà mysterium est, & magnum mysterium, relicto eo, qui genuit, & eo, qui aluit, etiam ea, quæ peperit, quæ miserè & cum labore parturivit, adhærere virum illi, quæ antea neque visa fuit, atque hanc omnibus præferre. Verè mysterium est*. Ecce quomodò Patres agnoverunt ibi mysterium; ubi nullum agnovit Erasmus, dicens. *Nullum est mysterium, si viro uxor jungatur; id enim quotidie fieri videmus*. Verum dicit, si de quavis conjunctione loquatur; junguntur enim & meretrices; falsum verò, si de conjunctione, quæ indissolubili vinculo perseverat, & de illa, quam Catholici matrimonium appellant.

Præterea: verba illa, *Sacramentum hoc magnum est* referri ad matrimonium, non quidem subjectivè, sed terminativè, nempe ratione rei, quam significat, manifestum fit ex contextu; Siquidem præmiserat Paulus: *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem &c.* inde subdit, *Sacramentum hoc*, quod pronomen id demonstrat, quod præcessit: constat etiam ex scopo, & intentione Apostoli, siquidem argumentum deducit, quo adhortetur conjuges ad mutuam dilectionem, sicut Christus diligit Ecclesiam, & ab Ecclesia diligitur; si autem conjunctio Christi & Ecclesiæ ad matrimonium non pertineret, hæc ejus argumentatio prorsùs esset impertinens; pertinet igitur tanquàm res signata ad signum, & ab utroque ratiocinium Pauli desumitur.

Quantùm ad secundum; illa verba non solùm referri debent ad matrimonium Adami & Evæ, sed ad omne con-

conjugium; Siquidem Adam non de se ipso tantùm locutus est, sed indefinitè: *Relinquet homo*, non solùm ad tempus præsens, sed ad futurum illa propositio extenditur; imò conjugio primorum parentum illa verba aptari non possunt, siquidem Adam relinquere non poterat patrem & matrem, ut adhæreret uxori suæ; & cum dixerit Christus utens eisdem verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet*, certè conjugium Adæ non significat, quod jam antea per mortem erat dissolutum.

Neque ex hoc inferas; ergo omne conjugium erit Sacramentum, cum de omni ibi sit sermo: nam licet Apostolus de omni ac indefinitè loquatur, attamen intelligi debet per distributionem accommodam, & ubi agitur de subjecto capaci Sacramentum; hujusmodi autem non sunt nisi baptizati, cumBaptismus sit janua Sacramentorum: & ideo Sanctus Augustinus de bono conjugii frequenter docet, matrimonium non esse Sacramentum, nisi in Ecclesia; ideò etiam dixit Paulus: *Est, in Christo, & in Ecclesia*, non dixit autem fuit.

Quantùm ad tertium; hoc frustra opponitur; non enim ex sola voce *Sacramenti* inferunt Catholici, matrimonium esse Sacramentum; optimè enim agnoscunt, multa Sacramenti nomine in veteri, ac novo Testamento appellari, quæ tamen Sacramenta non sunt.

32. Secundum Scripturæ testimonium habetur in epist. 1. ad Timoth. 2. ubi legitur: *Mulier salvabitur per filiorum generationem* (scilicet in statu generandi filios; non enim filiorum generatio est causa salutis) *si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*. Quibus verbis innuitur, quatuor bona tribui per matrimonium, quæ sine gratia minimè servari possunt, scilicet fidem servare conjugi, rixarum & odii inter conjuges evitationem, munditiem adversùs membrorum rebellionem, & temperantiam; Unde 1. ad Corinth. 7. vocat Paulus matrimonium donum Dei, sicut & virginitatem dicens: *Unusquisque donum suum habet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic*.

33. Quibus expositis sic argumentum conficitur: Quod est signum rei sacræ collativum gratiæ, est verum Sacramentum; sed matrimonium est signum rei sacræ collativum gratiæ, ut probatum est; ergo est verum Sacramentum.

Sunt tamen plures Doctores Catholici, qui ex iis Scripturæ testimoniis matrimonium verum Sacramentum esse non satis probari, arbitrantur; etenim quantum ad primum, infertur quidem, matrimonium esse signum rei sacræ, sed non infertur esse collativum gratiæ; quantum verò ad secundum; probatur quidem gratiam aliquam conditionate in matrimonio haberi ex opere operantis, nempè propter sedulam prolis educationem, propter humilem subjectionem erga viros, propter dilectionem, ad quæ omnia Apostolus adhortatur mulieres; non verò ex opere operato.

34. Hæc de re firmiùs probari judico Catholicum dogma ex perpetua ac constanti Ecclesiæ traditione, quod momentum potissimum profert Concil. Trident. sess. 24. cap. unico, hisce verbis: *Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet: meritò inter novæ legis Sacramenta anumerandum Sancti Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt*.

35. Traditionem hanc Sanctorum Patrum dictis ac doctrina repetimus. Fateor tamen horum testimonia plura proferri, quæ satis aptè non probant; siquidem ex eo vim desumunt, quod in iis mentio sit benedictionis, quæ à Sacerdote fit, necnon ministerii sacri; Tale est illud Ignatii in epist. ad Polycarpum, ubi ait: *Decet, ut sponsæ & sponsi de sententia Episcopi conjungium faciant, quæ nuptiæ sunt secundum Domi-*

minum, & non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant. Quod si probaret, sequeretur, quod nisi foret Episcopi sententia, matrimonium Sacramentum non esset. Tale illud Tertulliani lib. 2. ad uxorem in fine: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet?* Tale illud Concilii Carthagin. IV., cui interfuit S. August. quod cap. 13. de sponsis benedicendis sic dicit: *Sponsus & sponsa cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Etenim hæc omnia, & hujusmodi probant quidem aliquid sacri in matrimonio esse, nequaquam tamen esse Sacramentum; cum etiam in Sacramentalibus adhibeatur Sacerdotis benedictio, ac ministerium sacrum, ipsisque reverentia sit impendenda, & in sententia communiori Sacerdotis benedictio ad valorem matrimonii, etiam ut Sacramentum est, nequaquam sit necessaria; sed solum assistentia Parochi: Et quamvis admitteretur sententia contraria, adhuc in hac re non esset afferenda, cum illa tantùm sit probabilis; matrimonium autem Sacramentum esse, sit certum de fide: non debet autem id quod probabile est afferri ad affirmandum, quod fidei certitudine asserendum est.

36. Hisce igitur, aliisque quampluribus, quibus aliqui Doctores utuntur, prætermissis, expressiora afferamus. Et quia Calvin. lib. 4. instit. c. 19. §. 34. dicit, ante Gregorium Magnum non fuisse matrimonium, agnitum tanquam Sacramentum, ideo Patres illos, qui tantum Pontificem præcesserunt, in medium producemus. Jam verò attulimus Joannem Chrysost. num. 31., & quod ibi appelletur mysterium, non officit; constat enim Sacramentum mysterii nomine à Græcis esse appellatum. Statim autem occurrit Ambrosius, qui in lib. 1. de Abrahamo cap. 7. sermonem habens de eo, qui alterius uxorem perducere velit in suam, sic effatur: *Qui ita egerit peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit, & ideò quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* S. Augustinus pluribus in locis id tradit: lib. de bono conjugali, cap. 24. differens de matrimonio Infidelium, & Christianorum sic ait: *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.* Et in eodem sensu lib. de fide, & operibus cap. 7. inquit: *In Civitate Domini, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Priùs etiam in eodem libro de bono conjugali cap. 18. dixerat: *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Et lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 10. scribit: *Sanè non tantùm fœcunditas, cujus fructus in prole est; nec tantùm pudicitia, cujus vinculum est fides; verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis.* Unde cap. 21. concludit: *Quod ergo est in Christo & Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum.* Dum verò audis *minimum*, hoc ita intelligas, ut vel indissolubilitas matrimonii minor sit, quàm illa, quæ est inter Christum & Ecclesiam; siquidem hæc perpetua est, illa verò morte rescinditur; vel quia inter Sacramenta matrimonium ultimum occupat locum.

37. Pater Vasquez, ut semper perspicacissimi fuit ingenii, hæc Augustini testimonia existimat contra Hæreticos adduci non posse; atque illi subscribere vi-

videtur etiam Amicus disp. 2. de matrim. sect. 1. n. 9.; ita ut Sanctus Doctor loquutus tantummodò sit de Sacramento in lata significatione usurpato: Ego tamen pro certo habeo contrarium; Fateor quidem in aliquibus locis matrimonium ab eo dictum esse in amplo sensu & improprio; ut quandò in lib. de bono conjugali cap. 18. asserit, nuptias Patriarcharum cum multis fœminis fuisse Sacramentum conjunctionis Christi cum multis nationibus: certum enim est, vel ipso etiam fatente Kemnitio, qui hunc locum Sancti Doctoris nobis opponit, polygamiam plurium uxorum simul conjunctionem Christi cum Ecclesia repræsentare non posse; unde si dicit Augustinus hanc fuisse Sacramentum, palàm evincitur, non dixisse eo modo, quo dicit matrimonium Christianorum esse Sacramentum; & rursùs polygamia Patriarcharum signum esse non poterat conjunctionis Christi cum pluribus nationibus; quamvis enim Christus ita conjunctus sit, attamen plures nationes unam constituunt Ecclesiam; & ideo ipsis unitur, quia sunt una Ecclesia. Fateor inquam, in aliquibus locis matrimonium ab Augustino dictum esse Sacramentum in sensu latiori; at in Textibus à nobis adductis hoc nequaquàm potest concedi. Primò: quia ibi opponit matrimonium fidelium cum matrimonio infidelium, & illud isto multò præstantius affirmat, atqui etiam matrimonium infidelium est in lato sensu Sacramentum; quia etiam illud à Deo institutum est, & repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut ipsi fatentur Hæretici cum Kemnitio, & Brentio; ergo. Secundò: quia probat, fidelium matrimonium firmius esse, quam illud infidelium, & assumit argumentum petitum ex quo illud sit Sacramentum; Tandem: quia ita loquitur de matrimonio, sicut de Sacramento baptismi; ita ut, sicut relicta fide baptismus nunquam desinit, ita relicto conjuge, & alia conjunctione facta cum alio, adhuc primum conjugium subsistit, & valet.

38. Quod præ cæteris Ambrosius & Augustinus, hoc & Summi Pontifices, necnon Concilia tradiderunt; Siricius Papa in epist. 1. cap. 4. sacrilegii reum illum dijudicat, qui vivente conjuge ad aliud conjugium se transfert; quod profectò dici non posset, si matrimonium esset tantùm contractus civilis, & non propriè Sacramentum. Lucius in cap. *Ad abolendam*. De Hæreticis sic ait: *Qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm Sacrosancta Ecclesia Romana prædicat, & observat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* In Concilio Constantien. sess. 15. contra Joan. Hus septem esse Ecclesiæ Sacramenta supponitur, & Martinus V. præcipit, ut qui suspecti sunt interrogentur, an credant, contemnentes susceptionem Sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, vel solemnizationis matrimonii peccent lethaliter: Concilium Florentinum in Decreto Eugenii septem recenset Sacramenta, inter quæ matrimonium; & in hoc puncto nunquam se opposuerunt Græci: In Senonensi sub Clem. VII. cap. 39. leguntur hæc verba: *Sanè cum matrimonium à Deo rerum omnium conditore in Paradiso institutum fuerit, sitque teste Apostolo Sacramentum, proinde cum magna reverentia ac devotione suscipiendum, utpotè in quo, sicut & reliquis Sacramentis gratia conferatur &c.* Tandem Tridentinum sess. 24. can. 1. sic definit: *Si quis dixerit, matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

39. Aliqua etiam momenta, quæ suppeditat ratio, Catholico dogmati suffragantur. Aliquod à Christo collatum esse matrimonio, quod in veteri lege non fuerit, quisque facilè sibi suadere poterit, si animadvertet, Christi legem suaviorem esse, atque eam gratiam præstare, quæ nequaquàm in illa collata fuit; at si matrimonium in lege nova sibi gratiam peculiarem annexam non haberet, procul dubio esset jugum onerosum magis, quam in lege antiqua; in hac enim, & prior uxor dimitti poterat per repudium, & plures simul uxores duci, ut manifestum sit in Patriarchis antiquis, quod tamen in lege nova non licet. Præterea etiam: ita proportione servata loqui debemus de generatione filiorum quo ad corpora, sicut de generatione filiorum quo ad spiritum, at pro gignendis spiritualibus filiis peculiaris gratia data fuit Sacerdotibus novæ legis, quæ data non fuit Sacerdotibus antiquæ; igitur & data fuit pro gignendis carnalibus filiis aliqua gratia in lege nova, quæ nequaquam fuit in antiqua.

40. Hic tamen approbare non possum quorumdam ratiocinium, qui matrimonii finem pependentes, institutum nempe, non tantùm ad procreandos filios, sed etiam educandos ac in recta religione instituendos, dixerunt, ad hoc gratiam peculiarem necessariam esse; etenim si hoc argumentum valeret, etiam in lege antiqua Matrimonium Sacramentum fuisset, quia etiam in ea, non tantùm filii gignebantur, sed etiam parentum erat, illos in recta religione, quæ tunc erat, instituere; nec tamen Sacramentum fuisse conceditur. Dicant potiùs, solum conjugium sine gratia ipsi annexa non esse sufficiens remedium adversùs spiritum fornicationis; etenim potiùs concupiscentia ex actu conjugali accenditur, quàm extinguatur; & difficilius est conjugatis continere, quam aliis, qui cœlibem vitam duxerunt; Quare, cum plerumque contingat vel conjugis absentia vel infirmitas; conveniens fuit, ut Deus remedium perfectum, ac ex omni parte sufficiens suis fidelibus exhiberet; atque ita matrimonii indissolubilitatem compensaret ipsi matrimonio gratiam conjungendo, de qua sic loquitur Concil. Trident. sess. 24. de matrim. cap. unico. *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem firmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit &c.*

41. Porrò hæc gratia, quam per Sacramentum Matrimonii conjuges recipiunt, primò est habitualis, cum hæc omnibus Sacramentis novæ legis conveniat, dummodò subjectum sit capax; Secundò verò consistit in jure ad habenda opportuno tempore auxilia actualia, quibus conjuges se ipsos diligant, sicuti Christus dilexit Ecclesiam, non ardore libidinis, sed prolis suscipiendæ desiderio conveniant; prolem juxta legem Christianam instituant; & sibi mutuo sint solatio, opemque ferant ad onera conjugii simul sustinenda.

42. Ut hisce omnibus robur addamus, atque firmemus; superest inquirendum, quando Sacramentum hoc fuerit à Christo Domino institutum.

Qua in re fuerunt aliqui Doctores, arbitrantes, matrimonium ab ipso mundi exordio Sacramentum fuisse, & ita semper perseverasse etiam post deperditum innocentiæ statum in lege naturæ & scripta, sicut in lege Evangelica; ita Petrus Soto lect. 2. de matrim. Alphons. à Castro lib. 11. adversus hæreses; Cathar. opusc. de matrim., & Maldonat. ait, hanc esse opinionem omnium antiquorum, quam confirmare nititur Launojus in lib. de regia in matrimonium potestate; etenim ut rejiciat argumentum illorum, qui dicunt, Principes Christianos non posse statuere impedimenta matrimonium dirimentia, quia est Sacramentum; respondet, etiam ante Christum fuisse verum Sacramen-

tum,

tum, & tamen Principes in id suam auctoritatem exercuisse, nemo potest in dubium revocare.

43. Horum fundamenta esse possunt, 1., quia Apostolus de conjugio Adami & Evæ dixit; *Sacramentum hoc magnum est*, & cum ex eodem essentia matrimonii, etiam ut Sacramentum est, in eo potissimum sita sit, ut vir & mulier sint una caro, hoc præcipuè locum habuit in Adamo & Eva, ad quorum imitationem sunt alia conjugia. Secundò; quia ideò matrimonium est Sacramentum, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, atqui in omni statu eam significavit; ergo in omni statu fuit Sacramentum. Tertiò, quia Deus primis hominibus, dum eos matrimonio copulavit, benedictionem impertiit Gen. 1. dicens, *Crescite, & multiplicamini &c.*

44. Hæc si admitterentur, procul dubio hæreticorum error magis confunderetur; Nihilo tamen minùs, oppositum concludendum est propter auctoritatem Concilii Florentini recensentis in decreto inter Sacramenta novæ legis matrimonium; atque omnia distinguentis ab illis antiquæ potissimum, quia illa gratiam causant, non sic ista causabant, & propter doctrinam Tridentini, ut diximus num.34.& 39.,quæ omnia quo pacto servari possint in superiori sententia, non satis intelligo; imò Vasquez disp.2. de matrim. cap.3. illam in dictis Conciliis expresè damnatam esse, affirmare non dubitat.

45. Neque momenta adducta quid piam probant: etenim quantùm ad primum responsio data est in V.Tomo q.2. art. 1. num.4. quibus addimus id quod docet S.Th. in 4.dist.26. q.2. art.2. & 3. ubi docet, matrimonium institutum fuisse in officium naturæ in statu innocentiæ; deinde in statu naturæ corruptæ fuisse illi additum, ut esset in remedium; & tandem in lege nova à Christo institutum esse in Sacramentum: neque verum est, essentiam matrimonii, ut Sacramentum est, potissimum sitam esse, in eo, quod vir & fœmina sint duo in carne una; nam id omni matrimonio commune est; sed requiritur præsertim, quod sit signum practicum gratiæ, quam ex Christi institutione habeat annexam. Ad 2. nego majorem præcisè loquendo, siquidem per respectum ad unionem Christi cum Ecclesia est tantùm signum speculativum; nec enim illam efficit: unde ad summum infertur, matrimonium ante legem Evangelicam fuisse Sacramentum in sensu lato & improprio, & juxta hanc considerationem explicandi sunt Patres illi, qui Sacramenti nomine illud appellarunt. Tertium nihil probat, siquidem benedictionem illam dedit Deus non tantùm primis parentibus, sed etiam volucribus cœli, & piscibus maris; Fuit itaque illa benedictio ad impartiendam fœcunditatem, nequaquàm ad gratiam conferendam.

46. Superest igitur, ut resolvamus, quando Christus Dominus matrimonium, quod priùs erat in officium naturæ &c. ad Sacramenti dignitatem evexerit. Quatuor sententiæ referuntur. Una asserens, Sacramentum hoc fuisse institutum post resurrectionem, illis nempe diebus 40., quibus apparens Discipulis servator noster illis loquebatur de regno Dei, nempe de Ecclesia, quæ juxta Gregorium hom.12. in Evangel. Dei regnum est. Pro hac fundamentum nullum afferri potest, nisi ab uniuscujusque arbitrio confictum: alioquin dici posset, etiam alia Sacramenta tunc fuisse instituta, & ex alia parte aliquid ab Evangelistis, aut alio Scriptore canonico litteris fuisset demandatum, sicut constat de potestate data Discipulis remittendi peccata. Secunda docens, quando Joan. 2. Christus præsentia sua, atque primo miraculo nuptias in Cana Galileæ honestavit. Tertia, quando Matth.19. lege repudii ablata matrimonii unitatem, atque indissolubilitatem perfecit, & dixit, *Quod*

Deus conjunxit, homo non separet. Postrema utrumque complectitur, nempe & dictum Matth. 19. & factum in Cana, ac de hoc ita ingeniosè dicit, ut quod priùs erat aqua, ideſt in officium tantùm naturæ, ac in remedium contra concupiſcentiam deſervierat; inde factum eſt vinum, ſcilicet contulit gratiæ robur, ac conjuges ſanctificavit.

47. Procul dubio hæc ultima ſententia diſiunctivè verum attingit, ſiquidem vel dicendum eſt, Matrimonium Sacramentum à Chriſto factum eſſe Joan. 2. vel Matth. 19., velle tamen duas actiones Chriſti omninò diſparatas ad idem omninò referre, rationem non video. Ut aſſeramus, Chriſtum Sacramentum hoc inſtituiſſe Joan. 2., videtur communior Patrum aſſertio. *Ut nativitatis noſtræ principium, quantùm ad carnem attinet, ſanctificaret, oportebat certè, qui totam naturam hominis ad melius reſtaurabat, non ſolùm natis jam hominibus benedicere, verùm etiam naſcituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam, & authoritate miraculi, & præſentia ſua ſanctum efficere*, ait Cyril. Alexandrin. lib. 2. in Joan. cap. 22. *Venerabiles eſſe nuptias, ac Dei aſpirante gratia cæleſte regnum obtinere, quis vel ex eo non cognoſcat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret?* inquit Epiphan. hæreſi 67. *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quos dudùm poteſtate conſtituit, nunc præſentiæ ſuæ benedictione ſanctificet*, dicit Maximus homil. 1. de Epiphania.

48. Nihilo tamen minùs probabilius mihi videtur, id à Chriſto peractum eſſe Matth. 19., etenim tunc gratiam promiſit collaturum, quando onus matrimonii majus impoſuit, ut illi ferendo pares vires hominibus daret; at tunc procul dubio majus matrimonii onus impoſuit, quando illud indiſſolubile ac monogamum reddidit; ergo: Atque hæc videtur mens Tridentini ſeſ. 24. cap. unico dicentis. *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjuges ſanctificaret &c. ſua nobis paſſione promeruit*. Teſtimoniis pro alia aſſertione, cui tamen me non oppono, dici poteſt, ea omnia dicta eſſe, quia ſua præſentia ac miraculo nuptias approbavit ut bonas contra illos, qui eas tanquam malas erant damnaturi.

ARTICULUS IV.

Refelluntur argumenta contraria.

49. Quæ adverſus nuptiarum honeſtatem opponi poſſe videbantur, jam à nobis rejecta ſunt in art. 2. Antequam verò ad illa argumenta deveniam, quæ propria ſunt hæreticorum, arbitror, ea non eſſe prætereunda quæ pro ſua opinione, de qua dictum eſt num. 22. profert Durandus.

Primum ſit: Matrimonium neque confert primam gratiam, neque ſecundam; non eſt igitur Sacramentum, non primam, quia hoc peculiare eſt Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ; non ſecundam, quia, ſi ſecus eſſet, ille, qui relicto ſtatu continentiæ, matrimonium contraheret, gratiæ acciperet augmentum; quod in priori ſtatu non habuiſſet; hoc autem non eſt dicendum, cum ſtatus continentiæ perfectior ſit ſtatu matrimonii, dicente Paulo, *Qui matrimonio non jungit virginem ſuam, melius facit*.

Reſp. dici poſſe matrimonium & primam conferre gratiam ſicut dixi in proprio loco de aliis Sacramentis vivorum; & procul dubio, ſi nullus ſit obex, conferre ſecundam. Ad prob. aliud eſt loqui de ſtatu, & aliud de Sacramento pro tali ſtatu: Status continentiæ utique perfectior eſt ſtatu matrimonii, attamen pro ſtatu matrimonii datur gratia ad illius onera ſuſtinenda, quæ non daretur, niſi Sacramentum eſſet: Optimè ad rem noſtram inquit S. Athanaſius in

in Epist. ad Amunen, *Si quis nuptias elegerit, culpa quidem vacat, sed tot tantaque non consequetur dona, consequetur tamen aliqua, siquidem & ipse fert fructum trigesimum*. Sed vide quæso quo pacto falsum sit superius argumentum, quod probat neque pœnitentiam gratiam conferre; quia si conferret, ille, qui relicto statu innocentiæ ad pœnitentiam confugeret, gratiam acciperet, quam in statu innocenti non habuisset; hoc autem non est dicendum, cum status innocentiæ per se perfectior sit statu pœnitentiæ.

50. Secundum desumitur ex doctrina eorum, qui canonum interpretes agunt: docent isti, & experientia compertum est, pro matrimonio contrahendo pactum iniri de pecunia solvenda, si autem Matrimonium Sacramentum esset, hoc fieri non posset, quia committeretur simonia; ergo.

Resp. in matrimonio plura esse spectanda, & id, quod ex matrimonio naturaliter sequitur; & id, quod in ipso ex Christi institutione reperitur; Primum refertur ad uxoris & prolis sustentationem; Secundum ad gratiam: pactum de pecunia solvenda fit juxta primam considerationem, quæ penè civilis est; non juxta secundam, quæ est divina. Sed si hoc argumentum valeret, pactum illud fieri non posset, etiamsi Sacramentum non esset, quia nihilominùs esset res sacra, & ad minus Sacramentum lato modo, & æquivocè, ut ait Durandus; at nulla res sacra, & quę aliquo modo Sacramentum sit, vendi potest. Observandum tamen est, in iis, quæ spectant ad jus divinum, canonistis standum non esse, sed Theologis; illi enim in legibus humanis tantùm versantur; isti verò sunt juris divini consulti, ex alia parte in toto corpore juris nullum canonem invenient, in quo dicatur, Matrimonii Sacramentum gratiam non conferre.

51. Tertium sit. Reliqua Sacramenta consistunt in aliqua re, quæ exteriùs applicatur à ministro; sed in matrimonio nulla res est, quæ exteriùs applicetur à ministro; ergo Sacramentum non est, aut saltem univocè non convenit cum aliis Sacramentis.

Si hoc opponatur illis Theologis, qui dicunt, Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti, penitùs corruit. Si verò aliis, respondent; hoc peculiare esse in Sacramento Matrimonii, sicuti peculiare est, quod ipsi contrahentes sint ministri, neque ex hoc adimitur ratio univoca in esse Sacramenti; Siquidem Christus instituit Sacramenta eo modo, quo voluit. In Baptimo vides materiam, quæ est elementum naturale, in confirmatione non elementum, sed mixtum quoddam. In pœnitentia nec elementum, nec mixtum, sed ipsos actus pœnitentis, & tamen hæc Sacramenta in ratione Sacramenti univocè conveniunt. Præterea: antec. est falsum, siquidem Sacramentum Eucharistiæ non consistit in aliqua re, quæ à conficiente alicui exteriùs applicetur, nam est Sacramentum etiamsi nemini distribuatur; neque necessariò distribuitur à conficiente; imò conficiens eam sibi ipsi confert.

52. Quartum sit. In Sacramentorum substantiis nullam habet facultatem Ecclesia, sed Ecclesia habet facultatem in materia matrimonii, siquidem efficere potest, nullum esse matrimonium in certo gradu consanguinitatis contractum, imo post Concilium Tridentinum nullum est, si desit Parochi præsentia, ergo matrimonium non est Sacramentum.

Resp. dis. maj. habet tamen circa fundamentum Sacramentorum conc. maj. non habet circa fundamentum ne. maj. Ecclesia siquidem non mutat essentialia Sacramentorum, & in re nostra non mutat materiam matrimonii, sed tantùm mutat fundamentum ad matrimonium requisitum: Observandum est enim, non quamcumque conjunctionem inter virum & mulierem esse matrimonii materiam, sed conjunctionem perso-

ſonarum, quę legitimæ ſint, aliter etiam inter patrem & filiam, matrem & filium eſſe poſſet matrimonii Sacramentum; Quænam autem ſint legitimæ perſonæ, Chriſtus non ſtatuit, ſed tantùm præſuppoſito legitimo contractu inter perſonas, illum ad Sacramenti dignitatem evexit; Eccleſia autem determinat, quænam ſint perſonæ legitimæ, & ſic materiam & fundamentum exhibet matrimonii, illam tamen non mutat. Hoc oſtendi poteſt etiam in Sacramento Euchariſtiæ; nemo poteſt efficere, ut panis & vinum non ſint materia conſecrationis, poteſt tamen efficere, ut vinum non ſit ampliùs vinum, ſed acetum, ſicut etiam ut uva fiat vinum, & ſic in priori caſu deſinat eſſe materia, in ſecundo incipiat. Ita in re noſtra Eccleſia non poteſt facere, ne perſonæ legitimę ſint materia Sacramenti matrimonii, neque ut non legitimæ ſint; poteſt tamen legibus ſuis facere, ut priùs legitimæ fiant illegitimæ, & è contra, ut optimè ait S. Th. in 4. diſ. 34. quæſt. 1. art. 1. ad 4.

A ſuperiori reſponſione non diſtat quod alii dicunt, videlicet, quod etſi nihil poſſit Eccleſia in ſubſtantiam Sacramentorum mutando materiam vel formam, in iis tamen Sacramentis, quorum materia conſiſtit in aliquo morali certas quaſdam leges ac conditiones deſinire poteſt, quibus omiſſis inhabilis ſit vel Miniſter ad conferendum, vel ſuſcipiens ad recipiendum Sacramentum; & hoc pacto declaravit inhabiles ad contrahendum, qui coram Parocho & Teſtibus non contraherent.

53. Devenio modò ad Hæreticorum momenta; plura tamen præteribo, quia ſi proponantur, ex dictis facillimè eorum falſitas deprehenditur. Primò. Inter fideles inveniuntur multi conjuges infidelibus pejores; ergo matrimonium Sacramentum inter illos non eſt; aut etiam erit inter iſtos, quod negant Catholici; Quæ porro gratia à matrimonio confertur? Videmus perpetuas rixas & contentiones inter virum & uxorem: Videmus filios perditè educatos; igitur nulla gratia promiſſa fuit.

Reſp. Inter baptizatos inveniuntur multi non baptizatis pejores; igitur baptiſmus non eſt Sacramentum. Conſequentia eſt falſa etiam per Lutherum, cujus eſt illud argumentum: Hoc Sacramento convenit, ut gratiam conferat ex propria virtute, niſi ab indiſpoſitis impediatur; & omnibus vires præbet, ut poſſint bene vivere, non tamen cogit ad bene vivendum, & ex hoc ad reliqua.

54. Op. 2. Unum Sacramentum non pugnat cum alio Sacramento; atqui per Catholicos, ſeu Pontificios, matrimonium pugnat cum alio Sacramento, nempè cum Sacerdotio; ergo non eſt Sacramentum. Ita Kemnitius.

Reſp. diſ. maj. quæ eſt vera de Sacramento in ratione Sacramenti, non in ratione ſtatus, quo habens unum Sacramentum, aliud recipere non poteſt: Porrò matrimonium non pugnat cum Sacerdotio, quia Sacramentum ſit, ſed quia illas curas annexas habet, quando liberis opera datur, quæ à rebus divinis, quibus vacare debent Sacerdotes, animum avocant: *qui enim cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi*, ait Paulus 1. ad Corinth. 7. Quod verò matrimonium, ut Sacramentum eſt, non pugnet cum Sacerdotio, ex eo patet, quod non diſſoluto matrimonio, poſſunt conjuges continentiam profiteri ex mutuo conſenſu, & vir fieri Sacerdos.

55. Op. 3. Inter ipſos Catholicos non ſatis conſtat, quænam ſit materia, forma, & miniſter matrimonii; atqui non mediocre detrimentum eſſet in Eccleſia Chriſti id non conſtare, ſi matrimonium Sacramentum eſſet; ergo. Præterea. Aliqui ex Theologis negant, matrimonio annexam eſſe gratiam ſanctificantem; itaque neque apud nos certum eſt, matrimonium eſſe Sacramentum.

Reſp. quod etſi Catholici Doctores

res

res concordes non ſint in iis aſſignandis determinatè, omnes tamen aſſignant aliquid, quod habeat rationem materiæ, formæ, & miniſtri; & hoc ſufficit, ut illud Sacramentum eſſe dicamus; aliter neganda eſſet etiam fides divina, quia Doctores diſcordes ſunt in aſſignado ejus objecto formali.

Quantùm ad ſecundum, jam ſentio nobis opponi Durandum, & Magiſtrum ſententiarum, cujus dictum retulimus num. 22. De Durando jam ſatis dictum eſt; Magiſtrum verò ſententiarum aliqui benignè interpretantur. Sed quidquid ſit. Si iſte, vel alter alienum à noſtro placitum tradiderunt, deſerendi ſunt; veritas enim Catholici dogmatis non eſt ab alicujus privata opinione deſumenda, ſed ex Patrum ſententiis, & Conciliorum definitionibus. Afferant nobis Hæretici aliquos Patres, qui contrarium docuerint; aliqua Concilia, quæ oppoſitum ſtatuerint; afferent nunquam: & quamvis in antiquioribus Conciliis in hac re nihil pro nobis inveniatur; attamen nec aliquid legi poteſt contra nos. Id explicant Concilia, quod in controverſiam vocatur, quia matrimonium à Deo non fuiſſe inſtitutum, neque eſſe bonum Hæretici antiqui dicebant, contra hos antiqua Concilia egerunt; quia poſteriores Sacramentum eſſe negabant, poſteriora Concilia Sacramentum eſſe definierunt: & hoc ſatis.

ARTICULUS V.

Utrum Matrimonium inter fideles eſſe poſſit validum in ratione contractus, quin ſit in ratione Sacramenti.

55. MAtrimonium inter fideles contractum Sacramentum eſſe in anteced. demonſtratum eſt; nunc inquiritur, utrum eſſe poſſit, quin tamen ſit Sacramentum, & in ratione contractus omnes habeat neceſſarias leges, ut valeat. Negant Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 10. num. 6., Ledeſma, Coninc., Averſa, & aliqui ex Scotiſtis; quamvis ſubtilis Doctor in 4. diſ. 26. quæſt. unica §. ad ſolutionem, in partem affirmativam inclinaverit, quam tradunt Vaſq., Rebel., Sylvius, aliique recentiores, quibus & ego ſubſcribo.

56. Prob. Antequam Chriſtus elevaret mutuum humanum contractum ad Sacramenti dignitatem, ille contractus erat matrimonium in ratione naturalis, ac civilis obligationis, nec tamen erat Sacramentum; ergo etiam poteſt eſſe hujuſmodi poſt elevationem; probatur conſ. Chriſtus dum matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, illud reliquit in ſua priſtina natura, quàm ex mutuo conſenſu habebat; & tantùm illi ſuperaddidit vim gratię collativam, per quam conjuges ſanctificarentur; quod quidem patet ex doctrina Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. unico, ubi legitur, Chriſtum paſſione ſua promeruiſſe gratiam, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unionem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ut diximus num. 40.

Hoc quidem aliorum Sacramentorum paritate poteſt oſtendi, in quibus Chriſtus elevando res naturales ad rationem Sacramenti ipſarum naturam non immutat vel phyſicè vel moraliter, ſed tantum addit virtutem gratiam cauſandi, quæ virtus ſi impediatur, ita ut ex ipſis Sacramentum non fiat, adhuc retinent id quod priùs erant, ut manifeſtum eſt; ergo ita etiam in re noſtra, ſi ex mutuo illo conſenſu Sacramentum non fieret ex. c. defectu intentionis, vel notitiæ, adhuc perſeveraret contractus ille civilis. Poteſt autem hoc contingere; quis enim inficias ire poteſt, aliquos intendere poſſe mutuò ſe obligare, & ſibi invicem dominium ſuorum corporum tradere; quin tamen intentionem habeant conficiendi, vel recipiendi Sacramentum? at in hac poſſibili hipotheſi prior contractus teneret, niſi

nisi afferatur aliqua lex in contrarium, aut Patrum authoritas, & communis Doctorum conspiratio, quæ nunquam afferetur; imo cum juxta Ecclesiæ canones causa matrimonii favorabilis sit, in dubio standum est pro matrimonio; quod valet juxta regulam utriusque juris in omni contractu. Quod dicimus, magis tenet in illorum sententia, qui dicunt, matrimonium initum per Procuratorem validum esse, ut contractus est, non ut Sacramentum est, de quare infra dicemus.

57. Argumentum hoc postremum desumptum ex defectu intentionis pro matrimonio, ut Sacramentum est, sed non prout est civilis contractus, promovet Scotus loco citato dicens, quod si Christus instituisset certa ac determinata verba, seu signa, sub quibus celebrandum esset Matrimonium, ut Sacramentum; & hæc vel ex ignorantia vel malitia à contrahentibus omitterentur; attamen, si exhibita forent verba, vel signa pro civili contractu sufficientia, matrimonium in ratione contractus validum esset, non verò in ratione Sacramenti; itaque à pari, si quis vellet illud in ratione civilis contractus nollet autem, ut Sacramentum est, in prima consideratione valeret, nequaquàm in secundà.

58. Fateor tamen, quod ita contrahentes, per se loquendo, grave peccatum committerent; imò & sacrilegium, agentes contra debitam reverentiam debitam Sacramento, quod per pravam intentionem irritum redderent, nec non contra Christi institutionem, qui civilem illum contractum voluit esse Sacramentum; quemadmodum peccat quilibet Sacramentorum minister, dum absque intentione conficiendi Sacramentum facit id, quod Christus in Sacramentum instituit; Id tamen contra assertionem nostram non est; nam aliud est, quod fieri debet; aliud, quod fieri potest.

59. Dixi, per se loquendo: nam si ex. ca. forent duo baptizati, & deindè perpetuò inter infideles enutriti, Evangelicæ legis ignorantia invincibili detenti, ut fieri potest; neque enim hic agimus de iis, quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem; matrimonium verò mutuò contraherent juxta ritum aliorum infidelium, inter quos commorantur, tunc certè illorum matrimonium valeret, ut est civilis ac humanus contractus, nec tamen Sacramentum esset; quia sicut nullam haberent notitiam etiam confusam; ita neque ullam neque confusam intentionem; ergo. Ut verò clariora hæc omnia fiant, contrariæ partis argumenta perpendamus.

60. Op. 1. Ratio contractus est juxta Christi institutionem insperabilis à ratione Sacramenti, nec hominum potestas tanta est, ut possint à conjugali contractu eam dignitatem, quam Christus perpetuò duraturam ipsi concessit, secernere; ergo inter fideles nequit matrimonium valere ut civilis contractus, nisi etiam sit Sacramentum; quod satis colligitur ex Conciliis Florent. & Trident. absolutè definientibus, matrimonium esse Sacramentum; proinde inter fideles excipi non potest aliquod matrimonium, quod Sacramentum non sit. Adde; quod admissa sententia nostra, matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum fuissent tantùm contractus civiles, & nullo modo Sacramentum; quia illa celebrantes non intendebant Sacramentum perficere.

Resp. id verum esse, si servatur Christi institutio; sed aliud est, fideles ad aliquid teneri; aliud, ab ipsis id observari; Hoc si non fiat, ut potest non fieri, tunc ratio contractus civilis secernetur à ratione Sacramenti; sicuti, si quis accedens ad baptizandum, non haberet intentionem baptizandi, naturalem ablutionem à Sacramentali divideret; & tamen Christus illam ablutionem ad Sacramenti dignitatem evexit. Quare fit, quod sicuti hominis potestas non se extendit, ut ablutio baptismi,

ſmi, ſi fiat juxta Chriſti inſtitutionem, & legitimum ritum, non ſit Sacramentum; ita non ſe extendat, ut civilis contractus, ſi fiat juxta Chriſti inſtitutionem, & legitimum ritum, Sacramentum non ſit; & in hoc ſenſu loquuntur Concilia, quæ ſupponunt, matrimonium celebrari juxta conditiones à Chriſto, & Eccleſia ſtatutas.

Quod addebatur, nihil probat in illorum ſententia, qui dicunt, Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti miniſtrum; ultrò enim fatentur, matrimonium clandeſtinum non fuiſſe Sacramentum; quo admiſſo ſententia noſtra magis firmaretur, dico tamen, illud matrimonium adhuc Sacramentum fuiſſe, ſi contrahentes, habuerint, ut præſumi debet, intentionem Sacramentum perficiendi; quam ſi non habuerunt, peccarunt; civilem tamen contractum perfecerunt.

61. Op. 2. & ſimul inſtaurabis argumentum ſuperius: Si poſſet ſeparari ratio civilis contractus à ratione Sacramenti, licitè poſſet ſeparari, quia nulla eſt lex vel divina, vel humana præcipiens, matrimonium in ratione Sacramenti eſſe celebrandum; ſed primum dici non poteſt; ergo. Præterea: ratio Sacramenti ſeparari nequit à ratione contractus; ergo neque ratio contractus ſeparari à ratione Sacramenti; & quemadmodùm in aliquorum ſententia non poteſt etiam validè conſecrari panis, quin conſecretur vinum, ſeu ſine intentione conſecrandi vinum; quia Chriſtus poteſtatem non dedit ad unum tantùm, ita non poterit celebrari purus contractus ſine intentione conficiendi Sacramentum, quia Chriſtus hanc poteſtatem non fecit.

Reſp. ne. maj. & poſita Chriſti inſtitutione elevandi contractum civilem ad Sacramentum, tam lex naturalis, quam lex divina obligat, ita matrimonium celebrandum eſſe, ut fiat Sacramentum; ſicuti elevata aqua in baptiſmo ad Sacramentum, utraque lex obligat ad illius uſum, ut fiat Sacramentum, nec fruſtranea fiat Chriſti inſtitutio, & Sacramento injuria irrogetur.

Ad 2. in primis antec. eſt falſum in eorum ſententia, qui dicunt, Principes apponere poſſe quaſdam leges prohibentes ſub tali pœna, ne fiant talia matrimonia; tunc enim matrimonium illud, ſi factum eſſet coram Deo, & Eccleſia eſſet Sacramentum; nec tamen teneret in ratione civilis contractus quantum ad effectus civiles, & temporales, v. g. dotem, hæreditatem, proliſque ſucceſſionem. Deinde valdè diſpar eſt ratio: etenim ratio Sacramenti ſupponit rationem contractus, non verò ratio contractus ſupponit rationem Sacramenti; illa prior eſt, iſta poſterior; quod autem prius eſt, non dependet ab eo, quod eſt poſterius, ſed è contra: & ſicuti eſſe nequit gratia, quin ſit natura, eſſe tamen poteſt natura, quin ſit gratia; ita matrimonium eſſe nequit Sacramentum, quin ſit naturalis contractus, eſſe tamen poteſt naturalis contractus, quin ſit Sacramentum.

Ad Additum: illa opinio per me falſa eſt juxta dicta in quæſtionibus de Euchariſtia; ea tamen admiſſa nihil probatur, nam Sacramentum Euchariſtiæ fuit primò per ſe inſtitutum à Chriſto, ut ſimul eſſet Sacramentum & Sacrificium; Chriſtus autem non inſtituit naturalem contractum, ſed illum elevando præſuppoſuit, proinde illius naturam non immutavit, ſed perfecit; ſi vellent homines illud perficere.

Aliqua levioris momenti prætereo, ne diutiùs in iis immorer, quæ vix unquàm contingere poſſunt.

ARTICULUS VI.

An Matrimonium fidelium per Procuratorem contractum ſit Sacramentum.

62. Valere matrimonium hoc in ratione naturalis contractus videtur in utroque jure eſſe receptum

l. *finali* ff. *de sponsalibus*, & cap. *finali de Procuratoribus*, in quibus statuitur tàm inter absentes, quàm inter præsentes matrimonium contrahi posse. Quod si diceres cum aliquibus, hoc per Concilium Tridentinum correctum esse, quia requirit, ut Parochus, vel alius Sacerdos de licentia Parochi, vel Ordinarii virum & mulierem interrogent, eorumque mutuum consensum intelligant, quod fieri non potest, dum contrahitur per Procuratorem; non satis aptè reponeres: etenim Concilium irritat tantùm matrimonia clandestina, quæ sine testibus & Parrocho contrahuntur; matrimonium autem per Procuratorem initum coram testibus & Parrocho fit, & cùm frequenter Principes Christiani hoc pacto matrimonia celebrent, Ecclesia hoc non permitteret, si judicarentur invalida: Valet in re nostra quod habetur in regula 68. Juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, ubi explicat Glos. de Procuratore in causa matrimonii, & aliud in regula 72. *Qui facit per alium est perinde, ac si faciat per seipsum*. Superest igitur quæstio, an valeat etiam in ratione Sacramenti.

63. Negativè sentiunt Duran. in 4. dis. 26. qu. 3. num. 11., Cajetan. tract. 12. de contractu matrimonii qu. 2. Canus lib. 8. de locis Theolog. cap. 5. ad 3., Sylvius in 3. par. qu. 42. art. 1. qu. 1., aliique non pauci. Affirmant Petrus Sot. lect. 3. de matrim., Catharin. lib. 5. contra Cajet. cap. 3. Velarminius lib. 1. de matrim. cap. 5. ad 11., Vasq. disp. 2. de matrim. cap. 3., & ex jurisperitis Navar. v. *Fratres de pænitentia* dis. 5. num. 95., Covar. 4. decret. par. 2. cap. 1. §. *Unico* num. 5. Cum istis.

Dicendum: Matrimonium per procuratorem contractum esse verum Sacramentum.

Hoc pluribus momentis ostendo. Primò: quia matrimonium per Procuratorem celebratum est validum in ratione contractus civilis; ergo etiam est validum in ratione sacramenti. Prob. conf. Christus evexit in sacramentum omnem contractum matrimonialem validè initum; etenim naturam illius non mutavit, sed tantum illi novam addidit dignitatem, ac sanctitatem, ergo si &c.

Secundò: In hujusmodi matrimonio sunt omnes conditiones, quæ ad verum sacramentum juxta Concilium Florentinum, ac Tridentinum requiruntur; est igitur verum sacramentum. Quod attinet ad Florentinum nihil aliud requiritur, nisi ut sit mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Quod ad Tridentinum, requiritur, ne matrimonium clandestinum sit, ut fiat coram duobus, vel tribus testibus, & Parocho, qui viro & muliere interrogatis, eorumque consensu intellecto, eos benedicat, & in matrimonium conjungat; hæc autem omnia servantur per procuratorem ad hoc munus designatum; quia ipse coram testibus & parocho consensum contrahentis exprimit; ergo.

Tertiò: De hisce matrimoniis judicare spectat ad solam Ecclesiam; non sunt igitur tantùm contractus civiles, sed habent in se aliquid sacri ac divini, quod nisi sacramentum sit, quid erit?

Quartò: huic nostræ assertioni jus canon. favet. Innoc. III. in cap. *Ex parte* 14. de convers. conjugatorum. Bonifacius VIII in cap. *Procurator*, nec non usus apud nos receptus inter Principes, qui plerumque per procuratores matrimonia ineunt; nec quidpiam aliud fieri necesse est, ut fiant Sacramentum.

64. Hic tamen operæ pretium est illas conditiones exponere, quæ juxta jus canonicum esse debent in procuratore, ut aliorum nomine possit matrimonium celebrare. Prima est, ut habeat speciale mandatum pro matrimonio contrahendo, nec sufficiet generalis deputatio ad omnia mandantis negotia peragenda. Secunda, ut mandatum ipse procurator exequatur dempta ipsi facultate alium in sui locum substituendi.

Ter-

Tertia, ut procuratori non sit revocata potestas, antequam matrimonium contrahatur. Quarta, ut mandatum sit pro contrahendo cum certa & individua persona. Quinta, ut procurator non excedat fines sui mandati. Tres priores conditiones determinat Bonifac. VIII. in cap. *Procurator*. Quarta habetur in lege generali *Digestis*. De ritu nuptiarum. Quinta in l. *Diligenter*. Digestis *Mandati*: Ultimò tandem necesse est, ut procurator contrahat coram testibus & Parocho, saltem ubi viget Tridentinum. Verba autem quibus procurator utitur sunt ista, vel similia. *Ego nomine Antonii accipio te in uxorem*. Cui respondet mulier: *Ego te mediante accipio Antonium in virum*.

65. Opp. 1. Nequeunt alia sacramenta absentibus conferri; ergo neque sacramentum matrimonii; & sicuti sacramentum pœnitentiæ, quatenùs est quoddam judicium, fieri potest inter absentes; non potest tamen fieri, ut sacramentum est; ita matrimonium ut est contractus fieri poterit per procuratorem, non tamen ut est sacramentum.

Resp. conc. ant. ne. conf. siquidem hoc est peculiare in sacramento matrimonii, quod cum fundamentum suum habeat in civili contractu, hujus etiam naturam sequitur; unde, sicuti civilis contractus æquè haberi potest inter præsentes ac absentes, potest etiam haberi Sacramentum. Quod verò additur de Sacramento Pœnitentiæ pluribus rejici potest: Primò; dicendo, antecedens non esse verum juxta naturam illius Sacramenti, quod optimè perfici posset inter Ministrum & Pœnitentem absentes, nisi foret Ecclesiæ prohibitio, quæ inhabilem reddit Sacerdotem ad absolvendum; illumque privat necessaria jurisdictione. Secundò dicendo, & melius, judicium externum posse quidem fieri inter absentes; quia diversi sunt accusator, testis, & reus, neque aliqua dispositio in reo petitur; judicium autem in foro interno, quale est illud pœnitentiæ, inter absentes fieri non potest, quia idem est accusator, testis, & reus, in quo debet esse dispositio nota confessario, & idcirco negatur antecedens; matrimonio autem id non repugnat, quatenùs contractus est, cujus naturam ratio Sacramenti non immutat, sed tantùm perficit. Tandem: Sacerdotis verba non solùm virtualia, sed formalia, *Ego te absolvo* veritatem non habent, si ad absentem referantur, proinde dispar est ratio.

66. Op. 2. Si Matrimonium, ut Sacramentum est, contrahi posset inter absentes, illi, qui contrahunt, possent dormientes gratiam recipere, si essent in statu gratiæ, dum per Procuratorem perficitur, & possent peccare, si essent in statu peccati; sed hoc dici non potest; ergo. Præterea: Nullus potest per alium Sacramentum suscipere, cùm sit actio personalis requirens subjectum, in quo recipiatur; aliter dici posset, quod sicuti per alium Sacramentum recipit, ita per alium reciperet gratiam.

Resp. ne. mi. nullum enim est inconveniens, quod aliquis dormiens recipiat gratiam ex vi prioris consensus, manifestum est hoc in eo, qui vigilans peteret baptismum, & in somno baptizaretur, & in eo, qui mentis compos sua peccata cum debitis dispositionibus confiteretur; deinde in dementiam prolapsus absolutionem perciperet; fateor etiam teneri ad se constituendum in gratia pro eo tempore, quo Procurator contrahit; aliter peccaret: Ad additum: juxta superiùs dicta antec. est verum de aliis Sacramentis, quæ in aliquo contractu non fundantur, non de matrimonio, quod consistens in mutuo contractu æquè celebrari potest vel per se vel per alium. Hic tamen observa, aliud esse loqui de celebratione contractus, & aliud de susceptione Sacramenti; illa exercetur per Procuratorem, hæc nequaquam, sed recipitur immediatè in ipsis contrahentibus, qui sunt principales Ministri Sacramenti, & hu-

jus subjecta, & ideo id quod elevatur ad Sacramentum fit per alium, non fit autem per alium ipsum Sacramentum; ratio esse potest, quia onera illius contractus non afficiunt Procuratorem, sed illum, cujus fuit Procurator; proinde etiam sacramentum & gratia recipi debet in illo, non in isto; ideo in hoc sensu etiam actio sacramentalis etiam in matrimonio dici potest personalis.

67. Op. 3. Ab omnibus laudatur, si in præsentia renovetur consensus; sed si matrimonium priùs contractum esset sacramentum, hoc laudari non posset, imo foret sacrilegum; ergo.

Resp. id quidem laudabile esse, non tamen esse necessarium, nisi fortè de hac re, quæ per Ecclesiam definita non est, dubitatio excitaretur; quamvis enim alia sacramenta manente eadem materia repeti non possint; hoc tamen peculiare est in sacramento matrimonii, quod ex ea parte, qua contractus est, iterari potest; sicut possunt iterari alii contractus.

68. Collige, Procuratorem, dum nomine alterius contrahit, neque delinquere, si in peccato lethali detineatur, neque gratiam recipere, si sit charitate præditus; quia, neque materia, neque forma, neque ministerium, ipsius est, sed se habet tantummodò tanquam conditio sine qua non; & ex hoc ampliùs respondebimus argumento addito in 2. objectione.

Hæc scripsi, elige tamen sententiam, quam volueris. Argumenta Cani non exposui, de his enim dicendum erit, ubi de hujus sacramenti ministro.

ARTICULUS VII.

Utrum Matrimonium fidelis cum infideli sit Sacramentum ex parte fidelis, & utrum sit licitum.

69. NON inquiro de matrimonio infidelis cum infideli; citra enim controversiam est, non esse sacramentum propriè dictum, ut colligi potest ex iis, quæ in antecedentibus non omisimus, præsertim quod nullus infidelis illud tanquàm sacramentum intendat celebrare, & infidelis, de quo loquimur, careat baptismo, sine quo nullum sacramentum validum est. Inquiritur igitur in hypothesi, in qua v. g. Catholicus cum Infideli contraheret, an saltem ex parte Catholici sacramentum esset.

70. Affirmant Sot. in 4. dis. 26. quæst. 2. art. 3., Echius tom. 4. hom. 73., Catharin., Rebel., Aversa, Rosign.; & plures ex Scotistis; negant verò Sanch. lib. 2. disp. 8., Vasq., Enriquez, Isambert., Mastrius, & fermè omnes recentiores. Becanus verò inquit, hujusce dubii resolutionem pendere ex eo, quod statuatur, utrum matrimonium sit unum tantum indivisibile sacramentum, vel duo partialia; si primum affirmetur, concludit, neque esse sacramentum ex parte fidelis; secus verò, si secundum; de hoc puncto alibi.

71. Mihi magis placet sententia negativa, atque eam sic suadere contendo, Contractus, qui fit inter fidelem & infidelem non fuit elevatus à Christo ad dignitatem sacramenti; ergo nullo modo est sacramentum; prob. ant. Ut contractus, qui est inter fidelem & infidelem, dicatur elevatus à Christo ad dignitatem sacramenti, requiritur, quod ambo sint legitimi ministri contractus ita elevati, sicuti ut sint ministri contractus absolutè, necesse est, ut ambo habeant facultatem contrahendi; atqui in contractu inter fidelem, & infidelem ambo non sunt ministri contractus ita elevati, quia infidelis, sicut caret baptismo, ita nec habet facultatem activam conficiendi sacramentum matrimonii, nec passivam illud recipiendi; ergo.

72. Argumentum hoc fundamentum habet in Conciliis & Patribus expressè docentibus matrimonium esse tantùm sacramentum in Ecclesia, & re-

spe-

ſpectu baptizatorum; ita ut ſolus baptizatorum contractus fiat ex Chriſti inſtitutione ſacramentum; at contractus fidelis cum infideli non eſt contractus baptizatorum, ſed baptizati cum non baptizato; ergo.

Neque valet illorum reſponſio, qui dicunt, ita accipiendam eſſe illam propoſitionem,ut non requiratur,ambos eſſe baptizatos, ſed ſufficiat, unum eſſe baptizatum, ut ex parte iſtius ſit ſacramentum; non valet inquam; nam in primis hæc eſt petitio principii, deinde hujuſmodi explicatio propoſitionis veritatem non ſervat. Demus enim hypotheſim alicujus legis, ſtatuentis, ut tantùm nobiles emere poſſint aliquem comitatum; deinde velint emere unus nobilis, alius plebejus; tunc dici poſſet, plebejum cum nobili emere poſſe, quia poſſemus pari modo illam legem ſic intelligere, ut ſufficiat, ſi unus ſit nobilis; quod planè non admittes; ita à pari ſi Patres dicunt, contractum matrimonialem baptizatorum tantùm eſſe elevatum ad ſtatum ſacramenti, neceſſe eſt, ut ambo ſint baptizati.

73. Priorem rationem confirmo. Chriſtus Dominus non elevavit, niſi integrum contractum; ſed in ſolo baptizato non eſt integer contractus; ergo in ſolo baptizato non elevavit; proinde neque ex parte fidelis erit ſacramentum. Addo: argumenta in oppoſitum parùm firma videri, ut ſtatim declaro.

74. Op. 1. Infidelis poteſt habere intentionem faciendi, quod facit alter conjux fidelis, vel quod facit Eccleſia; ergo eſſe poteſt miniſter ſacramenti matrimonii; & ſicuti, ſi intendit facere quod facit Eccleſia, eſſe poteſt miniſter baptiſmi, ita eſſe poterit miniſter matrimonii.

Reſp. ad ſacramentum matrimonii vel recipiendum, vel efficiendum, non ſufficere intentionem recipiendi & faciendi, ſed requiri facultatem activam, & paſſivam,quod patet etiam in aliis ſacramentis,præter ſacramentū baptiſmi, quod cum ſit ſacramentum neceſſitatis, & primum omnium ſacramentorum,poteſt ex divina inſtitutione, juxta quam omnibus parat, & vult dare media neceſſaria ad ſalutem, ab omnibus conferri; cum igitur infidelis licet habeat intentionem faciendi, quod facit alter conjux fidelis, vel Eccleſia, non habeat hanc poteſtatem activam &c., non poteſt concurrere ad efficiendum ſacramentum matrimonii. Ex dictis patet diſparitas poſteriori argumento.

75. Op. 2. Poteſt unus capax efficiendi ſacramentum, illud efficere, quin tamen efficiat alter, qui incapax eſt; ergo ſacramentum matrimonii poteſt eſſe hujuſmodi ex parte fidelis,quin ſit ex parte infidelis. Prob. ant. poteſt unus capax recipiendi fructum ſacramenti, illum recipere, quin tamen recipiat alter,qui incapax eſt; ergo à pari.

Reſp. ant. eſſe verum, quando unius actio totalis eſt, nec dependet eſſentialiter ab actione alterius; ſic ſi Sacerdos & Laicus proferrent verba conſecrationis ſuper materiam aptam cum debita intentione, Sacerdos ſacramentum conficeret, non laicus; eſſe tamen falſum, quandò è contra, ut res ſe habet in caſu; Siquidem ſacramentum matrimonii ſupponere debet mutuum indiviſibilem contractum, qui non ſolùm à fideli, qui eſt capax ſacramenti efficiendi, ſed etiam ab infideli eſſentialiter fit; proinde &c. ex quo habes diſparem rationem, quantùm ad recipiendum effectum ſacramenti; ſiquidem unius diſpoſitio non dependet à diſpoſitione alterius, nec faciunt recipientes ſacramentum unam indiviſibilem diſpoſitionem.

76. Op. 3. ex Averſa, aliiſque: Potuit inſtitui à Chriſto matrimonium in ſacramentum tali pacto, ut quotieſcumque contraheretur à fideli capaci ſacramentorum novæ legis, verè eſſet ſacramentum, etiamſi alter ob defectum baptiſmi incapax ſit,ergo ita inſtituit;

tuit, & ratio est, quia fidelis contrahens cum infideli indiget spirituali subsidio, ad quod fuit à Christo data virtus ipsi matrimonio, ad onera ejusdem sustinenda, sicut indigeret, si contraxisset cum fideli, & fortasse indiget majori.

Resp. argumentum à potentia ad actum non tenere; nec ullus inficiari potest, id à Christo fieri potuisse; imò etiam potuisse contractum matrimonialem infidelium ad Sacramentum evehere; Quod igitur non solùm hoc potuerit instituere, sed reverà instituerit, probari debet ex Scripturis, vel Conciliis, vel Patribus, at Scripturæ, Concilia, & Patres potiùs oppositum docent, ut dictum est num. 72. Dixi *potiùs*, non enim contendo assertionem meam fide esse tenendam. Neque ratio adducta quidpiam probat: etenim illa auxilia, quibus indiget fidelis pro matrimonii oneribus sustinendis, consequi poterit, si id postulabit, per preces, ac virtutem fidei, & baptismi; Sicut dicam de matrimonio infidelium, qui postea ad fidem convertuntur, nec tamen accedente baptismo fit sacramentum, ut etiam asserunt plures Doctores, qui in præsenti puncto nobis adversantur.

77. Dices: ex scriptura habetur, Sacramentum esse ex parte fidelis; dicit enim Apostolus 1. ad Corint. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.*

Sed contra: non video, quo pacto hæc verba deducantur, ut inde inferatur, Matrimonium hoc esse Sacramentum ex parte fidelis; ibi sermonem habet Paulus de sanctitate non Sacramenti, sed vinculi legitimi, quod semper sanctum est juxta legem naturę, & etiam divinam institutionem, sicut fuit in lege naturæ, & scripta, quamvis Sacramentum non esset; quod igitur legis sanctum, intellige legitimum; sicuti dum dicitur. *Alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*, intellige legitimi. Quod etiam de matrimonio infidelium dicendum est.

Neque instes, aliquid plus tribui juxta textum matrimonio fidelis cum infideli, quam tribuatur matrimonio infidelium: etenim hoc ampliùs tribui debet sanctitati, quæ oriri potest ex familiari inter illos consuetudine, quatenus per mulierem fidelem ad meliorem frugem converti possit vir infidelis, & per virum fidelem infidelis uxor. Et si instares, faciliùs per infidelem perverti fidelem, quàm per fidelem infidelem converti; hoc nego: sicut enim fides nostra firmior est, quam infidelitas, ut constat ex tot martyribus, quos habet fides, & quibus caret infidelitas; ita faciliùs cedet infidelis fideli, quàm fidelis infideli; & plùs concedi debet Dei virtuti, quæ fidem munit, quàm diaboli versutiæ, quæ infidelitatem excęcat.

78. Postremum argumentum promovet quidam recens author; nimirùm, æquum non videri, eo tempore, quo Ecclesia saltem toleravit matrimonia fidelium cum infidelibus, fideles caruisse Sacramento Matrimonii, ejusdemque fructu.

Miror, Doctorem istum sorbonicum ita loqui, cum tamen ipse fateatur, matrimonia clandestina, quę fuerunt ab Ecclesia tolerata, non fuisse Sacramentum; idem igitur potiori jure dicam, æquum non videri, ut ante Concilium Tridentinum, fideles, qui contrahebant sine præsentia Parochi & testium, caruerint Sacramento ejusdemque fructu.

79. Progredior modò ad secundum punctum in titulo propositum; atque in primis fuisse per quinque priora sæcula tolerata legitima matrimonia fidelium cum infidelibus, certum nobis argumentum præbent historiæ. Eunicem Timothei matrem fidelem fuisse, refert Paulus 2. ad Timot. cap. 1. verbis istis; *recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, & habitavit primùm in ma-*

in matre sua Eunice. Ejus verò Patrem fuisse gentilem, scribit Lucas act. 16. dicens. *Discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus Patre gentili*. Monicam piam sanctamque fœminam matrimonio junctam Patricio viro infideli testatur filius Augustinus lib. 9. confess. cap. 9., & Sanctam Glotidem Christianam nupsisse Clodovæo Francorum Regi, qui ethnicus erat, meminit Gregor. Turonen. lib. 2. hist. cap. 28., aliaque similia non omisit Venerabilis Beda lib. 1. hist. Anglorum cap. 25., & lib. 9. cap. 9., imò hæc matrimonia non infrequentia fuisse tempore Sancti Hieronymi, colligitur ex ejusdem lib. 1. contra Jovinian., nec non ex S. Augustino de fide & operibus cap. 19. ubi etsi ea non approbat; attamen asserit nullum in contrarium in Evangelio, vel novi testamenti libris esse præceptum.

80. Quare autem fuerint ab Ecclesia tolerati, aliam non existimo afferri posse rationem, nisi quia ex una parte nullum ex parte fidelis in talibus circumstantiis temporis & personæ foret subversionis periculum, ex alia magna sperari posset utilitas, sive conversionis eorum, qui infideles erant, & reverà Monica Patricium, Clotildes Clodavæum fidei adjecerunt; quod & in Valeriano factum novimus à Cæcilia, sive majoris quietis Ecclesiæ, quam infideles uxoribus suis adhærentes, aut promoverent, aut saltem non perturbarent: Quis enim ignorat, Assuerum, quamvis idolis servientem; attamen ut Esther gratiam largiretur, benignè se gessisse in Judeos?

81. Dixi semper, matrimonia hæc fuisse tolerata; etenim per se loquendo, ea fuisse prohibita propter subversionis periculum, plura momenta suadentia non desunt. Prohibitum olim fuit 3. Reg. cap. 11., Judæos adire mulieres Moabitidas, quare? *certissimè enim*, inquit textus, *avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum*. Testis ipse Salomon, quem gentiles fœminæ idololatram effecerunt. Paulus etiam inquit 1. ad Corint. 7. de Christiana, ut, *cui vult nubat, tantùm in Domino*, idest viro religionis ac fidei suæ cultori, ut interpretantur Tertul. lib. 2. ad uxorem cap. 2., Hieronym. lib. 1. adversus Jovinian. cap. 5. & communiter alii Patres. Novit hoc præ cæteris Patribus S. Ambrosius, qui lib. 1. de Abraham cap. 9. perpendens illa verba, *Cum Sancto Sanctus eris, & cum perverso perverteris* inquit, hoc magis valere in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est, & deinde concludit. *Cave Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere; Cave Gentilem aut Judæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omninò alienam à fide tua, uxorem accersas tibi*. Noverunt denique & ipsa Concilia: Laodicen. can. 10. Carthagin. 3. can. 12., Chalcedon. generale can. 14. & priùs Eliberitan. can. 15. & 16.

82. A quo autem jure progrediatur hujusmodi prohibitio, non fuit una Sanctorum Patrum sententia. Aliqui enim in hoc jus naturale agnoverunt; aliqui jus divinum: & procul dubio, si subversionis periculum remotum non sit, utroque jure prohiberi in dubium revocari non potest; quia utroque jure tenetur quilibet tum suæ saluti, tum prolis incolumitati consulere, atque in hoc casu nullam ab Ecclesia, Romanoque Pontifice fieri posse dispensationem ita certum est, sicuti certum est, nullam in Ecclesia ac Romano Pontifice potestatem esse in iis, quæ juris naturalis sunt, ac divini.

Utrum verò in nullo casu possit Pontifex hæc connubia dispensare, ita ut licitè possit fidelis cum infideli contrahere, fuerunt aliqui id asserentes; sed perperàm, quod ostendam, ubi de cultus disparitate pertractabo.

A R-

ARTICULUS VIII.

Utrum Matrimonium contractum ab infidelibus fiat Sacramentum, si ad fidem convertantur.

83. Loquor de Sacramento propriè dicto, prout est signum practicum collativum gratiæ, non præcisè prout est signum repræsentans conjunctionem Christi cum Ecclesia, in quo sensu est tantùm signum speculativum. Affirmant plures, sed non eodem modo. Paludan. in 4. dis. 26. q. 4. art. 3. ad 5., Bellarmin. de matrim. in fine capitis quinti, Sanchez lib. 2. disp. 9. aliique, quos ipse refert, docent absolutè per susceptionem baptismi fieri Sacramentum. Capreolus, Echius, Velarminius, Petrus de Ledesma &c. fieri hujusmodi, si tamen accedat novus consensus, & ratificatio; Pro hisce sententiis affertur S. Th. in 4. dis. 39. q. unica art. 2. ad primum ubi ait, *matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, quia non contrahunt in fide Ecclesiæ, sed habitu*, existimat igitur per conversionem ad fidem & baptismum Sacramentum evadere; aliter frustra esset habitus ille, seu potentia, quæ nunquam ad actû posset reduci. Negant verò absolutè alii Doctores etiamsi novus consensus, & ratificatio accedat. Tales sunt Vasquez disp. 2. de matrim. cap. 10., Coninch., Sylvius, Diana, Hurtadus, & ex Scotistis Hiquæus, & Mastrius. Hæc mihi probabilior videtur.

84. Prob. Si matrimonium contractum in infidelitate fit per baptismi susceptionem Sacramentum, vel fit, quia matrimonium illud aptum est secundum se, ut Sacramentum fiat, vel redditur aptum per novum consensum; sed neutro modo; ergo, prob. prima pars min. quando confertur baptismus, contractus ille matrimonialis ampliùs non est, & quamvis perseverat in vinculo; attamen Sacramentum Matrimonii non consistit in aliquo permanente moraliter, sed in ipso contractu, quando fit; ergo sicut ille contractus sine baptismo non erat aptum ut fieret Sacramentum; ita neque fit per ipsum baptismum; ratio autem est, quia tunc Sacramenta fiunt, quando applicantur materia & forma; sed quando confertur baptismus, non applicantur materia & forma contractus, sed jam applicatio præcessit; ergo quando confertur baptismus, non potest matrimonium præcedens evadere Sacramentum. Prob. 2. pars primæ minoris. Quamvis accedat novus consensus, non fit tamen novus contractus, neque novum matrimonium; sed prius absque aliqua sui mutatione perseverat; sed illud sine baptismo ineptum erat; ergo etiam ineptum remanet; neque enim Christus Dominus elevavit consensum post factum contractum, sed consensum qui fuit in contractu; Quod si posterior consensus sufficeret, jam pro sui arbitrio semper possent per consensus repetitionem Sacramentum iterare, & novam gratiam ex vi Sacramenti semper recipere; ratio est, quia per accedentem consensum non habetur materia ad contractum ineundum idonea; hæc enim est libera potestas, quam conjuges habent ad transferendum dominium sui corporis, qua potestate carent conjuges, qui semel validè sui corporis dominium transtulerunt: sicuti si quis vellet novum contractum venditionis inire circa materiam jàm alteri venditam ac traditam, nihil efficeret, propter materiæ defectum, quæ ampliùs idonea non esset ad emptionem & venditionem; remanet igitur ille contractus matrimonialis, sicut erat ante baptismum; sed ante baptismum non erat materia Sacramenti; ergo neque talis fit per baptismum, & consensus accedens confirmat contractum in eo statu, in quo illum reperit; illum autem reperit invalidum in ratione Sacramenti; ergo etiam illum talem relinquit. Clariùs tamen hoc apparebit, quantùm pon-

ponderis habeant oppositæ sententiæ fundamenta, perpendendo.

85. Op. 1. Matrimonium contractum in infidelitate habet omnia requisita essentialia sacramenti, & ideò sacramentum non est, quia subjectum carens baptismo incapax est sacramenti; ergo accedente baptismo, subjectum fiet capax, & sacramentum fiet; Hoc ostendi potest exemplo: Si enim confirmatio, vel ordinatio conferretur non baptizato, haberentur omnia essentialia pro confirmatione & ordinatione, & tantùm sacramenta non essent, nec characterem imprimerent, quia subjectum non est sacramenti capax; ita in re nostra.

Resp. ne. ant. defuit enim & debita materia, & legitimus minister, qui tantùm potest esse, qui baptismi characterem recepit, & solus mutuus consensus baptizatorum ad sacramenti gradum fuit evectus à Christo; Non est autem par ratio de confirmatione & ordinatione, quæ supponuntur collatæ à legitimo ministro cum omnibus necessariis ex parte sui; quanquam falsum est, illam confirmationem & ordinationem fore sacramentum, nisi supponatur baptisma conferri in ultimo instanti collationis ordinis, vel confirmationis.

86. Op. 2. Si venditio facta non sit ita rata, quin in potestate cujuslibet ex contrahentibus sit eam irritare, dicitur propriè denuò facta, cum ita firma efficitur, ut solvi non possit; sed matrimonium infidelium poterat ante dissolvi, nempe si unus ad fidem converteretur; si vero baptizentur, & novo consensu illud ratum faciant, dissolvi ampliùs non potest; ergo tunc dicetur propriè contrahi; adeoque fiet sacramentum, sicut si esset post baptismum contractum.

Resp. Si venditio talis sit, ut possint emens & vendens ab ea recedere, non fuit propriè venditio; sed tantùm venditionis propositum; siquidem in quolibet contractu requiritur mutuus consensus, ut sit verus contractus; nisi fortè sit contractus conditionatus, in quo sensu fieri potest alius contractus, qui sit absolutus; matrimonium autem ante baptismum fuit absolutè verum, & quidem ex natura sua indissolubile; quamvis ex causa religionis dissolvi possit, si alter conjux nolit cohabitare pacificè & sine injuria creatoris; quare illud dissolvere non spectat ad illum, qui ad fidem convertitur, nisi sub conditione, & quidem tali, quam ipse non potest apponere, sed alius. Atque nota, non idem esse, matrimonium solvi non posse, ac esse sacramentum; Siquidem, sicuti solvi potest, ut patet in matrimonio rato, quod dissolvitur per ingressum in Religionem, & tamen est sacramentum; ita fieri potest, solvi non posse, & tamen non esse sacramentum; Ideo autem dicitur, solvi ampliùs non posse post baptismum, quia sublata est unica causa, ob qnam posset dissolvi, nempe, ut dixi, causa religionis. Quod si apud Patres invenies, matrimonium esse insolubile, quia est sacramentum, sume sacramentum lato modo, nempe prout est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quod signum actu non habetur, nisi sit matrimonium eorum, qui sunt membra Christi saltem per baptismum; non quia sit ex opere operato gratiæ collativum, in quo tantùm valet assertio nostra. Juxta hæc responde testimonio Sancti Thomæ adducto n. 83. nempe si post baptismum infideles habeant maritalem copulam, tunc eorum matrimonium, quod erat tantùm potentia, seu habitu sacramentum, fit actu; quia tunc exprimit conjunctionem Christi prædictam, quàm priùs non exprimebat, & hoc patet ex eodem S.Doctore ibidem q.2.art.2.quod & docet Argentina in 4.dis.39.q.1.ar.1.ad 2.

87. Op. 3. Hujusmodi conjuges baptizati tenentur eodem vinculo, ac gravamine, quo tenentur illi, qui contrahunt post baptisma; ergo etiam Deus ipsis confert eandem gratiam; proinde in utroque casu est sacramentum.

Resp. negando consequentiam; etenim etiam in statu legis naturæ, & scriptæ idem erat vinculum, & gravamen, nec tamen matrimonium erat sacramentum: Fateor tamen, quod post baptismum utriusque conjugis conferet Deus majora auxilia; sed non intuitu sacramenti, quod sit matrimonium, sed fidei, ac baptismi, aliarumque virtutum, quas in Christiana religione exercere meritoriè poterunt, necnon per preces Ecclesiæ, quarum fructum omnes, qui in ejus gremio conquiescunt, percipiunt.

QUÆSTIO II.

De Materia, Forma, ac Ministro Sacramenti.

ARTICULUS I.

De Materia, & Forma.

88. SI qua in suis placitis proponendis fuit Theologorum divisio, eam certè in proposite difficultatis resolutione conspicio. Cum enim in Concilio Florentino Eugenius IV. in Decreto definierit, omnia sacramenta novæ legis perfici materia, forma, & persona ministri, atque hæc tria in aliis sacramentis assignaverit; cum verò ad explicandum sacramentum matrimonii nihil aliud dixerit, nisi causam efficientem ipsius regulariter esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum; locum fecit Doctoribus, quo pro materia & forma ejusdem varia possent salva fide proferre; in qua tamen opinandi diversitate Hæretici non glorientur; cum etsi certam materiam & formam Catholici nequeant assignare, cum de hac nihil in scripturis reperiatur, nihil à traditione receptum sit, nihil à Patribus scriptum; attamen aliquam esse materiam, aliquam formam fateantur, sicut juxta fidem sacramentum profitentur: atque ut optimè adnotavit P. Suarez tom. 3. de sacram. disp. 2. sect. 1. controversia hæc non tàm sit de re, quàm de modo loquendi, cum omnes affirment, necessarias esse ad matrimonium contrahendum personas idoneas, & mutuum utriusque contractibus consensum verbis aut signis de præsenti expressum.

89. Quemadmodùm verò in omnibus contractibus alia est materia *circa quam*, alia *ex qua*; ita etiam in contractu matrimoniali; de illa non inquirimus, cum se habeat tantummodo tanquam objectum contractus, proinde intrinsecè contractum non afficit; sed tantùm de ista, quæ unà simul cum forma constituit unum morale compositum, & utrique contrahenti obligationem indicit; & quidem inquirimus de materia & forma physica, non metaphysica, cum certum sit; materiam metaphysicam esse totum contractum suis causis undequaque perfectum; formam verò esse significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, necnon gratiæ sanctificantis juxta Christi institutionem; quod etiam videmus in aliis sacramentis; etenim in sacramento baptismi materia metaphysica est conflatum ex ablutione & verbis, forma verò significatio interioris ablutionis seu regenerationis; materia verò physica est ipsa ablutio, & verba sunt forma.

90. Nimium autem prolixus essem, si vel-

ſi vellem omnium ſententias in medium profetre, ac pro una ſtatuenda rejicere; aliquas tantùm, quæ plures patronos habent, recenſebo, & unam ad ſequentem articulum protraham. Canoniſtæ communiter, ex cap. *Tua nos, de ſponſalibus*, aſſerunt, mutuum conſenſum contrahentium eſſe materiam; verba autem, quibus exprimitur ille conſenſus, eſſe formam; Hanc opinionem ſequitur Navarrus, illamque probat ex l. 1. ff. de verb. obligat., ubi dicitur, ſtipulationem perfici ex conſenſu interrogantis & reſpondentis ut materia, & verbis utriuſque, ut forma; nec aliud eſſe diſcrimen inter alios contractus, & matrimonium, niſi quod in illis neceſſaria ſunt verba formalia, in hoc verò ſufficiunt etiam æquivalentia, ut nutus, & alia ſigna externa, imò etiam taciturnitas, ſeu non contradictio ſponſæ; Ex Theologis pro iſta citantur Capreol. in 4. diſ. 26. qu. unica art. 3. ad 7., & Deza quæſt. 1. art. 3., eamque tanti facit Averſa qu. 2. ſect. 3. ut cæteris præferendam affirmet, eum ſic dicendo tota ſubſtantia ſacramenti aſſignetur in actibus humanis, qui in hoc ſacramento re exercentur & cum illo tranſeunt; & ſervetur conſtare ex rebus & verbis; quia conſenſus interior ad rem pertinet, expreſſio verò exterior ſpectat ad verba.

91. Hæc ſententia prorsùs rejicienda non eſſet, ſi præter conſenſum internum, qui procul dubio inſenſibilis eſt, afferri poſſet aliqua alia pars materiæ, quæ ſenſibilis foret; ut admittimus in ſacramento pœnitentiæ, pro cujus materia ſtatuimus contritionem, vel etiam attritionem, utique inſenſibiles, attamen admittimus etiam aliam, per quam ſenſibiles fiant, nempe confeſſionem, quæ cum interno dolore unam totam materiam conſtituit; at cum non afferatur alia materia, quæ ſenſibilis ſit, non ſervat ea, quæ ad ſacramentum novæ legis pertinere videntur. Præterea: ita de materia ſacramentorum juxta analogieam conſiderationem loqui debemus, ſicut de materia compoſitorum, quæ phyſica ſunt; ita ut, ſicut iſta per ſuam formam phyſicam determinatur, ita & illa determinetur per ſuam formam moralem, proinde ſejuncta à forma ſit indifferens ad plura; at conſenſus internus ad plura indifferens non eſt, quia determinatus eſt ad ſuum objectum exprimendum; ergo nequit eſſe materia matrimonii. Plura dicerem, niſi me ad philoſophicas quæſtiones provocari ſentirem. Quod verò dictum eſt ex illa lege ff. de verb. obligat., falſum eſt, ibi afferri materiam ſtipulationis, ſed tantùm affertur modus, quo, & quando valida ſit ſtipulatio, quæ ex interrogatione & reſponſione valida ſit; unde neque inter ſurdos & mutos, aut abſentes, qui ſe mutuò alloqui, aut audire non poſſint, ſtipulatio eſſe poteſt. Superiori ratione excluditur illorum placitum, qui dicebant, conſenſum internum eſſe formam, verba verò exprimentia conſenſum eſſe materiam; ſiquidem etiam forma debet eſſe ſenſibilis.

92. Paludan. in 4. diſ. 16. quæſt. 4. art. 3. ad 2., S. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 2., Petrus de Soto lect. 3. de matrim., Covar. 4. decr. par. 2. cap. 1. §. unico num. 8., aliique, exiſtimarunt, ipſos contrahentes eſſe materiam, verba autem eſſe formam; quemadmodùm etiam contingit in aliis contractibus.

Hæc opinio ſolvit id, quod in ſuperiori numero diximus, ſed in aliam incidit difficultatem; quemadmodùm enim res, quæ venditur, aut locatur, eſt quidem materia contractus *circa quam*, non tamen *ex qua*; ita ipſi contrahentes eſſe poſſunt prima materia, non alia, de qua inquirimus; & rurſus materia ſacramentorum debet ſuo modo ad gratiæ productionem concurrere; at ipſi contrahentes per ſemetipſos non concurrunt, ſed per ſuos actus, unde potius iſti materia dici deberent.

93. Summiſtæ communiter arbitran-

trantur, materiam remotam matrimonii esse corpora ipsorum contrahentium, proximam verò suorum corporum traditionem verbis seu nutibus internum consensum exprimentibus factam; formam autem esse mutuam ipsorum corporum acceptationem factam similiter à contrahentibus; atque ideò dicunt, contrahentium verba esse secundùm diversum respectum mareriam & formam; sunt materia, quatenùs per ea traduntur corpora, sunt forma, quatenùs corpora acceptantur: ratio est, quia traditio corporum indifferenter se habet, donec accedat acceptatio; hæc autem illam determinat in ratione matrimonii; proinde &c. Hæc opinio tribuitur Bellarm., Suar., Becano, Isamberto, eamque tuetur Sanchez lib. 2. disp. 5. num. 6., qui plures alios ejusdem affert patronos.

94. Hanc ego libentissimè amplector; etenim ita loqui debemus de contractu matrimonii, sicut de aliis contractibus, nam in ratione contractus ille non differt ab aliis, & in ratione sacramenti non habet diversam rationem in materia & forma à se ipso ut contractus est, sed tantùm superadditur institutio divina, quæ ipsum ad sacramenti excellentiam elevavit; atqui in aliis contractibus traditio rei, sensibiliter facta, est materia, acceptatio verò, verbis expressa, est forma; ergo etiam in matrimonio; Hujus rationem superiùs indicavi, siquidem traditio corporum est aliquid informe, & contractus tandummodo inchoatus manens suspensus, donec accedat acceptatio, quæ proinde ipsum complet, atque determinat. Hanc fuisse etiam Concilii Florentini mentem, non obscurè colligi potest; assignat namque causam efficientem sacramenti matrimonii esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum, nec aliquam aliam causam materialem aut formalem assignat, cum tamen in aliis sacramentis assignaverit; Sensit igitur, ipsam causam efficientem esse etiam juxta diversam considerationem simul materialem, ac formalem; in quo certè nullum absurdum; nam si ablutio, & verba à baptizante prolata, sunt materia & forma baptismi, & tamen sunt causa effectrix gratiæ, & characteris; quare mutuus conjugum consensus per verba de præsenti expressus, esse non poterit causa materialis & formalis contractus, respectu verò gratiæ, & nexus conjugalis causa effectrix? Hoc etiam docuisse S.Thomam haud difficile conjici potest, siquidem in 4. dis. 26. art. 1. ad 1. dicit, verba conjugum esse formam, & ad 2. actus conjugum esse materiam; at quinam sunt isti conjugum actus, nisi verba?

95. Duo contra hæc opponuntur. 1. Materiam & formam in hac sententia non re, sed tantùm ratione distingui; quod est contra Concilia dicentia, materiam sacramentorum esse res, formam esse verba. 2. Falsum esse, traditionem corporum esse quid determinabile per acceptationem, & tantùm inchoare contractum; etenim fieri potest, acceptationem præcedere, & compleri per traditionem; ut constat in contractu donationis, vel commutationis, in quo donatarius, vel &c. potest antecedenter rem petere; proinde traditio rei est posterior, & complet acceptationem.

Ad primum: Dum de sacramentis agimus, non debemus nisi juxta quamdam analogiam sumere materiam & formam, & res & verba non debent considerari materialiter, sed formaliter; & sicuti verba habere possunt rationem materiæ, ut patet in sacramento pœnitentiæ, ita res explicatæ per verba, possunt habere rationem formæ, ut in nostro casu; Illud igitur erit materia, quod determinatur, illud forma, quod determinat: & in re nostra argumentum ab aliis sacramentis desumptum non probat; quia nullum aliud sacramentum in contractu fundatur.

Ad

Ad ſecundum : In contractibus non eſt attendendum, quod per accidens contingit, ſed quod ordinariè & per ſe, ordinariè autem & per ſe traditio præcedit & inchoat contractum, acceptatio ſubſequitur, & perficit; ſed quamvis etiam demus, acceptationem præcedere, adhuc ipſa contractum complet; quia licet duratione ſit prior; attamen perſeverare debet, ac ratam facere traditionem ſibi factam, & donatarius ipſe, qui priùs rem poſtulabat, poſſet revocare ſuam acceptationem contentam in petitione, quam ſi revocaret, contractus eſſet nullus.

96. Alias opiniones, & modos, quibus aſſertores ſui illas propugnant, non commemoro; cum aliquæ omninò improbabiles ſint, aliquæ verò cum prædictis confundantur. Unum adverto, nempe, in hac re non eſſe adeo ſubtiliter inveſtigandum, & quod uſque modo Concilia non ſtatuerunt, neque à nobis eſſe ſtabiliendum, ipſe Chriſtus Dominus hujus ſacramenti materiam & formam non expreſſit; quia novum ſymbolum non inſtituebat, ſed ſolùm humanum ac uſu receptum contractum ad ſacramentum evexit, illi tribuendo novam ſignificationem, ac gratiæ promiſſionem; igitur neque à nobis aliquid certum pro materia ac forma eſt determinandum, ſed de hoc contractu ita loqui debemus, ſicut de aliis.

ARTICULUS II.

Quinam ſit Miniſter hujus Sacramenti.

97. EX dictis ſatis patet, ipſos contrahentes eſſe miniſtros; unam tamen omiſi ſententiam, ut præmonui num. 90., quæ quidem antiqua, & nunc à quibuſdam recentioribus excitata, ac præ cæteris maximi habita. Illam docuit Can. lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. Illam Petrus Ledeſma de matrim. q. 42. art. 1. dub. 4. Illam Eſtius in 4. diſ. 26. §. 10. Illam Sylvius in ſuppl. 3. p. Sancti Thom. q. 42. art. 1. Contendunt autem iſti cum paucis aliis, miniſtrum hujuſce Sacramenti eſſe Sacerdotem, ſeu Parochum, proinde formam repetendam eſſe ex illis verbis, quæ ipſe profert, dum dicit, *Conjungo vos &c.* & hoc pacto ſervant omninò materiam & formam, & fateri coguntur, omnia matrimonia, quæ ante Tridentinum fiebant ſine præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, fuiſſe quidem vera in ratione contractus civilis, non autem in ratione Sacramenti. Nullius ego Doctoris placita cenſura aliqua afficere ſoleo, pluriſque alios habeo, quàm meipſum, & quidquid à Sede Apoſtolica veritatis magiſtra reprobatum non eſt, abſit à me reprobetur; atque, ut verum fatear, primos mentis impetus cohibeo, & frequenter calamum caſtigo, illud à natura inditum retinens, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* quod utinam omnes, ut deberent, ſervarent.

98. Abſit, inquam, ſententiam expoſitam à me reprobari; reprobarunt tamen alii non infimæ exiſtimationis Theologi. Inter iſtos Dominicus Soto in 4. diſ. 26. q. 2. art. 3. appellat ſingularem, & à nemine aſſertam, & diſt. 27. q. 1. art. 3. inquit: *Non prorsùs diffiteor, eam aliquam temeritatis notam ſapere.* Navar. in ſum. cap. 22. num. 20. monet, cautè legenda eſſe, quæ Canus docet de hoc Sacramento. Omitto Vaſquium, & Cardinalem de Lugo. Addam tantùm, primum dicere, non ſine cenſura legendum eſſe Canum; Secundus verò diſp. 8. ſect. 4. de Sacram. in gen. refert, quod noviſſimus index expurgatorius Cardinalis ſupremi in Hiſpania Inquiſitoris, editus an. 1630. temeritatis notam inurit illi ſententiæ, dùm præcipit, cautionem adhibendam eſſe in legendo quodam authore, qui eam ut probabilem aſſerebat.

99. Quod igitur noſtra inter eſt ſtabiliamus, & dicimus. Miniſtrum hujus Sacramenti non eſſe Parochum, vel alium

alium Sacerdotem; sed ipsos contrahentes.

Pluribus momentis id à nobis demonstrandum esse; præsens sibi vindicat causa. Atque à duobus Conciliis Florentino, ac Tridentino sumemus exordium. Illud unicuique Sacramento suam materiam, formam, ac ministrum tàm ordinarium, quàm extraordinarium assignat; cum autem ad Matrimonii Sacramentum venit, nullum ipsi ministrum determinat præter ipsos conjuges, dicens, *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*: dixit autem regulariter, non ad indicandum alium ministrum, seu causam efficientem esse posse, sed particula illa referri debet ad verba, quia etiam loco verborum formalium esse possunt nutus & signa, quæ verbis æquivalent. Porro si etiam Parochus esset hujusce Sacramenti minister, esset causa matrimonii effectrix, non enim alio titulo minister debet admitti, & hoc pacto non rectè instruxisset Armenos, qui doctrinam spectantem ad Sacramenta poscebant, & sicut postularunt, ita ipsis est tradita; atque ad minùs concedi deberet, non solum conjuges, sed etiam Parochum esse ministrum, & sic duo essent partiales ministri, quod tamen nec Doctores in hac re contrarii concedent.

100. Concedunt tamen, ac dicunt, consensum conjugum esse causam effectricem matrimonii, ut contractus civilis est; Parochum verò esse ministrum, ut Sacramentum est: Concilium autem loquitur de matrimonio in priori consideratione, non in secunda.

Effugium hoc prorsùs est vanum, quamvis sit præcipuum: etenim instructio Armenis data non erat pro matrimonio, ut contractus civilis est, sed prout Sacramentum est, & reverà ibi Concilium agebat de Sacramentis; igitur assignando causam efficientem matrimonii conjugum consensum, assignavit illius causam etiam in ea ratione, in qua est Sacramentum, neque ratio contractus civilis in matrimonio fidelium distingui debet à ratione Sacramenti, nisi iidem, qui contractum civilem efficiunt, separare velint per intentionem contrariam, quia contractus ille, dummodò fidelium esset, fuit elevatus ex Christi institutione ad Sacramentum; ministri igitur contractus sunt etiam ministri Sacramenti, dummodò fideles sint, & habeant intentionem ad Sacramentum requisitam, quin alium ministrum agnoscamus: & si aliter esset, sicut Concilium in reliquis Sacramentis statuit ministrum distinctum; ita etiam in hoc statuisset, ne dici posset, parum consectariè & accuratè rem pertractasse, ac decrevisse. Dixi *præcipuum*, nam nonnulla alia reponere solent, quæ tamen sunt magis inania, nec à nobis recitari postulant, ne superfluis paginam impleamus.

101. Aliud verò Concilium plura habet, quæ assertionem nostram confirmant, & muniunt. Sess. 24. sub initio, quæ est octava sub Pio IV., celebrata die 11. Novemb. an. 1563. differens de matrimonio veterum ante Christum, & aliorum post Christum, aliam inter utrumque diversitatem non agnoscit, nisi contractum illum, amoremque naturalem perfectum fuisse, ac indissolubilem unitatem confirmatam addita conjugum sanctificatione, quam Christus Dominus passione sua promeruit: quod prosequens argumentum dicit, matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstare: De hoc matrimonio can. 1. definit, esse verè ac propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis; Christus igitur contractum illum, qui ante ipsius institutionem erat purè civilis, Sacramentum effecit; sed in illo contractu ministri erant soli contrahentes; ergo etiam in illo, qui postea Sacramentum effectus est, sunt ministri contrahentes soli. 2. cap. 1. in decreto de refor-

reformatione matrimonii declarat, matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, rata ac vera esse matrimonia, illosque damnat, qui oppositum dixerint. Non est autem dicendum, Concilium approbasse tantùm matrimonia ista tanquam contractus civiles, non verò ut Sacramentum, siquidem priùs egerat, ac definierat de matrimonio ut Sacrameutum est; neque ad Patres convocatos ad stabiliendas res fidei, ac morum, de civilibus contractibus agere pertinebat; noverant enim omnes contractus istiusmodi civiliter ratos ac veros esse: unde doctrina Concilii superflua omnino fuisset, nec ullum hostem habuisset, contra quem dimicaret: Totum studium erat hæreticos proterere, qui negabant, matrimonium esse Sacramentum; igitur agere debuit de matrimonio, ut est Sacramentum, & rursùs cordi erat Concilio illos abusus evellere, qui ex matrimoniis clandestinis progrediebantur; unde eas apposuit conditiones, non quibus Matrimonium Sacramentum non fieret, si non servarentur, sed quibus ipse civilis contractus nullus ac irritus esset, quo dato auferebatur etiam ratio Sacramenti, quæ consurgit ex matrimonio, si reverà fuerit legitimus contractus; Quod verò conditiones appositæ à Tridentino afficerent tantùm civilem contractum, non verò Sacramentum, nisi consecutivè, manifestum est; quia toties jam dixerat Concilium, nullam in Ecclesia esse facultatem in iis, quæ spectant ad substantiam Sacramentorum; dum igitur asserit, illa matrimonia clandestina fuisse vera ac rata in ratione contractus, asseruit etiam fuisse vera ac rata in ratione Sacramenti; atque ideo ne in posterum essent in ratione Sacramenti, noluit esse in ratione contractus, ad quod tantùm se extendebat facultas Concilii & Ecclesiæ, ut suo loco demonstrabo; ex quibus sic breve argumentum propono. Ne matrimonia clandestina essent Sacramentum, illa declaravit ac voluit nulla in ratione contractus; ergo quandiu fuerunt valida in ratione contractus, fuerunt etiam in ratione Sacramenti; atqui ante Tridentinum fuerunt valida in ratione contractus; ergo fuerunt etiam in ratione Sacramenti, igitur ad substantiam Sacramenti non conferebat præsentia Parochi aut aliquod verbum ab ipso prolatum; proinde Parochus non est minister necessarius pro substantia Sacramenti.

102. Ampliùs ex eodem Concilio idem confirmo. Siquidem ita requirit præsentiam Parochi, sicut illam duorum vel trium testium, qui possint in judicio Ecclesiæ publicè testari; quod constat, quia ideo requiritur, ut exploratum habeat mutuum conjugum consensum, & quamvis dicatur, Parochum nullo impedimento interveniente debere proferre illa verba. *Ego in matrimonium vos conjungo*, vel alia similia juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum; attamen hæc verba ad formam non spectant, sed tantum ad solemnitatem; ita ut per illa declaretur, matrimonium illud legitimè initum esse; quod manifestum est, quia etsi Parochus nulla verba proferret, imò dissentiret, ac contradiceret, adhuc matrimonium substantialiter valeret. Quam verum sit, Parochi verba necessaria non esse, meliùs explicare non possum, quàm afferendo declarationem Cardinalium, qui interpretandæ Concilii doctrinæ propositi sunt: Hæc sunt verba: *Non pertinet ad substantiam matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat; ideo valet matrimonium, quamvis verba exprimentia consensum prolata sint tantùm à contrahentibus; dummodò Parochus sit præsens, & intelligat id, quod agitur, licet dissentiat, & contradicat: adhibitus verò Parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa principaliter esset vocatus; dummodò sit adhibitus etiam ad illum actum.* Hæc autem declaratio non solum est de matrimonio,

prout

prout contractus civilis est, sed etiam prout Sacramentum, quia loquuntur Cardinales juxta sensum Concilii, quod explicant: Concilium autem loquitur de eo, tanquam Sacramento, ut patet ex doctrina præcedente, & definitionibus canonum, qui jam statuti erant.

Neque verò cum Sylvio in 2. 2. S. Th. q. 100. art. 2. in fine dici potest, huic declarationi nullam fidem adhibendam esse; etenim Urbanus VIII. 2. Augusti an. 1631. ita statuit. *Declarationibus ejusdem S. Congregationis tam impressis, & imprimendis, quàm manuscriptis nullam fidem esse in judicio vel extra à quo quam adhibendam, nisi illis, quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint*. Hoc inquam dici non potest, siquidem declaratio à nobis adducta falsitatis suspicioni locum non relinquit, cum nec probari possit, inter eas esse recensendas, quas reprobat Urbanus; imò priùs reprobavit eadem congregatio an. 1621., & ex alia parte valdè conformis sit ejusdem Concilii doctrinæ, quod nec verba certa determinat, sed illa arbitrio Parochi relinquit, & totum matrimonii ritum sic concludit & perstringit. *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit.* Ubi perspicis nihil de Parochi verbis dictum esse, sed tantùm de ejus præsentia.

103. Hæc mihi, quantùm ad duo Concilia pertinet, in quibus de matrimonii Sacramento accuratiùs actum est, dixisse sufficiat; progrediar verò ad alia momenta: Primum sit à ratione deductum: Christus instituendo Sacramentum matrimonii, non mutavit substantiam contractus, sed tantùm elevavit; ergo neque mutavit ministros contractus, sed ministri contractus sunt tantùm ipsi contrahentes; ergo in matrimonio, etiam ut Sacramentum est, nullus alius est minister præter contrahentes; addita dumtaxat Christi elevatione, quæ non dependet ab alio ministro. Secundum sit petitum ab authoritate, in quo paginam integram implerem, si Doctores omnes afferre vellem, qui in nostra sunt sententia, quodve fatentur etiam ipsi adversarii: Dominicus à Soto, qui paulo ante scripsit, quam Canus librum suum de locis Theologicis ederet, dis. 26. quæst. 2. art. 3. dicit, tunc etiam aliquos fuisse, qui in disputationibus defenderent, verba illa à Sacerdote prolata, *Ego vos conjungo*, esse formam hujus Sacramenti; nullum tamen fuisse, qui hoc typis committere ausus esset, §. *Arguitur demum* asserit, *temerarium esse, negare omnia matrimonia clandestina fuisse invalida, ut Sacramenta*: Ex hoc fit, aut opinionem nobis oppositam esse falsam, aut totam Ecclesiam multis sæculis in re gravissima errasse; quia errassent Theologi, quorum judicio ducuntur Episcopi, & Parochi; & quamvis circa materiam hujus Sacramenti diversa protulerint, ut vidimus; attamen de forma nulla fuit inter ipsos ante Canum dissensio. Hoc dico, ne mihi reponas, etiam à me in quæstionibus de Eucharistia propugnatam fuisse conversionem immediatam aquæ in Sanguinem Christi, quamvis præcipua Theologorum sententia oppositum tradat; etenim ibi sermo erat non de Sacramenti substantia, sed tantùm de re, quæ sive affirmetur, sive negetur, Sacramentum Sanguinis non destruit, & ex alia parte Doctores illos facillimè explicavimus.

104. Quia tamen contendunt aliqui, S. Thomam aut fuisse nobis contrarium, aut saltem ex ipsius doctrina nihil pro nobis evinci posse; liceat nonnulla testimonia illius proferre. dis. 26. q. 2. art. 1. ad 1. inquit. *Verba, quibus con-*

consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale. dis.28.quæst.unica art.3. ait. *Consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit; quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti, alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenienter fiat.* Ex quibus aliisque explica, quo pacto in aliis locis, quæ nobis opponuntur, ubi asserit Sacerdotes esse Ministros seu dispensatores Sacramentorum, loquatur solum de Sacramento Matrimonii quantùm ad accessoria & extrinseca, non essentialia & intrinseca.

Demum doctrina nostra in objectionum confutatione amplius declarabitur, & hic ea consule, quæ diximus de matrimonio contracto per Procuratorem.

ARTICULUS III.

Refelluntur argumenta contraria.

105. OP. 1. Ita de benedictione nuptiarum loquuti sunt Patres & Concilia, ut ipsam in Matrimonii Sacramento essentialem esse fateri debeamus; ergo minister, qui illam impertitur, erit Sacerdos. Pro ant. plura Patrum testimonia producendo. Tertullianus lib. 2. ad uxorem versùs finem. *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant &c.* Basilius hom. 7. in Exameron. *Jugum per benedictionem impositum distantium fit conjunctio.* S. Ambros. Epist. 19. ad Vigilium. *Cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat &c.* Similia habent alii quam plures.

Ex Conciliis clarissimè loquitur inter cætera Coloniense c.40. sub Paulo III. an.1536. hæc habens. *Quod Sacramentum*, nempe matrimonium, *si quis, sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam, mulier vicissim propter Christum amet, revereaturque virum suum, ut Dominum.* Cameracen. an. 1567. cap. 1. sic effatur, *Cum constet, in matrimonio habendam esse rationem non solùm divinæ constitutionis, sed etiam Sacramenti, & gratiæ, quam in illo consequuntur fideles, admonendos esse duximus Parochos hujus ministros &c.*

Accedunt Ritualia, Romanum antiquum an.1494. ait: *Contrahentibus respondentibus se nec affines nec consanguineos &c. Sacerdos pronuntiet verba, quæ sunt forma hujus Sacramenti.* Alterum Romanum jussu Pauli V. editum inquit in præfatione, inter Sacramenta, quorum administratio ad Parochos pertinet, esse matrimonium, & idem reperitur in Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo parte 4. actorum.

Imò ipsi Summi Pontifices ita sentiunt. Evaristus, quintus à Petro Pontifex, Epist. 1. ad Episc. Africæ, quæ refertur 30. q. 1. can. 5., appellat conjugia absque Sacerdotis ministerio, & benedictione fornicationes, stupra, & adulteria. Demum Siricius in Epist. ad Himerium Tarraconensem cap. 4. inquit: *Illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Demum Innoc. I. in Epis. 9. ad Probum asserit, matrimonio dari gratiam divinam, quando celebratur; atqui celebratur, quando Parochus benedictionem elargitur; ergo: similia habet in Epist. ad Victricum Rothomegensem.

Ex quibus omnibus sic argumentum proponitur. Illud pertinet ad essentiam Sacramenti, quod matrimonium obsignat, distantes conjungit, conjugium sanctificat, donum Spiritus San-

Sancti confert, quo Parochus minister declaratur, quod se habet ut forma, & sine quo matrimonium existimatur ut fornicatio, stuprum, adulterium; sed hæc omnia conveniunt benedictioni, quam Parochus, vel de ejus aut ordinarii licentia Sacerdos elargitur; ergo hujus benedictio ad essentiam Sacramenti pertinet; proinde &c.

106. Respond. ex hisce omnibus nihil probari, nisi quod nos fatemur; nimirùm benedictionem Sacerdotis spectare ad solemnitatem matrimonii, ad præceptum Ecclesiæ, ad sanctificationem ad instar orationis, & impetrationis; non autem ad essentiam, & sanctificationem ex opere operato, qualis tribui debet Sacramentis, & juxta hæc respondemus argumento proposito in fine. Quod autem res ita se habeat, per singula inspiciamus, aut saltem per præcipua, juxta quæ cætera erunt intelligenda.

Si testimonium Tertulliani quidpiam pro adversariis probaret, ea omnia dicenda forent spectare ad essentiam matrimonii, & sic etiam foret Angelorum renuntiatio: Quis hoc dicat? Agit tunc Tertullianus de conjugiis, quæ contrahunt fideles, & hæc dicit ab Ecclesia esse conciliata, oblatione confirmata, obsignata benedictione, quæ omnia in illis infidelium non inveniuntur.

Simili pacto loquitur Ambrosius, asseritque, perperàm fideles cum infidelibus matrimonia inire; addit enim adductis verbis, *quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?* & si velis verba Sancti Doctoris tibi facere dicas etiam, velamen Sacerdotale ad essentiam hujus Sacramenti spectare.

Concilium Coloniense consideratum juxta verba, prout jacent; quod à nobis asseritur, confirmat: dicendo enim, *Quod Sacramentum, si quis, sicut decet, acceperit, accedente precatione &c.* supponit, Sacramentum confectum esse ante precationem, atque hanc illi accessoriam esse; dicitur autem conferre donum Spiritus Sancti, quia si omitteretur, illicitè Sacramentum fieret; proinde tanquàm indispositis donum Spiritus Sancti non concederetur: Quantùm verò attinet ad Camaracense, si Parochi dicuntur ministri, nomen hoc accipiendum est in significatione lata, idest, ministri approbantes, ac declarantes contractum legitimum, nequaquam aliquid agentes, quod se habeat tanquam forma propriè ultimeque constituens; Ministri etiam dicuntur per respectum ad cœremonias, quæ ob Sacramenti reverentiam adjunguntur, & quia ad ipsos pertinet, fideles in eo suscipiendo dirigere, admittere dignos, indignos arcere.

Quantum ad ritualia: dicendum, pro forma hujus Sacramenti intelligendam esse formulam, seu ritum, quo Parochus debet huic assistere Sacramento, vel ibi formam sumi quantùm ad declarationem illius contractus in Sacramentum; non quantum ad intrinsecam Sacramenti constitutionem: hoc manifestum est ex fine, ad quem instituuntur ritualia; scilicet ad instruendos Parochos in iis, quæ adhibere debent vel dùm Sacramenta administrant, ut contingit in iis Sacramentis, quorum ipsi sunt verè ministri; vel dum benedictiones, aliasque peragunt cœremonias, & in nostro casu ut fideles instruant pro recta susceptione & confectione matrimonii, atque seipsos dirigant in assistendo vel non; tum in repellendis, vel admittendis quos prudenter judicaverint, & sic intellige reliqua.

Nunc ad Pontifices. Incipiendo ab hoc postremo, certissimum est, matrimonio concedi gratiam cum celebratur; concedimus etiam celebrari, quando Sacerdos benedictionem largitur; sed negamus hanc benedictionem esse partem intrinsecam illius celebrationi, nisi pro celebratione intelligas solemnitatem. Ad secundum: imprimis inhærendo verbis colligeretur, benedictionem

nem illam Sacramentum non esse; dicitur enim *adinstar cujusdam sacrilegii*. Ejus etiam violatio sacrilegium dici posset, quia si quis illam contemneret, lethaliter peccaret, proinde indignè Sacramentum conficeret ac susciperet, quod sine sacrilegio non contingit. Demum: illam appellari Sacramentum impropriè manifestum sit; quia pari modo fit etiam sermo de officio sepulturæ, de exequiis defunctorum, & de Episcopi ad suam sedem deductione; sicut etiam loquuntur Concilia, Carthag. IV. can. 13. & Lateran. cap. *In Ecclesiæ corpore*, extra *de simonia*. Ad primum: Si id valeret, esset etiam contra adversarios; nam & ipsi dicunt, matrimonia clandestina esse valida in ratione contractus; non igitur sunt fornicationes, stupra, adulteria: Sensus itaque est, matrimonia illa judicari ab Ecclesia tanquam stupra, fornicationes &c., quia cum aliorum testimonio probari non possint, hujusmodi esse præsumi potest.

107. Dices: atqui verba illa, quæ proferuntur à Parocho, non possunt dici tantùm pertinere ad solemnitatem matrimonii, & ad præceptum Ecclesiæ; ergo sunt vera forma. probatur, sub. min. Dùm dicit Sacerdos: *Ego te baptizo*, vel *Ego te absolvo*, dici non potest, hæc verba pertinere tantùm ad solemnitatem baptismi, vel pœnitentiæ, neque sic resolvi posse; *Ego declaro te baptizatum, & absolutum*; ergo à pari dùm dicit Parochus, *Ego vos conjungo*, dici non potest, hæc verba pertinere tantùm ad solemnitatem matrimonii, nec sic resolvi posse, *Ego declaro vos conjunctos*. Ratio est, quia verba illa debent sumi juxta veram ac naturalem significationem, quotiescumque nihil sequitur contra fidem, ac bonos mores, ut in re nostra contingit; Quis autem dicat, naturalem ac verum sensum illorum verborum, *Ego vos conjungo*, esse hunc, *Ego declaro vos conjunctos*? Quare si res aliter esset, illa verba essent falsa.

108. Hæc fortasse est summa rationum: Sed quod jam diximus num. 101. iterum dicimus; atque sensus illorum verborum alius non est, quam authenticam declarare conjunctionem jam factam; nisi velis dicere esse conjunctionem novam sed extrinsecam substantiæ Sacramenti; nempe conjunctionem quantùm ad forum externum, & Ecclesiam, quæ de internis non judicat; quo dato sumeremus illa verba etiam in toto rigore: neque est par ratio de aliis verbis, *Ego te baptizo*, *Ego te absolvo*, siquidem in baptismo & pœnitentia aliam formam assignare non possumus; nos autem in matrimonio aliam assignamus, & cum Sacramentum Pœnitentiæ sit ad instar judicii; absolutio esse debet ab alio, qui sit judex; baptismus verò, cum sit Sacramentum regenerationis, esse debet ab alio, qui regeneret, quia nemo regenerare se potest, sicut nec generare; Matrimonium autem est Sacramentum adinstar contractus; quilibet autem se ipsum alteri obligare potest, nisi aliquod impedimentum prohibeat; ex quo habes, illa verba, *Ego vos conjungo*, non posse accipi juxta obviam ac naturalem significationem; non quia sit contra fidem & bonos mores; sed quia est contra naturam contractus, qui à solis contrahentibus esse potest tanquam ministris.

Sed placet in quosdam ex adversariis, argumentum unum proponere à quo, ut arbitror, se expedire non poterunt. Ipsi in tractatu de ordine explicant illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ dicuntur ab Episcopo ordinante; non quia tùnc tribuatur Spiritus Sanctus, sed quia declaratur expressiùs authoritas collata, & Spiritus Sancti largitio in ordinatione, & dicunt, adhuc illa verba falsa non esse; cur igitur explicari non poterunt illa verba, *Ego vos conjungo* pro declaratione conjunctionis sacramentalis jam factæ? lege quæ diximus de ordinibus in particulari num. 84. & 85. quæ Doctores illi approbant.

109. Op. 2. Ecclesiastici tantùm possunt esse ministri Sacramentorum juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Dei, & dispensatores mysteriorum*; ergo: & certè absurdum videtur à collatione hujus Sacramenti excludere Episcopos, ac Sacerdotes, & admittere laicum, imò & fœminam, cui etiam in Ecclesia loqui à Paulo prohibetur.

Confirm. in aliis Sacramentis Sacerdos est minister; ergo etiam in sacramento matrimonii; & sicuti aliud est pœnitentia, & aliud sacramentum pœnitentiæ; ita aliud est matrimonium, & aliud sacramentum matrimonii.

Resp. assumptum esse verum de sacramentis illis, quæ indigent aliqua consecratione, neque absurdum est aliquod, Episcopos ac Sacerdotes ab hujus sacramenti proprio ministerio excludi; quia quodlibet sacramentum habet aliquod peculiare, & sicut in aliis idem nequi esse suscipiens, & minister, ità in hoc esse debet idem; Quod si dictum argumentum probaret, valeret etiam hoc aliud; alia sacramenta consistunt in re transeunte; ergo etiam sacramentum Eucharistiæ, quod est argumentum Hæreticorum. In hisce rèbus attendenda est Christi voluntas; voluit Christus, ut matrimonium legitimè contractum à fidelibus esset sacramentum; contrahant igitur illi legitimè, & statim fit sacramentum. Per hoc patet ad secundum: negamus enim aliud esse matrimonium fidelium, & aliud esse sacramentum, & dum hoc asserunt adversarii; nisi aliter probent, petunt principium. Quod autem mulieri prohibitum sit in Ecclesia loqui, hoc valet quantum ad publicè docendum, non verò quantum ad alia, quæ ad preces pertinent, vel ad matrimonii sacramentum.

110. Op. 3. Neque ex scriptura, neque ex traditione probari potest, matrimonium à laicis contractum sine ministro Ecclesiæ sacramentum esse; ergo, ut sacramentum sit, requiritur minister Ecclesiæ. Atque hæc fuit mens Concilii Florentini statuentis, sacramenta tribus perfici, rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: Porrò in matrimonio tantùm à laicis contracto in primis plerumque non sunt verba, si demantur verba à Sacerdote prolata. Secundò: laicus non est minister Ecclesiæ, & cum ferè semper idiotæ sint, non habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Resp. retorquendo argumentum, cum neque ex scriptura, aut traditione probari possit, matrimonium à laicis contractum sine ministro Ecclesiæ sacramentum non esse: deberemus igitur concludere, nullum esse matrimonii sacramentum. Scriptura & traditio generatim docent, matrimonium fidelium esse sacramentum, & semper loquuntur de ipso contractu civili matrimonii, quatenùs à Christo elevato ad dignitatem sacramenti. Neque obstat definitio Concilii Florentini, imò favet, ut probavimus: vult utique Concilium in omnibus sacramentis esse res, ut materiam; verba, ut formam; & personam ministri; sed si de verbis loquamur, hæc necessariò esse non debent formalia, sed sufficiunt æquivalentia, nempe nutus & signa; atque ideò Florentinum statuens, in matrimonio verba requiri, dixit *regulariter*, ut indicaret, sufficere etiam aliquid loco verborum; ipsos autem nutus à divina scriptura verba vocari, scribit S. Augustinus perpendens illa verba Joannis cap. 13. *Innuit Simon Petrus Joanni*. Si autem sermo sit de ministro, hunc necessarium dicimus etiam in sacramento matrimonii; sed negamus debere esse distinctum ab ipsis contrahentibus, cum hoc exigat natura contractus, cujus efficiens causa ipsi tantummodò esse possunt. Quod verò additur, laicum esse non posse ministrum Ecclesiæ, falsò adi-

ditur, nam in iis sacramentis, in quibus potestas ordinis non requiritur, laicus validè sacramentum conficit, utique tanquam minister Ecclesiæ; constat hoc in baptismo, qui etiam extra casum necessitatis validè confertur à laico; & si velis tantam in ipso ignorantiam esse, ut non habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, dicas etiam validè ab ipso sacramentum non conferri baptismi; Qualis intentio requiratur; diximus in quæstionibus de sacramentis in genere; eam autem quilibet potest habere, dummodò ratione non careat.

111. Dices: Si verba sufficerent significata per nutus, quare non etiam Sacerdos mutus non posset absolvere, imò etiam ipsa copula vicem suppleret formæ sacramentalis, quod absurdissimum est; cum in ea Spiritus Sanctus non sit, ut habetur can. *Connubia 32.* quæst. 2. & per se manifestum est.

Sed contra: jam responsio superiùs data est num. 107. Quod additur de copula argumentum est Calvini, & displicet Canum eo uti; dicimus tamen actionem malam non obstare valori sacramentorum, ut probatum fuit de sacramentis in genere, & ad rationem sacramenti est conferre gratiam ex par. te sui, quamvis propter obicem in subjecto non conferat; Hoc valet de matrimoniis contractis ante Concilium Tridentinum, sed postea non tenet, quia est conditio necessaria ad contractum, ut consensus sit in præsentia Parochi; neminem autem puto habiturum copulam coram Parocho.

112. Op. 4. Sacramenta sunt cæremoniæ sacræ, & pertinent ad actum religionis; sed matrimonium contractum per sola conjugum verba nihil habet sacri; non est igitur sacramentum: & reverà quid sacri reperiri potest in illis verbis: *Ego te accipio in meam: Ego accipio te in meum?* Nonne hæc communia sunt etiam Ethnicis, & Infidelibus? Forma sacramentorum debet esse aliquid supernaturale, & significare effectum spiritualem, cujus sacramentum est causa; hujusmodi autem non sunt illa verba; ergo.

Resp. ne, mi. ad prob. dico, verba illa secundum se inspecta nihil sacri continere; multum verò sacri in iis reperiri consideratis juxta Christi institutionem; significant enim non solum unionem corporum, sed etiam animorum ad similitudinem unionis Christi cum Ecclesia, necnon conjuges ipsos sanctificant; hoc tamen non præstant in Ethnicis, & Infidelibus, quia respectu ipsorum nulla est Christi institutio. Ex his occurrendum est reliquis; & si Doctores contrarii verba illa admittunt sacra, ac supernaturalia in ratione materiæ, quare negant sacra, ac supernaturalia in ratione formæ?

113. Op. 5. Qui olim clam contrahebant, non putabant se peccare, si in peccato mortali contraherent; ergo matrimonium sacramentum non erat. Rursùs: si contrahentes essent ministri hujusce sacramenti, si contraherent in statu peccati duplex peccatum committerent, unum ut ministri, alterum ut suscipientes. Tandem: quis sibi finget, idem esse agens & patiens; causam efficientem ac materialem seu subjectivam? Hoc autem contingeret in re nostra.

Resp. ne. ant. Cum enim omnibus notum esset, inter Sacramenta recenseri matrimonium, omnibus etiam persuasum erat, matrimonium legitimum esse sacramentum; ac proinde sacrilegium in ejus indigna susceptione committi, non ambigebant. Ad secundum; procul dubio contrahentes in peccato novum peccatum committere dicendum est. Utrum verò committant unum, vel duplex peccatum, varii Doctores diversa tradiderunt, quod ad rem nostram non facit. Ad ultimum: Id non fingimus, sed veraciter dicimus, alioquin matrimonium neque in ratione contractus civilis esse

pos-

possit à contrahentibus tanqua ministris; quia etiam in hoc idem esset agens & patiens, causa efficiens, ac subjectiva.

Hæc sunt potiora argumenta, quæ in nostram assertionem militare videntur: Reliqua verò leviora, quæ opponi possent, consultò præterimus.

QUÆSTIO III.

De consensu ad Matrimonium requisito.

ARTICULUS I.

An consensus Conjugum sit necessarius ad Matrimonium. Et præter hunc requiratur consensus Parentum.

114. Quod spectat ad primam tituli partem paucis verbis à nobis pro parte affirmativa declarabitur, quamvis revera ex dictis in antecedentibus satis declaratum sit; dicimus enim ex Concilio Florentino, mutuum consensum esse causam efficientem matrimonii; nunc verò rationem addimus, quia matrimonium est contractus obligans ex utraque parte; nemo autem potest sine propria voluntate alteri obligari; ergo sine propria voluntate, & consensu nequit esse matrimonium. Præterea: In matrimonio transfertur corporum dominium; hoc autem nequit transferri, sicut & in cæteris bonis, nisi per legem, quæ cogat, vel per ipsius domini consensum; atqui in re nostra nulla est lex, quæ cogat; ergo necessarius est conjugum consensus. Hinc Nicolaus I. relatus à Gratiano causa 27. quæst. 2. inquit: *Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, qui si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur*. Idem senserunt Innoc. III. cap. *Cum ad sedem*, cap. *Tuas*. *De sponsa duorum*. Alex. III. tit. *de sponsalibus* cap. *Cum locum*, ubi ait, matrimonium solo consensu contrahi, ac demum Trident sess. 24. c. 1. Ita semper actum est: Unde cum Rebecca ad nuptias postularetur, dixerunt ejus parentes Gen. 24. *Vocemus puellam, & quæramus ejus voluntatem*.

115. Hæc apud omnes accepta sunt: difficultas est in puncto secundo. Debemus autem distinguere filios in eos, qui non sunt sui juris, & in eos qui tales sunt. Si de primis fiat sermo, jus civile parentum consensum, aut eorum, sub cujus tutela custodiuntur, necessarium esse decrevit: l. 2. ff. *de sponsalib.* habetur: *In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur*. Et l. 2. ff. *de ritu nupt.* legitur: *Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, qui coeunt, quorumque in potestate sunt*; Si verò de secundis, oppositum ab eodem civili jure decernitur: l. *Filius emancipatus* 25. ff. *de ritu nupt.* dicitur: *Filius emancipatus etiam sine consensu patris uxorem ducere potest*. Et quamvis l. *Viduæ* 25. cap. *de nupt.* habeatur: *Viduæ intra 25. annum degentes, etiamsi emancipationis libertate gaudent; tamen in secundas nuptias sine patris sententia non conveniant*. Attamen, ut explicat Baldus, hoc non est dictum tanquàm spectans ad formam substantialem matrimonii, sed tantùm ad quamdam honestatis justitiam; & in glossa communi legitur, esse de consilio, & ubi scriptum est, *sententia* scribitur *scientia*.

116. Utrum verò jus antiquum Romanum nulla & irrita fecerit matrimonia filiorum sine consensu parentum con-

contracta, videtur affirmativè concludendum, si plures leges Justiniani Imperatoris in medium proferamus: l. 1. tit. 10. *de nuptiis* sic inquit: *Si adversùs ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt, quales sunt ii, quos mater vulgò concepit &c.* Videndum autem est, quid dictum fuerit; Porrò lib. 5. tit. 4. *de nupt.* lege, *Nec filium*, hæc leguntur: *Nec filium quidem familias ad ducendam uxorem cogi legum disciplina permittit. Igitur sicut desideras, observatis juris præceptis, sociare conjugio tuo, quam volueris, non impedieris; ita tamen ut contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat*: lib. 9. tit. 10. sic habet Imperator: *Quicumque uxorem ducere voluerit, sive ingenuam, sive libertinam, secundùm nostras leges, & antiquam consuetudinem, parentes, vel alios, quos decet, petat; ut cùm eorum voluntate fiat legitimum conjugium.* Non me tamen latet, aliquos insignes Jurisconsultos textus istos ita explicare, ut dicant, nuptias prohiberi tanquàm illicitas, non tamen nullas, & irritas, si absque parentum consensu contrahantur; ita Cujacius in lib. 35. Pauli, & Godefridus in notis ad legem *Filius*. Quidquid tamen de hac re sit, quæ pro nostris temporibus usurpari, atque in usum venire non possunt; videamus oportet, utrum parentum consensus necessarius sit ad validum matrimonium contrahendum à filiis.

117. Novatores Lutherani ac Calvinistæ nullum asserunt matrimonium, quod ineunt filii familias insciis, vel invitis parentibus: *Definiunt quidam matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam invitis parentibus, inter puerum, & puellam per verba de præsenti contractum est: at istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moyses ipse, nec Evangelica, aut Apostolica doctrina*, inquit Erasmus in colloquio inter Eubulum & Catharinam. Lutherus in sermone de matrimonio distinguit, vel enim ex matrimonio sine parentum consensu contracto nati sunt filii, vel non; Si primum, ait, matrimonium firmum esse debere; Si secundum, asserit, ad parentes pertinere illum approbare, vel irritare, & idem sentit Philippus in locis tit. *de conjugio*. Calvinus lib. 4. institut. c. 19. §. ultimo, inter impias, ut ipse blasphemat, Catholicorum leges hanc recenset, quod matrimonia filiorum absque parentum consensu firma velint & rata: Bucerus verò in cap. 19. Mathæi vult standum esse legibus civilibus, de quibus nos supra. Tandem Brentius in Catechismo docuit: si matrimonium hujusmodi fuerit contractum, pertinere ad Magistrum ferre sententiam, qua confirmetur, vel irritum declaretur. Contra istos.

118. Dicendum: Matrimonium à filiis contractum insciis, vel invitis parentibus validum, ac firmum esse.

Probatur. Si hujusmodi matrimonium validum firmumque non est, id erit prohibitum vel lege naturali, vel divina, vel ecclesiastica; sed neutrum dici potest; ergo.

Minor propositio per singulas partes probanda est. Non esse in hac re legem naturalem contrariam ita apparet, ut si tantùm lex naturæ inspiciatur, solum contrahentium consensum desiderari manifestum fiat; de quibus enim in matrimonio res agitur? agitur profectò de ipsis contrahentibus; Quod si natura contradiceret, jam sequeretur, neque filios emancipatos, neque viduas sine parentum consensu validè nubere posse; quod tamen est contra jus canonicum & civile, quod certè juri naturali non opponitur; imò contra Paulum dicentem 1. ad Corinth. 7. de vidua, *cui vult nubat*. Et mehercle, si hæc matrimonia legi naturali opponerentur, ideò esset, quia filii tenentur ad obedientiam præstandam parentibus; hoc quidem

dem non inficiamur; nihilo tamen minùs, quando usum habent liberi arbitrii, sui juris sunt non minùs quam parentes in iis, quæ pertinent ad propriæ vitæ statum, & poterunt quidem peccare non adhærendo parentum directioni; tamen quod eligent firmum erit ac ratum, cum de eo disponant, quod proprium est. Hoc argumentum magis corroboro ex doctrina Lutheri; vel enim matrimonium contractum invitis parentibus, & jam per carnalem copulam consummatum irritari poterit, vel etiam non poterit contractum, quamvis non consummatum; nam illa matrimonii consummatio non extrahit filium a patria potestate; sed illud non per Lutherum; ergo neque hoc: & si dicat, primum tenere, quia secùs injuria fieret conjugi, tenebit etiam secundum propter eamdem rationem, quia cùm donatio conjugalis jam peracta sit, & dominium corporum translatum pariter conjugi fieret injuria.

Rursùs: Vel illud matrimonium est jure consummatum vel non; si illud; ergo etiam jure fuit contractum; si hoc; ergo nulla injuria fieret conjugi, si irritum fieret.

119. Sed neque in oppositum esse jus divinum ostenditur: Primò, quia in Testamento novo nullus textus adduci potest; Si verò Testamentum vetus inspiciamus; plurima sunt exempla, quæ nobis suffragantur: Tres uxores habuit Esau, duas invenies ex filiabus Chanaan Gen. 26. Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elom; ambæ autem offenderunt animum Isaac & Rebecæ parentum; aliam duxit, idest Maheleth filiam Ismael filii Abraham; & tamen istas omnes scriptura vocat uxores. Jacob sanctissimus Patriarcha uni nupsit juxta suorum parentum consilium; tres deinde duxit, & duas præsertim ancillas illis insciis omninò; quod certè ab ipso factum non esset, si eorum consensus jure divino fuisset necessarius. Nunquid etiam Tobias in aliena regione uxorem non duxit parentibus ignorantibus? nec tamen Angelus Raphael, qui cum ipso erat, eum admonuit, ut ipsorum consensum expectaret; Itaque nullo jure divino requiritur parentum consensus.

120. Denique neque in hac re obstare jus canonicum, imò nobis favere, colligitur ex cap. *Cum verum*, de regul. ubi Clemens III. ait: *Puella in ætate nubili constituta, quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem*; & prætereundo cætera quæcumque, diserte loquitur Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonii, cujus verba sunt ista: *Tametsi dubitandum non est &c., Sancta Synodus anathemate damnat &c., quique falsò affirmant matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse &c.*

121. Utrum verò antiquis Ecclesiæ canonibus matrimonia sic contracta fuerint invalida declarata, non difficulter pars affirmativa proponi posset, si eos placeret in medium proferre: Non latet can. 42. ex epist. S. Basilii ad Amphilochium, ubi sic legitur: *Quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii, qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint.* Hic Pater Græcus erat; atque talem fuisse Græcæ Ecclesiæ morem, atque sententiam ostendit Leunclavius juris orientalis collector tom. 1. l. 3. Sed eamdem fuisse etiam mentem Patrum Latinorum ostendi posset ex Tertulliano, qui lib. 2. ad uxorem cap. 9. dicit: *Nec in terris filii sine consensu patrum ritè & jure nubunt*: ex Ambrosio lib. 1. de Abrahamo cap. ultimo, & refertur à Gratiano can. *Honorantur* 32. quæst. 2.; ubi Sanctus Doctor inquit: *Consulitur puella, non de sponsalibus; illa enim expectat judicium parentum.* Ex Evaristo in epist. decretali,

tali, qui sic loquitur: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur uxor petatur &c.* quo decreto ductus Carolus Magnus idem statuit lib. 7. capitularium cap. 463., & Patres in Concilio Coloniensi congregati optant, ut Evaristi decretum renovetur: Plura alia similia habentur apud Gratianum, nec non ab aliis Summis Pontificibus, Leone Epist. 92. ad Rusticum, Clemente III. Nicolao I., Alexandro II., atque Conciliis Cartagh. IV., Tolet. III., Aurelian. IV. Turonen. II. &c.

Quid tamen de hisce omnibus, aliisque canonum sanctionibus dicendum sit, non omittam; rejectis priùs hæreticorum argumentis, qui contendunt, dicta matrimonia irrita esse jure naturali, & divino. Quod ut fiat.

ARTICULUS II.

Rejiciuntur argumenta hæreticorum.

122. **O**P. 1. Est naturale præceptum, quod filii parentibus obedientiam præstent; Rursùs jure naturali filiorum voluntas in voluntate parentum continetur; itaque matrimonium initum sine parentum consensu nullum est: Ratio afferri potest, quia Deus conjungit in legitimo matrimonio virum uxori, non immediatè, ut conjunxit Adamum & Evam, sed mediatè; quodnam autem erit hoc medium, nisi voluntas & consensus parentum, quibus obtemperare debent filii? Hinc etiam in lege 1. & 2. c. de nuptiis, in quibus præscribitur necessarius parentum consensus, sic concluditur: *Hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet, intantùm ut jussus parentum præcedere debeat.*

Resp. argumentum primum non probare, ut deberet; probat enim, tantum filios peccare contra quartum præceptum decalogi, si invitis parentibus nubant, de quo puncto inferiùs dicemus; sed aliud est, matrimonium peccando contrahi, & aliud matrimonium esse nullum.

Ad secundum: si loquamur de filiis, qui nondùm ad rationis perfectæ usum pervenerunt, propositio est vera. Si autem de filiis, qui jam perfecto pollent judicio, distinguendum est; circa usum, curam, ac dispensationem bonorum temporalium id concedimus; circa suum proprium ac personalem statum id negamus; status autem matrimonii est hujusmodi.

Ad rationem; Medium, quo conjunguntur vir & uxor in valido matrimonio est proprius utriusque consensus; ut enim alibi dixi, minister matrimonii est uterque conjux: De illa lege infra dicam, quæ si juxta verba accipienda foret, requireretur non tantùm consensus parentum sed jussio; & ita filii cogi possent à parentibus ad nubendum, quod omnes leges negant, & reprobant.

123. Op. 2. Illud matrimonium non est validum, & legitimum, cujus author non est Deus; sed matrimonii sine parentum consensu non est author Deus; ergo matrimonium sine consensu parentum non est validum & legitimum: Prob. min. Deus non est author illius matrimonii, quod est contra Dei mandatum, & verbum; tale autem est matrimonium sine consensu parentum contractum, quia Deus præcipit obediendum esse parentibus, & quidem in omnibus, ut loquitur Paulus ad Colos. 3. dicens, *Filii obedite parentibus per omnia.*

Præterea: hujusmodi matrimoniis legem divinam obstare, habetur Exodi 22. & 22. Deuteron., ubi præscribitur: quod si quis virginem violaverit, det patri ejus certum numerum siclorum, & eam uxorem habeat, si Pater voluerit, vel non habeat, si noluerit; igitur ad Patrem pertinet conjugium filiæ ratum, vel irritum facere: Atque hoc

hoc à fortiori probatur ex cap. 30. Numer. ubi dicitur, quod si puella voverit aliquid, possit pater votum illud irritare; quantò igitur magis matrimonium? in primo enim casu promissio facta est Deo, in secundo homini.

Resp. primum argumentum probare, Deum non esse authorem alicujus Sacramenti, quod fiat, vel suscipiatur cum peccato, quia etiam ex. ca. Eucharistiæ sine statu gratiæ, non est author Christus; distinguendum est ergo in re nostra matrimonium ex parte ipsius conjugii, & ex parte contrahentium; illius author est Deus, pro quo sufficit ut habeatur materia & forma, qualem ipse instituit, & elevavit; secundùm verò aliam considerationem author erit diabolus, sicut contingit in quolibet Sacramento, dum indignè suscipitur, vel conficitur: & si rem intimiùs perscrutemur, probabitur, quod neque accedente consensu parentum matrimonium erit validum; quia istius non erit author Deus, & fiet contra Dei verbum & mandatum, quotiescumque fiet ad malum finem & usum: hoc autem neque hæretici dicunt: De obedientia præstanda jam dictum est: Si tamen ab illa lege parentibus obediendi causam matrimonii exciperes, scripturæ adhæreres dicenti: *Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ*: obediant nihilominùs filii parentibus, etiam in contrahendo matrimonio, ne peccent; noverint tamen hæretici, etiam contra eam obedientiam factum tenere: Omnibus inquit Apostolus potestatibus esse obtemperandum; proinde etiam Episcopis, & Ecclesiæ, & tamen si quis vel laicus baptizaret, vel Sacerdos consecraret contra præceptum Episcopi & Ecclesiæ, nonne adhuc validè baptizaret, & Eucharistiam conficeret?

Ad 2. locus ille Exodi 22. &c. non est ad rem; non enim ibi agitur de conjugio sed de stupro, quod vir habuit ad suam explendam libidinem, non ad habendam uxorem; in quo casu pro pœna criminis illud statuitur, ut si stupratà voluerit, & parentes ejus, illam possit in uxorem habere; sin minùs solvat: & si valeret hoc contra nos, magis valeret contra adversarios, nam sequeretur, quod Pater posset etiam irritum facere matrimonium post consummationem; quod tamen ipsi negant.

Ad additum: patet ex eodem loco, ibi sermonem esse de puella, quæ nondum ad pubertatem pervenit, juxta quod est etiam lex canonica causa 20. q.2. cap. *Puella*, ubi legitur: *Si puella ante duodecimum ætatis annum sponte sua velamen sibi sacrum assumpserit, possunt statim parentes vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. Si verò in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.*

124. Hæc sunt argumenta, quæ profert, & collegit ex aliis Kemnitius. Superest, ut nonnulla dicamus de illis legibus tam civilibus, quam canonicis, quæ productæ fuerunt. Porro plures ac docti viri juris utriusque professores illas explicant de matrimonio quantùm ad licitum contractum, non verò quantum ad validum; Ego autem de hac re nolo contendere; nam etiamsi concedam in iis reprobatum esse matrimonium sine parentum consensu initum, etiam quoad valorem; attamen nihil obstaret: nam omnes illæ leges abrogatæ fuerunt, & correctæ per jus novum in Concilio Tridentino; non enim est negandum in Ecclesia esse talem potestatem, ut secundùm temporum varietatem humana statuta possit mutare, prout necessitas vel utilitas id exposcit, ut ait Concil. Lateran. IV. can. 50. Imò illarum legum disciplina jam à duodecimo circiter sæculo incœpit mutari, ut constat ex Innoc. III. in cap. *Tuæ fraternitatis. De sponsalibus*, & Lucio III. in Epistola ad Burgensem Episcopum in cap. *Cum causam. De raptoribus*. Ex alia parte leges civiles nihil conferunt; cum

cum jus canonicum obstat; nam ut scribit Lucius laudatus cap. *Clerici de judiciis* ipse Imperator fatetur, non dedignari leges sacros canones imitari, ut habetur in Authentic. *Ut Clerici apud Episcopos*, §. ultimo.

ARTICULUS III.

Utrum ad valorem matrimonii sufficiat consensus fictus.

125. QUæstio est in hypothesi, in qua aliquis seriò verba proferret, quibus interioris consensus sui nulla dubitatio apparere posset; sed reverà internum consensum nequaquàm præberet. Illi, qui asserunt, ad valorem Sacramentorum sufficere solum ritum externum seriò habitum, fateri etiam debent, sufficere pro matrimonii valore consensum externum seriò exhibitum; & vix disparem rationem satis aptam invenient.

126. Dico: ad valorem matrimonii consensum fictum nequaquàm sufficere; atque hoc pacto magis confirmabitur id, quod de Sacramentis in genere dictum fuit de internæ intentionis necessitate.

Colligitur hæc assertio ex cap. *Tuæ* de sponsalibus; ubi interrogatus Pontifex, an per sola verba matrimonium contrahatur, respondet: *Quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri ac mulieris consensum, sed necessaria sunt verba consensum exprimentia de præsenti quantùm ad Ecclesiam*, & in cap. *Tua*, eodem titulo interrogatus, an matrimonium contraxerit, qui ut copulam haberet, fictè promisit, se eam in matrimonium ducturum, inquit, non contraxisse; rationem reddens, *quia in eo contractu nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi valeat inveniri, quoniam ex altera parte defuit omninò consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale*. In hanc rem facit, quod ex Nicolao Papa alibi adduximus 27. q. 2. can. *Sufficiat* ubi legitur: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur: qui consensus si nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur*. Hæc sententia adeo certa est apud S. Th. & Bonaventuram, ut primus in 4. sentent. dis. 27. q. 1. art. 2. dixerit: *Sicut si quis ablutionem perciperet exteriorem, non intenderet accipere Sacramentum, sed ludum ac dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu, matrimonium non facit*. Secundus vero ibidem q. 2. *Si sit consensus exterior sine interiori, non est matrimonium secundùm veritatem, nec secundùm divinum judicium, nec secundùm conscientiæ forum*. Idem docuit subtilis magister dis. 30. q. 1.

127. Rationem assertionis desumo ex natura contractus generatim considerati; ut enim contrahens obligetur, necessario requiritur verus contrahentis consensus; quod traditur ab utroque jure: Jus civile docet, quamdiu animus in nobis non fuerit rem deferendi, illam in nostra potestate remanere, l. *Possidere* §. *Quod si servus*, ff. *de acquir. vel amitten. possessione*: & l. *Obligationum* ff. *de actio*: *& obligat*: Jus canonicum can. *Humanæ aures* 22. q. 5. sic dicit: *Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni*: Hisce consonat commune illud Theologorum effatum, nempe humanos contractus non valere ultra intentionem operantis.

128. Totum hoc magis confirmo: etenim ita se habet contractus ad obligationem inducendam in contrahentibus, sicuti lex ad obligandos subditos; si autem in legislatore non sit interna voluntas subditos obligandi, profectò lex illa, quamvis seriò promulgata, nequaquàm subditos obligat; igitur nec contractus obligationem inducet, nisi fuerit contrahentium consensus. Juxta hæc

hæc dixit Baldus in laudata jura; consensum in contractu id agere, quod agit anima in corpore.

Alia momenta proferunt alii, sed ea parum firma existimo & efficacia.

129. Op. 1. Qui in aliquo contractu verba seriò profert, etiamsi internum animum non habuerit se obligandi, verè contractum perficit; ergo etiam, qui matrimonium per verba de præsenti seriò contraxit, matrimonium perfecit; & sicut ille tenetur ad ea servanda, quæ in contractu inita sunt; ita iste ad ea, quæ in matrimonio. Prot. ant. si aliter esset, graviter læderetur humanum commercium, & cum homines internos animi sensus agnoscere non possint; nescirent unquàm, utrùm promissio acceptata teneret; & ita frustra fieret quicumque contractus; sed hoc non est dicendum; ergo.

Respondent aliqui concedendo in reliquis contractibus sufficere consensum exteriorem juxta verba seriò prolata; id tamen negando satis esse in matrimonio; & si disparem rationem petas, inquiunt, alios contractus fieri inter res & res, in matrimonio autem fieri inter animos, cum in eo fiat animorum conjunctio, hæc autem sine interno consensu intelligi non potest. Hæc, ut verum fatear, responsio non placet; siquidem qui se ut à justa morte liberaret, meretrici matrimonio conjungeret, nullam animi haberet conjunctionem, & tamen matrimonium valeret; & si quis consentiret in solam sui corporis traditionem, & alterius acceptaret per respectum ad filiorum generationem cum expressa voluntate non consentiendi in mutuam animorum conjunctionem, quod fieri non repugnat, hic verè matrimonium contraheret.

130. Repetenda est igitur doctrina nostra, negans universaliter, contractum validum esse juxta leges justitiæ, & in foro conscientiæ, si desit consensus internus, & ille, qui seriò externè contraheret animo intùs reluctante, teneretur quidem ad reddendum ac dandum quod promisit titulo veracitatis, & in foro externo, quia tenebatur in verbis convenientiam cum mente servare; non tamen titulo justitiæ, & ex vi legitimi contractus; quod solùm intendit assertio nostra: Ad quid autem teneatur qui sic internè fictè contraxit, in sequenti dicemus. Ex hac doctrina habes, quomodo non lædatur humanum commercium, & quo pacto frustrà non fiant contractus.

131. Op. 2. Est contra jus naturæ non servari promissionem seriò factam, & ab alio acceptatam, quamvis promissor habuerit animum illam non servandi; ergo qui seriò matrimonium promisit, ac contraxit, ejus obligationi erit adstrictus, etiam si animum non habuerit se obligandi. Prob. ant. est contra jus naturæ aliud in verbis exprimere, & aliud in mente concipere, quasi non teneatur quis ad veritatem ennuntiandam; ergo à pari. Ratio horum est, quia qui rem aliquam seriò facit, ex qua nexu necessario sequitur obligatio, ille tali obligatione tenetur, quamvis animum ab obligatione contrahenda alienum habuerit; ut patet etiam in eo, qui solemniter se alicui adstringeret religioni, & in eadem forma qua alii vota emittunt, voveret; iste voto teneretur, quamvis interiùs dissentiret.

Resp. à nobis non negari id esse contra jus naturæ, & graviter peccare qui ita se gerit, ut aliud seriò extra dicat, & agat, aliud intùs servet; sed à nobis tantùm contenditur, ex vi illius actionis neque fieri contractum legitimum, neque matrimonium in foro conscientiæ & coram Deo; quamvis in foro externo Ecclesiæ, quæ de internis non judicet nisi per signa exteriora, validum matrimonium præsumatur; atque ideo nisi producantur externa argumenta, quibus probari possit, defuisse internum consensum, homines obligat ad matrimonii vinculum retinendum; ex quo fit, ut omnia evitentur incommoda,

moda, quæ ex nostra sequi videntur sententia. Idem dicendum est etiam de voto, qui enim in vovendo omnia externa seriò haberet, interno tamen consensu careret, coram Deo & juxta conscientiæ leges voto nequaquàm esset obstrictus.

132. Si verò opponeres Magistrum sententiarum lib.4. dist.27.lit.C. dicentem: *Si autem verbis explicant, quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum, quibus consentiunt dicentes, Accipio te in meum virum: Accipio te in meam uxorem: matrimonium facit*: aut illum explicare posses de valore ac veritate matrimonii in foro externo, & coram Ecclesia, vel etiam illum in hac re deferere, quemadmodum in pluribus aliis deferendum esse, non ignoramus.

ARTICULUS IV.

Ad quid teneatur qui fictè contraxit.

133. Non inquiritur de obligatione, quam ex ficto consensu contraheret, si ex eo damnum aliquod illatum fuisset; etenim procul dubio ad damni compensationem qui fictè contractum inivit, teneretur; sed quæstio tantùm sit de obligatione, quæ ex sola ipsius contractus natura consurgeret ex vi solius fictionis, ac deceptionis.

Dico 1., teneri ad verè atque ex animo contrahendum; quo jure autem teneatur, colliges ex probatione: Sententia hæc communis est, quam ex instituto docet Scotus in 4. dist.30. q.1. §.*Ad istam*: Eam tradunt Uterque Sotus, Navar. in sum. cap.17. num.134., Petrus Ledesma, qui oppositam improbabilem judicat; hanc autem defendunt Sanchez, Victoria, aliique quos prælaudatus Doctor citat.

134. Assertionem meam suadeo, quia sicut pars decepta habet jus petendi verum consensum à ficto deceptore, ita fictus deceptor debitum habet illum præstandi; cum esse nequeat jus in uno, quin sit debitum in alio: Postulat hoc ipsius natura contractus præsertim onerosi, à quo quæcumque deceptio debet excludi, nec ulla sine injuria partis deceptæ potest haberi, & cum æqualitatem exigat ex parte contrahentium, sicut unus verè consentit, ite verè debet & alius consentire, aliter injuria alio pacto compensari non poterit: Nunquid enim poterit per Ecclesiæ sententiam, quæ deceptam partem à quovis vinculo solutam declaret? Verùm cum Ecclesia matrimonium illud validum præsumat, nec potest nec debet invalidum declarare, neque deceptoris assertioni fidem præbere; qui sicuti mentitus est in illo contractu celebrando, ita mentiri præsumendus esset pro illo dissolvendo, & præterea ex hac facultate ad alias nuptias convolandi, familiarum conditio, Reipublicæ regimen, imò & ipsa Ecclesia tota confunderetur, ac perturbaretur; Qua in re dixit Innocen. III. cap. *Per tuas. De probationibus: nimis indignum esse, juxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare*. Admisso autem, quod Ecclesia nolit, nec debeat deceptori fidem præbere, quid eveniet? coget ne ad simul cohabitandum, & tunc neque deceptor uti ea poterit tanquàm uxore; quia certus erit, matrimonium fuisse invalidum; neque decepta poterit petere aut reddere, quia incerta erit, utrum matrimonium validum sit: debebit ne fœmina per solemnem professionem matrimonium illud præsumptum dissolvere, aut si velit in sæculo permanere perpetuam cœlibem vitam traducere? At quis hujusmodi incommoda ac onera gravissima non fatebitur? apponat igitur deceptor remedium, fictumque consensum commutet in verum.

135. Excipiendos tamen arbitror aliquos casus. 1. Si deceptor fuit notabiliter ab alia parte deceptus, puta si se finxe-

finxerit Virginem, nobilem, divitem, quam aliter in uxorem non duxisset; tunc enim unius deceptio alterius deceptione compensaretur. 2. si ex eo consensu in verum mutato pessimos exitus, & mala non parva futura prævideret; quæ tamen essent majora quam mala & incommoda, quæ ex ficto matrimonio sequuntur. 3., si consensus fuit fictus ob notabile scandalum vitandum; quia tunc injustè non finxit.

136. Interim generatim loquendo deceptor iste absolvendus non est, donec fictionem deposuerit, verumque consensum præstiterit; Quod si omnibus circumstantiis ritè consideratis verum consensum non habuisse constiterit, nec ullo modo adduci possit, ut consentiat, tunc post reparatum læsæ parti damnum illatum, & factam pro injuria irrogata Ecclesiæ, ac pro mendacio pœnitentiam absolvi poterit, atque præcedens matrimonium ut nullum declarari; nullo autem pacto possit ad alias nuptias transire nisi post sententiam Judicis Ecclesiastici; Si tamen contigerit, eum non expectata Judicis sententia aliud matrimonium contrahere; hoc validum erit, quia prius nullum fuit, & si ab Ecclesia cogeretur sub pœna excommunicationis ad priorem redire, hæc excommunicatio coram Deo nulla esset, & nullo pacto priore muliere uti deberet; sed ut ait Innoc. III. cap. *Inquisitionis tuæ. De sententia excommunicationis: potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale*. Quod & docet S. Th. in suppl. q.45. art.4.

137. Opp. contra assertionem. In contractu fictè inito nulla contingit injuria neque ex parte deceptoris, neque ex parte decepti; siquidem iste nullam cum alio contrahit obligationem, plenaque gaudet libertate; ergo nulla etiam est obligatio. 2. Qui fictè professionem religiosam emisit, non tenetur ad veraciter illam emittendam; ergo neque qui fictè matrimonium contraxit, tenetur ad illud veraciter contrahendum.

Resp. quam falsum sit antec. prioris argumenti, constat ex dictis, quæ omnia ad punctum hoc reducuntur. Ad secundum: aliqui negant antecedens, quia in professione religiosa fit contractus inter religionem, quem quis naturali jure tenetur verum efficere; sicuti qui sacros ordines suscipit, tenetur votum castitatis emittere, & si fictè emisit, debet fictum in verum commutare. Ego tamen libentiùs antecedens concedam, & disparitas colligitur, quia ex ficta professione non inferuntur illa damna religioni, quæ ex ficto matrimonio inferuntur alteri contrahenti.

138. Utrum verò, quando matrimonium ex ficto consensu invalidum fuit, sufficiat ad illi valorem conferendum consensus tantùm illius, qui priùs finxit; vel requiratur consensus etiam alterius, disputationem instituunt Doctores. Barthol. Ledesma, Felin., Comitol., Hurtad., Palacios, Mastrius, Amicus, aliique necessarium existimant novum utriusque partis consensum. Hujus assertionis rationes aliquæ possunt afferri. 1. Quia cum matrimonium, inquiunt claudicare nequeat, deficiente unius consensu irritum ac nullum est, tanquàm si contractum non esset; ergo requiritur, ut contrahatur; sed contrahi tantùm potest per utriusque consensum; ergo utriusque consensus est necessarius. 2. Si fuerit aliquod impedimentum dirimens, necessarius est novus utriusque consensus; sed nullum impedimentum est adeo dirimens, sicut defectus consensus; ergo à fortiori necessarius erit consensus utriusque. Accedit authoritas Clementis VIII., qui, ut refert Comitol. interrogatus à P. Stephano Tuccio, an in tali casu illius tantùm conjugis, qui fictè se gessit, consensus sufficeret, respondit: *Necessarium esse novum consensum utriusque coram Parocho & Testibus*

ftibus admonita priùs parte de nullitate matrimonii; sed ad evitandum scandalum sanctitas dispensat, ut secreto inter se contrahant, renovato consensu cum legitimatione prolis.

139. Alii verò Doctores, quos citat Sanchez lib. 2. disp. 32. num. 9. cum S. Th. in 4. dist. 29. quæst. unic. art. 3., Bonavent. quæst. 2. art. 1., Richard. ibid., S. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 7. affirmant sufficere consensum illius, qui priùs fictus fuit. Ratio hujus est, quia id tantummodò necessarium est, quod deficit matrimonio, ut validum fiat; sed nihil deficit, nisi consensus illius, qui fictè priùs consensit; siquidem consensus alterius adhuc non solùm habitualiter, sed etiam in actu virtuie permanet; nam ex vi illius consensus movetur ad illum tanquam maritum habendum, ab ipso petens, ipsique debitum reddens; ergo illius tantùm consensus sufficiet.

Neque dicas, quod alia pars solùm ex ignorantia in priori consensu permaneat; nam si sciret, à matrimonio posse discedere, forte discederet. Contra enim: hujusmodi ignorantia non immutat naturam prioris consensus, qui verus ac legitimus fuit, neque est causa, ob quam novus consensus ponatur, sed tantùm ut prior non revocetur, atque illi actus exerceantur, quales inter conjuges adhibentur. Voluntas autem illa conditionata nihil agit, & solùm ageret, si poneretur.

140. Momenta superiùs exposita num. 138. non movent. Ad primum: matrimonium claudicare nequit, quia sine utriusque consensu legitimum esse non potest; claudicare tamen potest in hoc sensu, ut consensus unius, dum non revocatur, sufficiat ad matrimonium accedente alterius consensu, quod manifestè patet in omnibus aliis contractibus. Ad 2. minor argumenti est vera, si in ea significetur, nihil esse, à quo magis dependeat matrimonium, quam à consensu; hic enim nullo pacto dispensari potest, & matrimonium essentialiter constituit; est autem falsa, si ita intelligatur, ut consensus in uno deficiens accedens ad consensum alterius virtute sua perseverantem valori matrimonii non sufficiat: Inficiari autem non possumus, quod si fuerit impedimentum dirimens, necessarius sit post ablatum impedimentum novus utriusque consensus; Sed quid mirum? sicuti prior consensus ex utraque parte fuit nullus, ita ex utraque parte iterum debet haberi.

141. Dices, Consensus ille priùs præstitus fuit ex errore; quia si deceptus novisset fictum alterius consensum, eum nequaquam præstitisset; ergo fuit nullus; præsertim quia nullus intendit matrimonium, nisi altera pars verè consentiat.

Sed contra: error ille non est error personæ vel conditionis, de quo suo loco dicemus; proinde matrimonium non irritat; tantùm hoc præstat, ut consensus jam præstitus revocari posset, donec ponatur ex altera parte; unde dici non potest nullus, sed tantùm fieri posset nullus; in qua hypothesi certè unius consensus non sufficeret: Ad additum: quidquid de hoc sit, contrahens non est adeò metaphysicus, ut ad istas speculationes ac conditiones deveniat; quas si statueret, illius consensus non fuisset absolutus, sicuti à me supponitur; & in praxi, quilibet, qui contrahit cum alio seriò agente, absque hac conditione contrahit, quæ nec quidem ipsius menti se obiicit; Certè qui alicui rem aliquam vendit promittenti se soluturum; nullo modo venderet, si sciret, solutionem faciendam non esse, & nihilominùs reverà vendit; ita in re nostra.

142. Quantùm spectat ad auctoritatem Clementis VIII. certum est, non esse necessariam novam præsentiam Parochi & Testium, ut declaravit Pius V. ex Navar. in Sum. cap. 22. num. 70., quapropter censeo illius sententiæ, quæ nequaquam definitio est, stan-

standum non esse; & valdè mihi incongruum videtur, perturbari conjugem, atque ipsi obiicere tot fornicationes & peccata quot oscula & copulas habuit; Adde plura alia incommoda oriri posse, quæ si evitari possunt, ut evitantur per posteriorem assertionem, evitari debent.

ARTICULUS V.

Quid sentiendum de consensu coacto.

143. Ut punctum hoc resolvamus, nulla hìc doctrina indigeremus, si ea, quæ tradi solent in quæstionibus de actibus humanis de metu, utrùm causet involuntarium nec ne, perpenderemus; Quia tamen de hac re sermo à nobis non instituetur in eo tractatu, quem typis, nisi sententiarum mutemus, non dabimus; ideo in præsentiarum, quantùm huic dubio satis est. exponemus.

144. Atque in primis supponendum est, voluntatem in suis actibus internis, quos vocant elicitos, nullam pati posse coactionem, ut in 1. 2. docet S. Thom. quæst. 6. art. 4., & paucissimis refragantibus, alii tradunt Theologi; unde dicit Anselm. de lib. arbitr. cap. 6. *Invitus nemo potest velle aliquid, quid non potest velle nolens*. Cum igitur sermo fit de consensu voluntatis coacto, fit tantùm de coactione impropria, quatenùs ex aliqua causa oriatur impulsus, quo velit, quod absolutè nollet.

145. Causa hæc ad metum reducitur, qui ex Vulpiano l. 1. §. *Quod metus: est instantis periculi vel futuri mali mentis trepidatio*: & priùs ex Arist. 2. Etic. cap. 5. *animi perturbatio ex apprehensione mali imminentis*. Porrò metus iste alius est gravis, ortus nimirùm ex vehementi apprehensione gravis mali imminentis, v. g. mortis, vel infamiæ; & hìc dicitur justus, & cadens in constantem virum, idest prudentem ac virtute præditum: Alius levis, qui opposito modo debet explicari. Advertendum tamen, metum gravem, vel levem non tantum desumendum esse ex parte causæ inducentis; sed etiam ex parte personæ, cui metus infertur: sic hostium incursio, quam fortis miles æquo animo ferret, gravem metum vecordi ingeret rustico.

146. Metus etiam dividitur in antecedentem, & concomitantem: Ille est occasio, vel causa operis, seu ejusdem motivum; ut se habet projectio mercium metu naufragii, & ita operans dicitur agere ex metu: Iste concomitatur opus, sed non est operis causa, & contingit v. g. in fure dum actu surripit, & domini timet adventum: Tandem metus antecedens esse potest operis causa, vel adæquata, quando ita se habet, ut cessante metu opus non fieret; vel inadæquata, quando è contra.

147. Præterea: Metus esse potest justus, & injustus. Primus incutitur à potestate superiore in alicujus criminis vindictam. Alius incutitur contra justitiam nulla præsupposita culpa, cui debita sit aliqua pœna. Adde alium metum, qui reverentialis appellatur, quique oritur ex quadam lege nobis naturaliter indita erga illos quos tanquam superiores colimus ac parentes, quibus displicere nolumus; quamvis hac causa seclusa id non ageremus, quod reverà agimus.

148. Hisce expositis: certum est, nec metum levem, neque reverentialem opponi consensui requisito ad matrimonium; non primum, quia facilè depelli posset, neque libertatem adimit; non secundum, quia quod fit, ne superioribus, ac parentibus nostris displiceamus, liberè fit; & quamvis sit aliqua in operando displicentia, attamen ex alia parte sic operari placet; sicut placet parentum ac superiorum genio voluntati adhærere: Hoc tamen sic intellige, ut nulla sit ex parte superiorum, vel parentum comminatio, nulla vultus verborumque severitas, nulla do-

domesticarum rerum subtractio; sic enim foret oppositum concludendum, quia esset metus gravis & injustus. Qua de re.

149. Dico 1. metum gravem injustè incussum reddere irritum & nullum consensum præstitum in matrimonio. Hoc valet de quocumque contractu; nam si quandò metus est gravis ac injurius, contractus essent validi, maximum inferretur communitati detrimentum, eresceret præpotentium insolentia; & alia similia sequerentur: quæ, utpotè mala communia, debent vitari potiùs, quam malum privatum, quale est dissolutio contractus particularis. Hinc habetur in l. finali cap. *de iis, quæ vi habentur*, venditiones, donationes, transationes, quæ per potentiam extractæ sunt, infirmari jure positivo. Magis tamen hoc valere de matrimonio ipsa ratio suadet, cum in eo magis necessaria sit animorum conjunctio, quam corporum, & de eo dixit Alex. III. cap. *Cum locum: Matrimonium solo consensu contrahitur, & ubi de illo quæritur, plena debet securitate gaudere cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit*.

150. Dico 2. matrimonium contractum ex gravi metu justè incusso validum esse.

Ratio est, quia vel metus iste incussus est per causam internam, puta ob conservandam vitam; vel per causam externam, nempè potestatem superiorem in alicujus criminis pœnam; Utcumq; autem contingat, matrimonium irritum non reddit: non si priori modo; nam ille, cui timor iste incussus est, se ab intrinseco determinat, ac liberè agit eligens talem finem; proinde etiam liberè eligens media, ut patet in eo, qui metu naufragii liberè procul dubio merces projicit; quia si voluisset vitæ jacturam facere, potuisset non projicere; vel etiam votum emittit, ad quod postea tenetur: non si posteriori, nam sibi ipsi imputare debet, qui crimine suo se in ea posuit circumstantia, in qua metu adigendus esset ad matrimonium, & ex alia parte ut illa mala effugiat, quæ sine matrimonio non effugeret, liberè consentire videtur ac præsumitur.

151. Dices: si res ita est, etiam cum metu gravi injustè incusso validum erit matrimonium; quia adhuc liberè contrahet, cum posset potiùs illa mala etsi injustè subire, quàm contrahere.

Sed contra: dico id verum esse sistendo in jure naturali positivo; fatemur enim, nullum metum auferre simpliciter voluntarium & liberum, neque per se loquendo excusare à peccato; falsum tamen esse, loquendo de jure civili ac Ecclesiastico, quod nullos voluit illos contractus; sicuti probatum fuit.

QUÆSTIO IV.

De unitate, & indissolubilitate Matrimonii.

ARTICULUS I.

Utrum Matrimonium esse debeat unius cum una.

152. IN hoc puncto de polygamia agendum est, quæ esse potest vel successivè, cum scilicet mortuo primo conjuge convolat alter ad secundas nuptias; vel simultaneè, cum pro eodem tempore vir habet plures uxores, vel mulier habet plures viros. Agemus primò de polygamia successivè considerata.

Illicitum esse mortuo viro mulierem, & mortua muliere virum nuptias secundas inire, existimarunt Montanistæ, ut refert S. Augustin. in lib. de hæresibus cap. 26., quibus se adjunxit Tertullian., ut constat, ex ejusdem libro de Monogamia; nec non Novatiani, ut scribit Theodoret. lib. 3. de fabulis hæretic. cap. 5.

Equidem de hac re plura reperimus scripta apud Patres, quibus secundæ nuptiæ reprobari videntur, quæve à nobis in argumentorum solutione afferentur. Plura verò, quibus innuitur, illas Ecclesiam nec suasisse, nec prorsùs reprobasse; sed habuisse in votis, ut fideles eas evitarent; Inter hæc non latet illud Ambrosii lib. de viduis cap. 11. ubi ait: *Non prohibemus secundas nuptias, sed neque suademus. Plus dico: non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpè repetitas; neque enim expedit, quidquid licet*: tùm illud Hieronymi in Epist. ad Geruntiam, seu Ageruchiam scribentis: *Quid igitur damnamus secunda Matrimonia? minime; sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos? absit: sed monogomos ad continentiam provocamus*: & infra: *Aliud est, quod vult Apostolus, aliud, quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, meæ est incontinentiæ, non illius voluntatis &c.* Porro sententia Apostoli illa est, quæ legitur 1. ad Corinth. 7. nempe, *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino: Beatior autem erit, si sic permanserit &c.*

153. Verùm quod nostra refert, est, utrùm secundæ nuptiæ tanquàm noxiæ & illicitæ damnandæ sint.

Sentiendum negativè; quod quidem probatur ex verbis Apostoli superiùs laudatis; neque enim illas permisisset, si fuissent illicitæ, aut noxiæ. Arbitror autem in hac re omnia ea facere quæ dicta sunt de matrimonio absolutè inspecto q. 1. art. 2. Hæc verba Pauli considerantes veteres Patres eas protulere sententias, quæ nostram confirmant: Clemens Alexandrin. lib. 3. Stromatum laudans Monogomiam inquit: aliis esse indulgentiam concedendam, & concludit: *Si cui Apostolus propter intemperantiam & ustionem ex venia secundum concedit matrimonium; hic quoque non peccat quidem ex testamento, non est enim lege prohibitum, non implet autem summam illam perfectionem, quæ agitur ex Evangelio*. S. Basilius can. 41. Epist. ad Amphilochium ait: *Quæ in viduitate potestatem sui habet, & viro cohabitat, ab omni accusatione libera est, si ne-*

si nemo est, qui conjugium divellat; cum Apostolus dicat: Si mortuus sit maritus, libera est, ut nubat cui velit, tantùm in Domino. Clariùs Novatianum perstringit S. Gregor. Nazianz. ubi ipsum reprehendens, ac si vellet se magistrum Pauli efficere, ac respondens post baptismum secundas nuptias licitas non esse, inquit: *Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condamnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas & facilitas.* Ex aliis Patribus Græcis omitto Joan. Chrysost. hom. in laudata Pauli verba; Epiphan. in expositione fidei circa finem; Theodoretum lib. 5. hæretic. fabularum cap. 26., aliosque non paucos.

154. Si verò me ad latinos converto; jam adduxi Ambrosium, ampliùs verò liceat proferre Hieronymum, qui cum tot laudibus adversus Jovinianum castitatem & continentiam extulisset, ut quodammodò nuptias depressisse videretur; ita scribit in Epist. ad Pammachium ferme se ipsum corrigens: *Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam; & ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodò & secundo marito nubere: sed quomodò non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur:* subdit infra. *Non damno digamos, non trigamos, & si dici potest, octomagos:* Quamquam potuisset omittere illa verba, *si dici potest*, cum in Epist. ad Geruntiam, seu Ageruchiam, ipse referat, Romæ vidisse virum, qui viginti septem habuit uxores, & mulierem, quæ vigesimum secundum habuit maritum; qua in re utique obstupuit, & ardentiori stylo declamavit, non ut matrimonium illud tanquam nullum, aut malum damnaret; sed ut nimium veneris ardorem redargueret, ac perstringeret incontinentiam; juxtà quam doctrinam explicabis illos Patres, quos paulò severiùs de secundis nuptiis loquutos esse reperies.

155. Post Hieronymum prohiberi nolo Augustinum producere. Plura dicit præclarissimus Doctor iste in lib. de bono viduitatis cap. 12. perpendens verba superiora Sancti Pauli, ubi considerat, Apostolum indifinitè loquutum esse, nec dixisse, si dormierit primus, secundus, vel tertius vir, sed *vir ejus*; ex quo dicendi modo concludit, semper nuptias licitas esse, quotus vir fuerit: ejus autem verba sunt ista: *Ne arbitreris, vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias, cum sint nuptiæ, malas esse.... De tertiis, & quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.*

156. Quidquid tamen hic vel ille Sanctus Pater, quem semper maximi faciam: audiantur etiam Concilia: Nicænum primum can. 8. præscribit, Novatianos ad Ecclesiam redeuntes recipiendos non esse, nisi priùs profiteantur, se Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipere; atque illos in communionem recipere, quos agnoverint bigamos: quod & factum fuit in Laodiceno primo, quod secundas nuptias can. 1. legitimas vocat. Totum autem hoc concludat Florentinum, in quo Eugenius IV. in decreto pro Armenorum instructione sic proprio ac totius Concilii nomine effatur: *Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquàm condemnatas respuere; ne peccatum, ubi non est, esse putetur* (hic affert textum Pauli, de quo supra) *declaramus non solùm secundas, sed etiam tertias, quartas, atque ulterius, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licitè contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulteriùs à conjugiis abstinentes in castitate permanserint: quia sicut virginitatem viduitati; ita nuptiis castam viduitatem laude ac meritò præferendam esse censemus.*

157. Jam verò opponas illos Sanctos Patres, qui de secundis nuptiis acutiori stylo scripserunt; atque eas velut

lut fornicationes & adulteria existimarunt. Novi, Athenagoram in legatione pro Christianis ita dixisse; *Qui seipsum priori uxore privat, licet mortua, adulter est quamquàm dissimulanter*. Antea verò dixerat, *Vel ut natus est unusquisque nostrum manet, vel unicis nuptiis copulatus; secundæ quippe decorum quoddam sunt adulterium*. Novi, Clementem Alexandrinum lib. 3. Stromat. ita scripsisse. *Ut idolatria est ex uno in multos Dei attributio; ita fornicatio est ab uno matrimonio ad plura prolapsio*. Novi, Origenem hom. 17. in Lucam sic effatum esse: *Nam secundæ, & tertiæ, & quartę nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, & non ignoramus, quod tale conjugium ejicit nos de regno Dei*. Similia habent cæteri.

Verùm non adeò strictè, & juxta litteræ rigorem accipiendi sunt; sed eorum dicta emmollienda, ac benignamente explicanda; nisi velimus dicere, eos in sententiis suis sibimet ipsis contradixisse: Ita ab ipsis existimo scriptum esse, quia summè optaverant, alias nuptias præter primas non fieri; & quia noverant, eas ferè semper contrahi propter nimiam incontinentiam, & ardorem libidinis; ideò sic illas persequi videbantur, sicuti ipsam incontinentiam, appellantes fornicationes & adulteria non in se ipsis, sed in sua causa. Præterea est etiam animadvertendum, ita secundas nuptias fieri posse, ut sint omninò illicitæ; imo & invalidæ, si quis ex ca. judaico more repudiaret primam, & nuberet secundæ, aut fingeret ac fraudolenter ostenderet, priorem esse mortuam, & alteram duceret; tunc procul dubio secundæ nuptiæ essent fornicationes & adulteria; at secundæ nuptiæ appellari non possent, quia nuptiæ non essent. Fortasse in hoc sensu etiam loquti sunt illi Patres. Origenes verò in hac re parvi faciendus est, plus æquo castitatem amabat, ideo plùs ęquo nuptiis erat infensus. Dicere tamen possumus, secundas nuptias homines ejicere de Regno Dei non absolutè, sed quantùm ad illam majorem gloriam, qua fruentur illi, qui cùm mulieribus non sunt coinquinati; Unde ibidem ait, *forsitan de cœtu primitivorum immaculatorumque Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam, ejicietur digamus; non quo in æternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in Regno Dei*; Qua propter, si nostra non admitteretur interpretatio, inveniendus est locus tertius, quem excludendum esse, nisi pelagianus sis, inficiari non potes.

158. Primum tamen argumentum confirmari potest; quia Ecclesia ita judicavit de secundis nuptiis, ut ipsis negaverit benedictionem, pœnitentiam imposuerit, atque nubentes irregulares, seu inhabiles ad sacros ordines habuerit, & habeat; Hoc autem factum non esset, neque fieret, si secundæ nuptiæ non forent illicitæ, atque turpes existimandæ. Pœnitentiam imponendam esse, habetur ex Concilio Neocæsariensi 3., ex Ancyrano 19., ex Laodiceno 1. Negandam esse benedictionem, præter alia Concilia, statuitur in appendice Concilii Lateranen. cap. 8. sub Alexan. III. De irregularitate omnes fatemur, & diximus suo loco, in tomo 6.

Resp. Utique secundis nuptiis dandam non esse benedictionem, non tamen ex hoc inferendum quod dicebatur; sed aliam omninò causam assignant antiqua monumenta: Unam affert Alexander III. in laudato Lateranensi Concilio; quia benedictio, quam transeuntes ad secundas nuptias jàm habuerunt, fit ad instar consecrationis, iterari non debet. Ecce verba tit. de secundis nuptiis cap. 1. *Vir vel mulier ad bigamiam transiens, non debet à presbytero benedici, quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari*. Caussam hanc attulit etiam Urban. III. extra, de secundis nuptiis, cap. *Capellanum*, & cap. *Vir autem*. Alia legitur in rituali Leodiensi, ubi præscribitur sic: *Hanc*

Hanc benedicendi formam non impendet Sacerdos secundis nuptiis, sed primis dumtaxat; non quidem quod secundæ nuptiæ non verum, ac legitimum matrimonium contineant; sed quod non tam perfectè, sicut primæ, Christi Domini unius sponsi cum sua sponsa Ecclesia unicam ac simplicem repræsentent conjunctionem.

Quod verò secundò nubentibus aliqua pœnitentia imponeretur, hoc non probat secundas, & ulteriores nuptias illicitas esse; siquidem in iisdem Conciliis, & præsertim Laodiceno appellantur legitimæ; sed tantùm aliquam pœnam imponendam esse propter incontinentiam & veneris ardorem, quibus ad secundò, & ulterius nubendum plerumque pertrahuntur, ut dictum fuit; quam postea severitatem filiorum suorum indulgens ac consulens infirmitati, relaxavit Ecclesia.

Quod tandem de irregularitate, quæ ex bigamia consurgit indicatum est, solvitur ex iis, quæ in quæstionibus de Ordinis Sacramento protulimus.

159. Est & quædam objectio quæ desumitur ex iis, quæ habet S. Joannes Chrysostom. hom. 32. operis imperfecti, ubi hæc leguntur: *Apostoli præceperunt quidem secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum; nam secundam quidem accipere secundum præceptum Apostoli est, secundum veritatis autem rationem verè fornicatio est; sed dum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio.*

Ne tamen hæc mihi proferant tanquam Chrysostomi: satis pro re nostra se explicavit Sanctissimus Doctor tum loco à nobis indicato num. 152. in fine; tum etiam hom. 20. in epist. ad Ephes. Agnoscenda sunt illa verba tanquam mali fructus ab arbore mala; nimirùm vel aliquo homine hæretico sic scribente, vel alio item hæretico Chrysostomi doctrinam corrumpente. Observat Bellarmin. lib. de matrim. cap. 9. in eo libro multa contineri, quæ orthodoxam fidem evertunt; ego verò, quin ad alia me convertam, adnoto in hoc ipso allato testimonio contradictoria: Quid est hoc, secundas nuptias fornicationem in rei veritate appellari, deinde permittente Domino honestam fieri fornicationem? Nunquid per divinam permissionem licita fieri potest fornicatio? Hanc censemus nos ab intrinseco malam esse; quod autem hujusmodi est, ab ipso Deo licitum fieri non potest; & quamvis concederemus, fornicationem licitam fieri posse ex Dei dispensatione, quod modo non investigamus; attamen ad præsentem statum non est extendenda hujusmodi dispensatio.

ARTICULUS II.

De Polygamia simultanea.

160. Plura, quæ tanquam certa habenda sunt, expono, priusquàm ad præcipuam difficultatem deveniam: Primò: certum est, unam mulierem plures viros in maritos habere, fuisse semper jure naturali prohibitum; quia opponitur primo matrimonii fini, idest filiorum procreationi; sicut probat S. Augustinus in lib. de bono conjugali cap. 17., possunt enim plures fœminæ ab uno viro fœcundari, non potest autem una fœmina à pluribus viris. Secundò: certum est, unum virum plures mulieres ducere in uxores huic præcipuo matrimonii fini non repugnare, quia unus vir sufficere potest tum fœcundandis pluribus fœminis, tum pluribus filiis alendis atque educandis. Tertiò: certum est, pluribus fœminis commixtos esse Patriarchas veteris legis, ut manifestum erit testamenti veteris historiam legenti, & infra declarabitur.

Ex hoc postremo oritur præcipuè difficultas, in qua inquiritur; Utrum polygamia plurium uxorum prohibita sit, & quo jure. Quod ut clariùs fiat, plura distinctè declarabimus.

§. I.

Utrum ab initio Mundi fuerit illicita Polygamia.

Sentiendum affirmativè.

161. PErpendamus primævam matrimonii institutionem: Hæc procul dubio describitur cap. 2. Gen., ubi sic legitur: *Ædificavit Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem &c. dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Porrò verborum istorum veritas per polygamiam destruitur; fieri enim non potest, esse duos in carne una, si unus dividit suam carnem in plures; atque hoc est, quod ipse Christus judicavit dùm interrogatus à Pharisæis, an licitum esset uxorem repudiare; respondit, non licere, verbis illis: *Quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fæminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque non sunt duo, sed una caro &c.* & urgentibus Pharisæis, Moysem libellum repudii permisisse, dixit: *Ad duritiam cordis vestri Moyses permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Solus Lamech filius Mathusael ex stirpe Cain duas uxores accepit, quem tamen maledictum ac reum Sancti Patres affirmant: *Numerus matrimonii à maledicto viro cæpit... Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit*; ait Tertullian. lib. de exhortat. castit. lib. 5. *Primus Lamech maledictus & sanguinarius, & de stirpe Cain descendens, unam costam divisit in duas, & plantarium digamiæ protinùs diluvii pœna subvertit*, scribit Hieronym. in in epist. ad Salvinam; idemque tradit lib. 1. contra Jovinian.

162. Si autem inquiras, quo jure prohibita fuit in eo statu polygamia.

Responsio est, prohibitam fuisse jure naturali; non quidem primario, sed secundario. Pro cujus responsionis explicatione, sciendum est, non unum esse matrimonii finem. Primus enim refertur ad filiorum procreationem; Secundus verò, ut alios prætercam, ad animorum conjunctionem, ad individuam vitæ societatem, ad pacem ac tranquillitatem in re familiari, necnon in liberali filiorum educatione. Porrò licet uxorum polygamia priori fini non opponatur; attamen secundo opponi nemo non videt: destruitur profectò animorum conjunctio ac individuæ vitæ societas, cum moraliter fieri non possit, ut una præ alia non diligatur: destruitur pax & tranquillitas in re familiari, & hujusce rei nobis affertur exemplum, si quod Gen. 16. & 30. legimus inter Saram & Agar, inter Liam & Rachelem, & Reg. 1. inter Annam & Phenennam contigisse: destruitur liberalis filiorum educatio; cum unius filii præ alterius filiis aliqua prædilectio ac distinctio facillimè contingat; atque ita odia domestica, ac intestinæ contentiones exurgent, quæ omnia juri naturali repugnare manifestum est.

§. II.

Quomodo Patriarchis antiquis licita fuit Polygamia.

163. DE pluribus mulieribus, quibus antiquos Patriarchas usos esse constat ex sacris litteris, non una est Doctorum sententia: Aliquibus visum est arbitrantibus uxorum pluralitatem nec legi naturali, seu matrimonii finibus repugnare, absque ulla culpa, & absque ulla dispensatione pluribus fuisse conjunctos; quæ sententia traditur à Durando in 4. dist. 33. quæst. 1. necnon Alphonso Episcopo Abulensi in cap. 19. Matth. quæst. 30., ad quos Mal-

Maldonatus accedit. Aliqui existimarunt, eos unicam tantùm legitimam habuisse, reliquas verò fuisse concubinas. Aliqui denique senserunt, licitam illis fuisse polygamiam per divinam dispensationem, de qua dispensatione inde plura inquiunt, ut dicemus. Usque modò Catholici.

164. Calvinus verò ac Lutherus contraria omninò exposuerunt. Primus enim tam stricta naturę lege illicitam ac prohibitam polygamiam dixit, ut veteres illos adulteros dicere non trepidaverit; Secundus verò in commentario cap. 16. Gen. inquirens, utrum exemplo Abrahæ liceat Christianis plures uxores habere, concludit; id neque esse præceptum, neque prohibitum; sed liberum: qua in re extat celebris illa consultatio ab ipso cum Melancthone aliisque edita an. 1539. ad Philippum Hassiæ Landgravium, in qua huic Principi facta fuit licentia, vivente priore, aliam ducendi, ut reverà duxit. Ita Pseudo-Magister iste errorem oblivione fermè sepultum excitavit; cui aditum primus inter Christianos fecit Valentinianus Imperator cæteroquin pius: Hic enim, ut scribit Socrates lib. 4. hist. cap. 27., captus amore Justinæ, eamque, retenta Severa priore conjuge, ex qua Gratianum filium jam susceperat, in matrimonium ducere vellet, legem promulgavit, ut duas simul uxores habere unicuique liceret. Quàm impiè Lutherus ita scripserit, ac docuerit dicam postea. Priùs Catholicorum sensus examinabo.

165. Dico primo: Veteres Patriarchas plures simul habuisse uxores.

Hoc mihi certissimum est: etenim Lia & Rachel erant veræ conjuges Patriarchæ Jacob, talique nomine appellantur in scriptura; sicut fit etiam de Anna & Phenenna, quæ dicuntur uxores Helcanæ. Idem priùs evenit in Patriarcha Abrahamo, qui duxit Saram & Agar. Quod si res ita non fuisset, quo pacto Abraham tot laudibus ab Apostolis & Prophetis, imò ab ipso Christo & à Deo fuisset commendatus? quo pacto dici potest; vel ipsum, adulterium esse peccatum, ignorasse; vel consensu conjugis adigi potuisse, aut alia quacumque causa ad id perpetrandum, quod noverat esse peccatum? Certè si illæ non fuissent uxores veræ, toto ferè vitæ tempore fuissent illi peccatores, & publici peccatores; mulieres enim illas semper publiceque retinebant. Paulus Apostolus ad Galatas 4. scribens de Sara, & de Agar, quas nos dicimus Abrahami fuisse uxores, quamvis Agar ancilla dicatur, inquit; duos earumdem filios duo testamenta, duosque populos significasse, nempe per filium Saræ, quæ libera erat, significatam Ecclesiam, quæ libertate gaudet; per filium Agar, quæ ancilla erat, significatam fuisse Synagogam, quæ erat sub servitute; sicut igitur Synagoga non fuit adulterina proles, sed legitima; ita, ut significatio vera sit, Agar non fuit adultera concubina, sed vera conjux.

166. Atque hic observandum occurrit, in scripturis sanctis interdùm concubinas appellari mulieres, quamvis reverà essent uxores. Sic Genes. 25. legitur: *Dedit Abraham cuncta, quæ possidebat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera*. Quare autem hæc diversa appellatio tradita sit; non ex alio repetendum esse judico; nisi quia ducebantur aliquæ non tantùm ad filios procreandos; sed etiam ad omnium bonorum societatem, totiusque domus gubernationem, atque istarum conjugium comitabatur solemnitas: aliquæ verò sine solemnitate, admissæ tantùm ad filios suscipiendos in thorum conjugalem. Illæ appellabantur uxores matresfamilias, earumque filii paterna hæreditate potiebantur; istæ verò dicebantur concubinæ, & ancillæ, earumque filiis tantùm legata aliqua tribuebantur; ut in textu laudato.

Quod

167. Quod autem res ita se habeat, ut etiam vera uxor appellari possit ancilla, & concubina, non quidem in sensu apud nos vulgariter usurpato, juxta quem mulierem inhonestam ac turpem solemus exprimere; sed in sensu Scripturarum & Conciliorum, facili negocio ostendere possum: Si Scripturas exposcas, lege cap. Gen. 16., invenies dictum de Sara: quod *dedit Agar viro suo uxorem*; quæ tamen ibi appellatur ancilla: lege cap. 25. invenies: *Abraham verò aliam duxit uxorem nomine Ceturam*; quæ postea inter concubinas recensetur: lege cap. 30. invenies à Rachele datam esse viro suo Jacob Zelpham ancillam in conjugium: & denique Judicum 19. unica Levitæ conjux interdum uxor, interdum concubina vocatur: Si verò Concilia velis, in promptu est Tolet. primum can. 17., ubi præcipitur, eum esse ad communionem admittendum, qui uxorem non habet, sed pro uxore concubinam: nunquid igitur pro concubina mulierem turpi meretricio operam dantem intelliges? Hanc repellendam esse à communione quis non videt? concubinam igitur illam dicit, quæ sine dote, sine matrimoniali instrumento, sine externa solemnitate, sed solo consensus mutui perpetuò duraturi interventu ducta fuit. Audiatur Gratian. dist. 34. can. *Omnibus*, ubi sic effatur: *Concubina hic ea intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est; Hanc conjugem facit affectus, concubinam verò lex nominat*. Unde strictiùs loquendo dicere possemus; illas fuisse juxta legem concubinas, re autem ipsa fuisse uxores.

168. Quanquàam etsi transmitteremus eas veras uxores non fuisse; attamen plures veras uxores ab antiquis illis Patribus ductas esse, negari non potest; Nam Liam & Rachelem Jacob; Annam & Phenennam Helcanæ semper uxores appellat Scriptura; nunquam concubinas.

169. Contra hanc doctrinam nostramque assertionem videntur nonnulla alia militare. Primò illud Joan. 8., ubi dicebant Judæi: *Nos ex fornicatione non sumus nati*; idest ex Euthymio in comment. ejusdem loci, gloriabantur, se non descendere ex Agar, sed ex Sara; igitur illi, qui erant ex Agar, nati erant ex fornicatione, proinde Agar non erat uxor.

Secundò ex SS. Patrum sententiis: S. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 4. quod vivente Sara uxore filium voluerit ex ancilla, illum excusare contendit; & tres affert rationes: Primò, quia eo tempore nulla lex adulterium prohibebat: Secundò, quia non libidinis, sed amore posteritatis, & suasione uxoris id fecerit; cujus deinde facti pœnitentiam exhibuit: Tertiò, quia se alteri conjunxit, filiumque suscepit ad aliquid futurum significandum, ut habetur ad Galat. 4.

S. Augustinus lib. 2. contra adversarios legis & Prophet. cap. 9. necnon lib. 2. contra Faustum cap. 30. aliisque in locis, Manichæis sibi reponentibus crimen Abrahæ, respondet: Abraham excusandum esse, quia non libidine, sed prolis gratia, idque cogente uxore complevit: Si autem Agar vera uxor fuisset, uno verbo crimen potuisset diluere, dicendo, eam Abrahami veram uxorem fuisse.

S. Leo epist. 92. nunc 2. ad Rusticum Narbonensem cap. 4. ita distinguit inter uxorem & concubinam, ut asserat, habentem concubinam, si ducat uxorem, conjugium non duplicare, & affert exemplum Saræ & Agar; Itaque &c.

170. Hæc tamen momenta nequaquàm convincunt: In illo priori textu non est sermo de fornicatione carnali, sed de spirituali, qualis est idolatria, ut exponit S. Augustinus. Manifestum est hoc ex contextu; dicebant enim Judæi: *Pater noster Abraham est: Unum Patrem habemus Deum*. Porrò priora verba nihil

nihil concluderent, si sermo esset de fornicatione carnali,& conjunctio ipsius cum Agar fuisset fornicatio; quia licet Abraham fuisset Pater, adhuc ex fornicatione nati fuissent. Posteriora autem verba apertè indicant, se alienos esse ab idololatria, cum dicant se unum Patrem habere Deum.

Pro Sancto Ambrosio dicendum est: S. Doctorem pluribus momentis Abrahamum defendere voluisse: primum autem & secundum non subsistit; imò secundum opponitur primo: si enim nulla lex prohibebat adulterium, quare dicitur Abraham pœnitentiam egisse? Reverà tamen semper naturali lege prohibitum esse; imò hanc legem à nemine invincibiliter ignorari posse fatetur idem Ambrosf. in eodem lib. cap. 11. Postremum itaque verum ac firmum est; atque ita, quod ex se peccatum fuisset, per divinam dispensationem factum fuisse mysterium.

Pro S. Augustino observandum est: Manichæos objecisse Patriarcharum libidinem ac petulantiam in pluribus ducendis uxoribus; satis igitur ipsi erat, ostendere, non lubrico carnis, sed amore posteritatis ad multas uxores accessisse: aliam verò tunc rationem non attulit, quia jam alibi docuit, Abraham quatuor uxores habuisse, quia tunc propter divinam dispensationem nulla lex id prohibebat; nec ulla consuetudo erat in oppositum, ut videri potest lib. 16. de Civit. cap. 38. & 22. contra Faustum cap. 47.

Quantum ad Sanctum Leonem; sunt aliqui existimantes in hoc deferendum esse; quia judicaverit, Agar non fuisse uxorem Abrahæ; Possumus tamen illum benignè interpretari, dicendo loquutum fuisse de concubina juxta communem loquendi modum; quæ fornicaria sit, vel adultera; Quod verò afferat exemplum Agar & Saræ; non inde excludit Agar tanquàm uxorem; cum ibi loquatur non de uxore & concubina, sed de libera & de ancilla: Porrò ancilla & concubina non dicuntur per convertentiam; cum multæ sint concubinæ, quæ tamen sunt liberæ; & plures sint ancillæ, quæ tamen sunt uxores. Bellarminus dicit: S. Leonem duriusculè ac obscurè loquutum fuisse.

Hæc à me dicta sunt: non quia opus esset ad refellendos Hæreticos, qui ut probent polygamiam licitam esse, nobis Patriarcharum veterum exempla proponunt; quia admissa sententia, quam rejecimus, illa mulierum pluralitas polygamiam non constituisset.

171. Dico 2. Polygamiam in illa lege fuisse licitam ex divina dispensatione.

Assertio hæc, quantum ad licitum pertinet, satis demonstrata est num. 163. Porrò si non fuisset divina dispensatio, licita nequequem fuisset ex dictis numer. 160., & 161. Dispensationem istam commemorant SS. Patres, ut superiùs ostendimus: Ambrosius conjugium Abrahæ cum Agar excusat, illudque non peccatum dicit, sed mysterium; quia illud voluerit Deus ad futuram aliquod significandum. Idem colligitur ex S. August. in iis omnibus locis; in quibus uxorum pluralitatem inculpabilem consuetudinem appellat, adversùs quam nulla lex esset; quia nimirum attenta dispensatione nulla lege prohibebatur: Sed præ cæteris in re nostra loquitur S. Joannes Chrysostomus hom. 56. in Gen. perpendens factum Jacob, qui duabus se conjunxit uxoribus: *Audiens*, ait, *eum accepisse majorem natu, & postea minorem, ne turberis; neque secundùm statum, qui nunc est, opera quæ tunc facta sunt judices. Tùnc enim, quia principia erant, permissum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus misceri*. Denique Innoc. III. cap. *Gaudemus. De divortiis*, disertis verbis quod à nobis dicitur docuit, dicens; *Nulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum &c.*

172. Dices: ergo pluralitas uxo-

rum non est contra legem naturalem; etenim in iis, quæ sunt hujusmodi, nulla esse potest dispensatio divina, cum sint ab intrinseco mala. Præterea: sicut ex divina dispensatione fieri non potuit, ut una mulier haberet plures viros; ita nec fieri potuit, ut unus vir haberet plures uxores, saltem titulo injustitiæ, quæ in eo contractu non defuisset; mulier enim non habuisset potestatem tradendi alteri corpus suum; vir autem eam habuisset.

Sed contra. Adnotanda est doctrinam Scoti in 4.dis.17., & dist.26., aliisque in locis; nempè legem naturalem versari posse, vel circa ea, quæ sunt prima ac universalissima principia practica per se nota; quale est illud. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* vel circa ea, quæ sunt tantummodò conclusiones remotè contentæ, ac deductæ ab iisdem principiis: Rursùs: eam esse posse vel quantùm ad quædam primaria, vel quantùm ad quædam secundaria, & hæc dependentia ab humano contractu, proindè subjecta divino dominio: Porrò, si sermo fit de prima lege naturali, nulla esse potest divina dispensatio; quia quæ per illam naturalem legem præscribuntur, ita se habent, ut eorum oppositum intrinsecam ac inseparabilem malitiam contineant, ut se habent ex.ca.idololatria, & adulterium: Si autem sermo sit de secunda, divinæ subest dispensationi; quia juxta aliquas circumstantias fieri potest bonum, ac laudabile, quod juxta alias erat malum, ac dissonum naturali inclinationi: Cum igitur pluralitas uxorum ita se habeat, ut non opponatur legi naturali sub priori consideratione, sed solùm sub posteriori, & quidem in iis, quæ subjecta sunt divino dominio; infertur esse potuisse divinam dispensationem; præsertim cùm non servare finem matrimonii secundarium conferret ad servandum primarium, nempe ad propagationem illius populi, qui ad Dei cultum fuerat à Deo electus; quæ est ratio, qua Sancti Patres utuntur.

Ex hac doctrina rejicitur id, quod additum fuit; siquidem mulierem unam habere plures viros, ita est contra legem naturæ, ut opponatur fini primario matrimonii, ut dictum fuit: Quod verò pertinet ad injustitiam, solvitur dicendo, vel mulierem potuisse cedere juri suo; imò existimo, id semper factum esse ex scientia & consensu primæ uxoris, ut patet scripturam legenti; vel potestatem hanc corporum, utpotè Deo subjectam, traditam esse ab ipso Deo; qui viro talem dedit, ut posset dividi in plures uxores; non verò mulieri, ut posset dividi in plures viros.

173. Neque dicas, sequi ex hac doctrina, quod si esset mulier conjuncta viro sterili, hæc nubere potuisset alteri viro: etenim, quod una mulier ex defectu viri non pariat, nulla est causa dispensationis, nisi fortasse sola esset in mundo; in quo casu potiùs dispensanda foret à vinculo matrimonii cum viro priori, quàm permittenda plures viros habere; Verùm hæc hypothesis opponitur divinæ providentiæ, ad quam pertinet humanum genus servare.

Alia nonnulla objici possent; sed revocari debent ad repudium, quod inter judæos plerumque contigebat, de qua re alibi.

174. Difficultas insurgit dicentium: dispensationem hanc à nobis omninò fingi; cum non reperiatur locus aliquis in scriptura, ex quo colligatur, neque afferri possit aliquis modus, quo facta sit.

Dixerunt aliqui, quod etsi expressis verbis hujusmodi dispensatio ex scriptura sancta non legatur, ejus tamen apparet aliquod vestigium Gen.21., ubi Dominus Abrahæ dixit: *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Quare cum ipsi dixerit; *Ingredere ad ancillam meam Agar, si forte saltem ex illa suscipiam filios*, infertur Saræ factam fuisse revelationem: Hoc mihi non placet, siquidem priùs Abraham juxta consilium Saræ ingressus fuit ad Agar, quàm

quàm ipsi dixerit Deus: *Omnia, quæ dixerit tibi Sara &c.*

Certius igitur est, dispensationem à Deo factam innotuisse per internam inspirationem, ut docet S. Th. q. 63. art. 2., & tradidit Innocen. III. in cap. *Gaudemus*. *De divortiis* juxta dicta num. 169. in fine. Ratio esse potest, quia sicuti lex monogamię non erat scripta in aliquo libro, sed in hominum cordibus scripta, atque Adamo divina tradita inspiratione; ita non opus fuit, ut aliqua lege scripta, sed solum interna inspiratione ejusdem fieret dispensatio.

175. Tria hic Doctores inquirunt: Unum est, utrum singulis Patriarchis facta fuerit hæc interna revelatio. Alterum; Utrum dispensatio ducendi plures uxores, spectaret non tantùm ad Patriarchas; sed etiam ad omnes judæos. Postremum: Utrum etiam ad Gentiles.

Quantùm ad primum: satis est, si dicamus, aliquibus tantùm primis factam esse; deinde alios eorum exemplo edoctos fuisse. Bellarminus probabile putat, factam fuisse soli Noe, qui fuerit cæterorum magister.

Quantùm ad secundum: sentiendum est affirmativè: Nullum enim Prophetam legimus, in quo uxorum pluralitas fuerit reprehensa; nec ulli ex Judæis ea tanquam crimen objecta fuit. Hoc manifestè supponit Moyses Deuteron. 21. ubi sic loquitur: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere; non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ &c.*

Quantùm ad tertium: Non est eadem Theologorum sententia: Affirmant nonnulli, præsertim Bellarminus, qui plura momenta producit: Primum desumit ex doctrina Sancti Augustini tam in lib. 16. de Civit. cap. 38., quam ex lib. 22. contra Faustum cap. 47., ubi S. Doctor ostendit, Jacob quatuor uxores duxisse in Gentilium terra, in qua habitabat Laban, qui erat idolorum cultor; asseritque morem illum culpa caruisse, quia polygamiam lex nulla prohibebat; igitur erat dispensatio; alioquin lex naturalis prohibuisset: atque pro ratione affert propagationem generis humani. Secundum desumit, quia scriptura refert, etiam Esau, qui ad populum Dei non spectabat, multas uxores duxisse, ut legitur Gen. 26. & 28.; Nec tamen illum scriptura reprehendit; Esther etiam juncta est Assuero jam habenti uxorem consentiente ac suadente Mardochæo, qui, utpotè timens Deum, se opposuisset, si certum ac exploratum sibi non esset, etiam infidelibus uxorum pluralitatem licitam esse.

Negant verò alii, & meliùs arbitratu meo: Siquidem ubi finis non est dispensationis, negari debet, factam esse dispensationem; at in uxorum pluralitate apud gentiles nullus erat finis dispensationis; igitur & nulla dispensatio. Hunc dispensationis finem duplicem commemorant Sancti Patres; primum ad multiplicandam posteritatem, seu populum Dei; secundum ad significanda quædam mysteria, ut jam diximus; neuter autem iste finis in gentilibus haberi potuit, proinde &c.

Dixi, ad multiplicandam posteritatem, seu populum Dei; nam quamvis S. Augustinus usus sit tantùm posteritatis multiplicatione; attamen de populo Dei debet intelligi: si enim absolutè ad humanum genus propagandum fuisset polygamia concessa, hoc debuisset potiùs fieri ab initio mundi, & diluvii tempore debuissent conservari plures fœminæ; quod tamen factum non est.

Neque obstant, quæ superiùs producta sunt. Quod enim etiam Gentiles plures uxores habere consueverint, hoc ortum deduxit ex hebræorum exemplo; non autem ex divina conces-

sione; & ideo in hac re non fuerunt reprehensi; illaque polygamia culpa caruit: non quia lex naturalis eam non prohiberet; sed quia id vel ex ignorantia, vel bona fide peragebatur.

§. III.

Quid de uxorum pluralitate dicendum sit in lege Evangelica.

176. EX superius expositis compertum sit, perperam sensisse Calvinum; Agamus modò superest contra Lutherum, & quid uterque dixerit, num. 162. jam declaravimus.

Dicendum: In lege Evangelica illicitam omninò ac irritam esse cum pluribus simul uxoribus conjunctionem, seu polygamiam. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul uxores habere, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit*: definivit Concilium Tridentinum sess. 24. can. 2. quod jam statutum fuerat à Syricio epist. 1., Innocent. I. epist. 9., Innocent. III. cap. *Gaudemus* de divortiis; & legi potest in toto titulo de sponsa duorum, necnon apud Gratian. 24. quæst. 3. can. *An non*.

177. Assertionem istam Catholicam probaturus, ea in primis profero, quæ dixi num. 159., ubi Christus Dominus matrimonium ad primævam suam revocavit originem; prosequar verò per eadem Christi verba Matth. 19. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Quo pacto intelligenda sint illa verba: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, suo loco declarabo; Interim sic argumentum propono. Adulter est, qui dimissa uxore, alteri mulieri conjungitur; ergo magis adulter erit, qui retenta uxore, alteri copulatur: Adderem etiam verba, quæ leguntur apud Marcum cap. 10. nempe: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*; sed ea prætereo, quia Cajetanus subtiliter magis, quàm veraciter, ex istis demonstrare contendit, nostrum prius argumentum parum firmum, atque efficax esse.

178. Sed ne hujusce Doctoris subtilitatem Lutheri patrocinio relinquamus, eam perpendamus oportet: Duo ipse dicit, quamvis more suo satis obscurè. Primò: non fuisse dictum absolutè, *adulterium committit*, sed additum esse, *super eam*, videlicet primæ uxori injuriam esse factam: Secundò: etiamsi id propriè & absolutè dici possit adulterium; hoc tamen contingere, si, invita dimissa priore, ducatur alia; aut illa non consentiente; non verò si retineatur, & consentiente ista, ducatur alia.

179. Ambo perperàm dicta sunt: Perperàm primum: Siquidem, licet in Marco legatur super eam; attamen Matth. 19. & Luc. 16. legitur absolutè, neque oportet ut Matthæum & Lucam explicemus per Marcum; nam, quamvis unus Evangelista interdùm aliquid omittat, quod in alio reperitur; attamen absolutè verum dicit: aliter qui tantùm unum legeret Evangelium, veritatis doctrina careret: addidit porrò Marcus illud *super eam*, ut ostenderet non solùm adulterii crimen, sed etiam injustitiam priori mulieri factam per dimissionem. Perperàm secundum: etenim in lege Evangelica consensus uxoris non sufficit ad reddendam licitam polygamiam, ut ipse Cajetanus fateri debet; in lege autem scripta non requirebatur: nam probabile non est, Liam consensisse, ut Jacob acciperet Balam æmulæ suæ Rachelis ancillam; neque Rachelem consensisse, ut acciperet Zelpham ancillam Liæ; Contingit igitur adulterium, non quia prior uxor invita sit; sed quia adhuc vivit, & permanet uxor.

180. Quidquid tamen à nobis dici pos-

posset; disertè tradidit Apostolus Paulus in epist. 1. ad Corinth. cap. 7., ubi scribit: *Unusquisque suam uxorem habeat &c. Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*. Porrò in hisce textibus sicuti prohibetur polygamia virorum, ita & mulierum; & quamvis ista naturali jure primario non opponatur, attamen in lege Evangelica sistendo, vir & fœmina in pari sunt conditione constituti; Unde idem Apostolus in eodem loco scribit: *Uxori vir debitum reddat, & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Ex quo infertur, quod sicuti mulier sine injustitia se tradere non potest alteri viro; ita vir sine injustitia se tradere non possit alteri mulieri; adultera est mulier, si fuerit cum alio viro; adulter est igitur & vir, si fuerit cum alia muliere; Qua in re inquit S. Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 4. *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit; nisi prioris esse desierit, desinet autem esse uxor prioris, si moriatur vir ejus, non, si fornicatur*.

Addam rationem desumptam ex eo, quod matrimonium in lege Evangelica est Sacramentum significans unionem Christi cum Ecclesia; ergo necessariò debet esse unius cum una.

181. Quid igitur dicendum erit de illa lege Valentiniani, cujus mentionem fecimus num. 162.? dicendum, illam legem, si reverà fuit facta, fuisse impiam, atque excæcatæ mentis illegitimum fœtum, ex hominum memoria prorsùs delendam, & damnandam.

Dixi, si reverà fuit facta: etenim de illa nihil omninò scripserunt Ammianus Marcellinus, qui Valentiniani res accurato calamo ad posteros demandavit, Sozomenus, Theodoretus. Quomodò etiam fieri potuisset, ut Damasus Papa non reclamasset, ac restitisset? Quomodò etiam alii, tanti Imperatoris exemplo ac licentia, plures simul non duxissent uxores? nec tamen id legimus, denique fingi non potest, Imperatorem Christianum id sua lege effecisse, quod Imperatores Romani, quamvis infideles suis legibus prohibuerunt, ut factum fuisse à Diocletiano & Maximiano l. 1. codicis ad Legem Juliam de adulteriis reperimus.

Quid tandem dicendum de Gregorio III. & juxta aliquos II., qui in epist. ad Bonifacium, permittit, marito, si mulier infirma fuerit, ut debitum reddere non valeat, aliam uxorem ducere; dummodò priori opem & alimenta non adimat?

Responsum dedimus in primo tomo in cap. 4. de Summo Pontifice S. 4. num. 31. & 32. Vide.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Matrimonium solvi non possit.

182. NON una tantùm sub consideratione matrimonium sumi potest. Primò ex parte subjecti dividi potest in matrimonium inter infideles, & in matrimonium inter Christianos. Secundò ex parte sui ipsius dividitur in matrimonium legitimum, ratum, & consummatum. Primum contingit ex consensu inito inter personas nullum impedimentum habentes; & hujusmodi fuit ante Christi adventum, & nunc etiam est illud infidelium. Secundum illud est, quod ultra contractum legitimum, addit etiam dignitatem Sacramenti, & solum inter fideles ac baptizatos reperitur; Unde Innoc. III. in cap. *Quanto* de divortiis ait: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat*, *non*

non tamen est ratum. Tertium est illud, quod reali copula ad generationem apta perficitur ac completur. Plura igitur à nobis inquirenda sunt; & difficultatem istam arduam vehementer esse fateri non erubescimus; cùm & ipse Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 25. se in ea solvenda imparem esse affirmaverit. Ordinem autem sequentem instituemus, ut priùs de infidelium matrimonio res pertractetur, deinde de matrimonio fidelium tum rato, tum consummato.

§. I.

Traduntur nonnulla de Matrimonio inter Infideles.

183. PAucis plura expendemus, quæ de matrimonio inter infideles possunt inquiri. Atque in primis, illud verum dici posse matrimonium, ita ut vir maritus, & mulier uxor appellentur suadet id, quod ex Innoc. III. numero superiore notavimus, & colligitur ex illo Pauli 1. ad Corinth. 7. *Si quis frater uxorem habeat infidelem .... & si qua mulier virum habeat infidelem.* Ratio autem est, quia matrimonium non est tantùm sacramentum, sed etiam contractus naturalis; imò priùs contractus naturalis, quàm Sacramentum; igitur esse poterit hujusmodi in priori consideratione; quin sit juxta posteriorem. Observandum tamen est, talem esse debere ipsorum contractum, ut nullum sit inter ipsos impedimentum jure naturali dirimens, & contra ipsorum leges non ineatur; quamvis sint alia impedimenta à jure canonico statuta, cum istius legibus ii nequaquàm teneantur.

184. Quæritur igitur primò, quid sentiendum de matrimonio contracto in infidelitate, & ambo conjuges ad fidem convertantur; dissolvitur ne?

Resp. negativè, per baptismum enim, ait Innoc. III. cap. *Gaudemus*: *Non solvuntur conjugia, sed dimittuntur crimina*: atque hoc tradidit Paulus 1. ad Corinth. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Hic tamen observandum est, quod si infidelis primam uxorem repudiaverit, & aliam duxerit, conversus ad fidem debet à posteriori recedere, atque secundum matrimonium tanquàm irritum habere; cum Christi lex repudium non admittat: si tamen illa prior uxor nollet cum marito pacificè & sine contumelia creatoris habitare, posset cum secunda, quam legitimè non habuit, legitimè contrahere; ut pariter laudato capite statuit idem Pontifex: & hoc pacto intelligi debet can. *Si quis Gentilis* 28. q. 1., qui tribuitur Eutichiano Summo Pontifici: *Si quis Gentilis uxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestatem ejus erit habere, vel non habere*. Rursùs tenendum est; quod si infidelis priùs habuerit plures uxores, omnes debet dimittere præter primam; quia Evangelium uxorum pluralitatem excludit.

185. Quæres 2. an conjux ad fidem conversus possit priùs matrimonium dissolvere, ac aliud inire, si alter renuat converti, vel nolit pacificè & absque Dei contumelia cum illo habitare.

Antequàm respondeam, videndum est, quid intelligatur pro contumelia Dei: Certum est non intelligi perseverantiam vel in falso Deorum cultu, vel in quovis alio ritu infideli; aliter non esset, cur Innoc. III. in toties memorato capite, & alii Doctores inquirerent; utrum infidelis renuens converti, & velit habitare sine contumelia creatoris. S. Thom. in 4. dist. 39. quæst. unica art. 5. hisce verbis Dei contumeliam explicat: *Si infidelis nolit cohabitare sine contumelia creatoris, in verba blasphemiæ prorrumpens, & nomen Christi audire nolens; tum si ad infidelitatem pertrahere nitatur &c.* atque eodem ferme pacto loquuntur Scotus in

in 4. dist. 39. quæst. unica art. 2., S. Bonavent. ibidem quæst. 1. art. 2. aliique.

186. Resp. certissimum esse, matrimonium infidelium, quamvis consummatum, dissolvi posse etiam quoad vinculum, si unus ad fidem convertatur, alius verò converti nolit, nec habitare sine præfata contumelia; ait enim S. Paulus 1. ad Corinth. 7. *Si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror hujusmodi* quem textum in sensu nostro explicat S. Ambros. relatus cap. fin. 28. quæst. 2., & clariùs Innocent. III. cap. *Quanto* de divort., ubi sic loquitur: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale; ad secunda, si voluerit, vota transibit; & in hoc sensu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat &c.* Et profectò: Si infidelis discedat, aut legitimè cohabitare nolit, & fidelis illo matrimonio teneretur, propter infidelis malitiam esset servituti subjectus contra testimonium Apostoli. Hoc autem statutum est à Christo Domino in favorem fidei; quia cum Christus neminem sine propria voluntate aut culpa ad vitam cœlibem ducendam obligare voluerit, & ex alia parte fidelis licitè in hoc casu cohabitare non possit; æquitas postulat, ut fideli detur facultas aliud matrimonium contrahendi; aliter jugum Christi factum fuisset pro eo jugum gravissimum: Adde, quod si secùs esset, infidelis nimiùm à sui conversione deterreretur: Unde cum bonum fidei majus sit bono conjugii, æquum fuit, Christum, fidei ac conjugiorum authorem, causam fidei prætulisse, & sic in hujus favorem matrimonii vinculum solvi posse statuisse.

187. Fortasse dici posset, ex verbis Pauli, atque ex doctrina Innocent. III. nihil concludi posse. Paulus enim dicit: *Si infidelis discedit, discedat*: Innocentius verò facultatem tribuit illi, qui relinquitur; ergo si conjux infidelis nolit matrimonium solvi, nequaquàm solvetur; nec ad fidem conversus poterit alteri se conjungere.

Verbis, ac litteræ nimiùm se fidit hæc instantia: Ne consideres precor discessum corporis, ac materialem, sed discessum animi ac formalem: etsi infidelis corpore non recedat; attamen cum velit non absque creatoris contumelia permanere, reverà recedit, reverà relinquit; quia cogit fidelem discedere ac relinquere, cum in eo statu permanere absolutè non possit, quia licitè non potest, juxta illud: *id possumus, quod honestè possumus*. Nolit ergo infidelis discedere, nolit relinquere; attamen si permanere velit Deo contumeliosus, jam discedit, jam relinquit; quia cogit alium discedere, ac derelinquere.

188. Verùm jam videamus, quid positivè contra hanc assertionem objici posse videtur: Primum est: Christus dixit Matth. 19. *Qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, mœchatur*; igitur sola fornicatio erit causa uxorem dimittendi, & quidem talis, ut tamen dissolutio quo ad vinculum non intelligatur; ut infra dicemus: Secundum est: Christum ibidem ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: sermo autem ibi est de quocumque legitimo matrimonio; proinde etiam infidelium. Tertium est: Vinculum matrimonii propter hæresim non solvi; sed numquid hæresis non est species infidelitatis? Tandem: Concilium Meldense, cap. 1. relatum can. 1. 38. quæst. 2. sic habet: *Si quis habuerit uxorem Virginem ante baptismum, vivente illa, post baptismum alteram habere non potest; Crimina enim in baptismo solvuntur, non conjugia.*

189. Quod de uxoris dimissione, excepta causa fornicationis, dicitur, suo loco pertractabitur: Interim scias, ibi locutum esse Christum de matrimonio

nio inter fideles contracto; ſicut & Paulus de eo ſermonem habuit in iis locis, in quibus dixit, matrimonium ſola morte diſſolvi; ſolùm enim matrimonium fidelium repræſentat perfectam Chriſti unionem cum humana natura indiſſolubilem; & ſolùm eſt Sacramentum, ex quo ipſi vera & abſoluta indiſſolubilitas tribuitur.

Ad 2. fatemur, hominem ſeparare non poſſe quod Deus conjunxit, at in noſtro caſu non ſeparat homo, ſed ipſe Deus; cujus interpretem habemus Apoſtolum, Eccleſiam, & rationem, ſicuti dictum eſt.

Ad 3. patet ex dictis ad primum; ſiquidem matrimonium illud ſupponitur contractum poſt baptiſmum; & ideò nullo pacto ſolvi poteſt, quia Sacramentum fuit, repræſentans &c.

Ad ultimum: Concilium loquitur de uxore, quæ pariter ad fidem converſa ſit; vel de uxore, quæ pacificè habitare velit, & ſine injuria creatoris. Quod autem ibi dicitur de uxore virgine, valet etiam de corrupta; ſed ita ſtabilitum fuit, quia de virgine fuit quæſitum, ut ait Gloſs. eo cap. 1. verſ. *Virginem*. Sed pro hoc puncto.

190. Quæres 3. An ſi conjux infidelis conſentiat pacificè & ſine creatoris injuria cohabitare cum fideli, poſſit iſte ſolvere matrimonium, & aliud contrahere.

Diverſos Eccleſiæ ſtatus conſideremus oportet. Primus ſtatuitur ab Apoſtolorum tempore, uſque ad ſæculum ſextum, quo ſpatio frequentes erant infidelium converſiones, & tunc permittebantur fideles converſi cohabitare cum infidelibus juxta conſilium Pauli: *Si quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Et ita docuit S. Auguſtinus relatus cap. *Sic enim* 28. quæſt. 1. Secundus exordium accepit ſæculo 7. quo Galli & Hiſpani ſimul congregati in Concilio Toletano IV. anno 650., ſtatuerunt can. 62. relato cap. *Judæi* 28. quæſt. 1. ne conjuges fideles habitare permitterentur cum Judæis fidem renuentibus; de aliis verò infidelibus nihil decretum fuit, quia non erant adeo in ſua perfidia obſtinati, ſicut Judæi, ut eorum foret deſperanda converſio. Tertius denique advenit, quandò Eccleſiæ conſuetudine ac præcepto receptum eſt, conjugem ad fidem converſum non permitti cum infideli cujuſque ſectæ habitare; quod ideò factum eſt, quia experientia compertum fuit, non leve fuiſſe perverſionis periculum ex fidelis cum infideli conſortio; unde ampliùs non licet infidelem converſum cum alio infidele commorari, ſed ab hoc, nolente ad fidem converti, divertere. Neque hæc Eccleſię conſuetudo, ac præceptum Sancti Pauli adverſatur teſtimonio; ſiquidem præcepta humana, & à fortiori conſilia pro diverſis temporum circumſtantiis abſque aliqua præcipientis vel conſulentis injuria variari poſſunt, ut habet cap. *Non debet*, de conſang. & affin. & in hac re plurima exempla afferri poſſent. Dictum autem illud Apoſtoli non fuiſſe præceptum divinum, ſed tantùm conſilium, & ad ſummum præceptum humanum, conſtat ex modo, quo loquitur Paulus, dicit enim: *Cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habeat infidelem &c.*

191. Hæc, quæ dicta ſunt, manifeſtè probant, matrimonium illud ſolvi quantùm ad thorum & cohabitationem; ſupereſt tamen reſolvendum, utrùm ſolvatur etiam quo ad vinculum; ita ut infidelis converſus aliud matrimonium poſſit inire.

Doctores Theologi in diverſas partes diviſi ſunt. Plurimos, & quidem ex nobilioribus, invenies apud Sanchez lib. 7. diſp. 74. num. 8. aſſerentes, matrimonium hoc non ſolvi quo ad vinculum; proindè licitum non eſſe tranſitum ad alias nuptias. Plurimos etiam, nec infimi ordinis reperies apud eumdem num. 9. oppoſitum docentes, inter

ter quos ex recentioribus Bellarm. lib. 1. controv. 4. cap. 12. in fine responsionis ad 2. Proponam utriusque assertionis fundamenta; nam utraque probabilis est.

192. Pro priori sint ista: 1. Matrimonium hoc non dissolvitur nisi per Christi privilegium manifestatum per Paulum illis verbis: *Si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi;* Porrò Paulus loquitur de infideli, qui vel omninò recedit, vel qui pacificè & sine contumelia creatoris cohabitare nolit; ergo privilugium Christi non extenditur ad nostram hypothesim, in qua non recedit, & pacificè sine contumelia creatoris consentit cohabitare. Pauli mentem satis explicavit Innocent. III., ut num. 186. indicavimus. Quod autem Gentium Doctoris tempore fiebat, nunc & fieri necesse est, cum privilegii illius mutationem factam esse, minimè constet; præsertim cum tot Theologi scripserint post illud tempus, quo cohabitatio fidelis cum infideli prohibita erat; & tamen existimarunt, infidelem, pacificè, & sine contumelia creatoris permanere volentem, nequaquàm posse dimitti. 2. Quamvis in dubium revocari possit, utrùm infidelis conversus, solutus sit à matrimonii vinculo cum infideli; attamen in hoc dubio matrimonii valori, atque indissolubilitati favere debemus; infidelis enim jure naturali & divino est in possessione. Denique: Ideo privilegium matrimonium dissolvendi concessum fuit à Christo Domino, quia fides præhabenda est, neque subversionis periculo est exponenda, atqui in nostra hypothesi nullum est subversionis periculum; ergo.

193. Pro posteriori hæc esse possunt: 1. Paulus dicit, quod si infidelis discedat, frater esse non debet prioris matrimonii servituti subjectus: tunc autem dicitur infidelis discedere, quandò illam eligit cohabitationem, quæ est fideli prohibita; cum igitur hisce temporibus prohibitum sit fideli converso habitare cum infideli, quamvis iste pacificè ac sine creatoris injuria velit cohabitare, ut superius ostendimus, infertur, prioris matrimonii servituti subjectum non esse; proinde aliud matrimonium posse contrahere: 2. Si in nostro casu non posset infidelis conversus ad alias nuptias transire, absque sua culpa vitę cœlibi esset adstrictus, & hoc pacto jugum Christi fieret ipsi durissimum, & à conversionis voluntate retraheretur; neutrum autem admitti potest; ergo.

194. Ex hisce fundamentis solvi facilè possunt prioris sententiæ momenta; etenim ad primùm dicendum est: privilegium manifestatum per Paulum etiam ad nostrum casum se extendere; quia quod ab initio concessum fuit, ad illa omnia tempora se extendit, quibus illicita est cohabitatio cum infideli; atqui hæc illicita est; ergo. Tunc autem permittebatur ea cohabitatio, si pacifica erat, & sine contumelia creatoris; quia infidelis conversio plerùmque contingebat; processu verò temporis experientia docuit oppositum; & ideo diversum præceptum datum est; unde fit, privilegium non esse mutatum, sed tantum esse mutatum præceptum, in quo nihil novi apparere debet: etenim olim etiam matrimonium clandestinum licitum erat, & tamen nunc est irritum, non per materiæ vel formæ Sacramenti mutationem, sed per mutationem consensus legitimi, qui semper fuit, & est materia; sed tantum mutatio in hoc contigit, quod ille consensus, qui priùs legitimus erat, posteà legitimus non esset; & hoc pacto, quia priùs licitum erat habitare cum infideli, nunc verò licitum non est; sequitur, tunc ad alias nuptias transitum fuisse prohibitum; nunc verò esse permissum. Quod verò tot Theologi scripserint, & oppositum docuerint, probat, aliam sententiam probabilem esse, quod nullus inficiatur.

Ad 2. Favere utique debemus matrimonio, sed magis fidei; non faveremus autem, si infidelis conversus tanto jugo subderetur, ut ad cœlibem vitam sine culpa sua esset abstrictus, ut dictum fuit. Denique pro textu Innocentii dicendum est: tunc nondum fuisse prohibitam illam cohabitationem, ex qua prohibitione sequitur, quod posterior assertio defendit.

195. Quæres 4. Utrum ad hujus matrimonii dissolutionem expectanda sit judicis sententia; & utrum priùs admonendus sit, qui velit in sua infidelitate permanere.

Quantùm ad primum pars negativa est statuenda: etenim facultas ista ex Dei privilegio habetur; sicut ergo, quia ex hujusmodi privilegio matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam, ut ostendemus, & nulla est judicis expectanda sententia; ita in re nostra. Adde: S. Paulum absolutè dicere, fratrem non esse servituti subjectum. Censeo tamen, quod si infidelitas esset occulta, & matrimonium publicum, Ecclesiæ judicium expectandum esset; non quia dissolutio matrimonii absque illo irrita foret, sed ad scandalum evitandum; sicut etiam contingit, quando adulterium est occultum, & ex divortio scandalum oriretur.

Quantùm ad secundum: Admonitionem dico esse præmittendam; siquidem nequit infidelis conversus ad alias nuptias pertransire, nisi ipsi compertum sit, alium nolle converti; istius igitur est expectanda voluntas ac responsio; quod aliter fieri non potest, nisi admoneatur, ac serio animo interrogetur. Hoc tamen valet per se loquendo; nam si in admonitione esset periculum aut vitæ, aut subversionis, aut certò moraliter constet, obstinatè in sua infidelitate esse permansurum, tunc admonitio non desideratur.

§. II.

De Matrimonio in lege scripta apud Judæos.

196. Etiam apud Judæos fuisse matrimonium, quod legitimi contractus notionem haberet, non potest inficiari. Ita verò inter ipsos initum fuisse, ut vir uxorem suam per libellum repudii dimittere potuisset, constat ex Deuteron. 24., ubi Moyses hisce verbis loquutus est: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo sua*. Et Malach. 2. *Cum odio habueris, dimitte: dicit Dominus Deus Israel*. Quibus verbis repudii formula conficeretur lege S. Thom. in 4. dist. 37., præsertim verò Abulen. q. 52. in cap. 19. Matth. Neque solùm apud Judæos per libellum repudii uxores dimittendi consuetudo erat; sed etiam apud Romanos, ut referunt Rosin. lib. 5. antiquit Roman. cap. 38., & Revard. commento duodecim tabularum c. 19. Horum formula erat: *Conditione tua non utar*; vel, *Res tuas tibi agito*; vel, *Res tuas tibi habeto*. Unde Martialis: *Mense novo Jani veterem Proculeja maritum deseris, atque jubes res sibi habere suas*. Porrò: repudium & divortium interdùm confunduntur, ut idem significare videantur; est tamen hoc discrimen: primò, quod divortium consistit in separatione tantùm quoad thorum, & cohabitationem; repudium verò indicat etiam separationem quoad fœdus, & vinculum. Secundò: divortium fit tam ex parte viri, quàm fœminæ jam cognitæ; repudium verò fiebat tantùm inter Judæos à viro. Verùm de hac re satis; cum plura ad Theologos non pertineant.

197. Quod ad Theologos spectat est: Utrum Judæis licitum esset matrimonium solvere per libellum repudii, & re-

& reverà vinculum matrimoniale solveretur, & liberum esset utrique conjugi ad alias nuptias convolare. Quatuor lego sententias: Prima est S. Th. in 4. dist. 33. quæst. 2., necnon Scoti quæst. 1. utramque partem problematicè defendens. Secunda docet, repudium fuisse permissum à Deo, non tanquàm licitum, sed tanquàm minùs malum; quæ tribuitur S.Hieronymo lib. 1. commentar. in Matth. cap. 5. Magistro sententiarum in 4. dist. 33., Bonavent. Alensi, &c. Tertia tradit, nec omninò licitum fuisse, nec omninò prohibitum; sed ita fuisse à Deo dispensatum, ut culpam venialem non excederet; & hæc est Cajetani in illud Matth. 19. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*. Quarta denique sustinet, repudium fuisse licitum Hebræis per divinam dispensationem; atque istam tanquam communiorem apud Sanctos Patres, & Doctores Scholasticos, etiam tanquam probabiliorem existimo.

198. Momenta plura ad ejusdem declarationem producere possum. Primum desumitur ex testimoniis Scripturæ num. 196. adductis: in quorum primo certè Moyses legem promulgavit; proinde illa verba sumenda sunt in sensu proprio & naturali, sicut in aliis legibus; quas non solùm aliquid permittere & tolerare ad majus malum evitandum, sed licitum facere, quod exponunt, nemo potest inficiari; si tamen legum noverit conditiones, & naturam.

199. Audio, à te statim reponi: Christum Judæis dicentibus Matth. 19. Moysem mandasse libellum repudii; respondisse, non mandasse, sed permisisse; & quidem ob duritiam cordis eorum: *Quoniam Moyses*, inquit, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic*. Fuit itaque repudium permissum ad majora mala vitanda; absolutè tamen illicitum fuit: Atque hoc magis confirmatur, si consideremus ea, quæ de muliere repudiata leguntur Deuteron. 24. Mulier enim ista appellatur polluta, & abominabilis coram Domino; ita ut si alter Maritus, qui post repudium eam duxit, vel eam dimiserit, vel mortuus fuerit; prior maritus non potuerit eam in uxorem recipere: Quare autem polluta & abominabilis facta fuisset coram Domino, nisi quia aliæ nuptiæ, vivente primo marito, legitimæ non fuerunt, sed adulteria? Juxta hæc mulier repudiata alteri nubens inter fornicarias recensetur, juxta illud Hieremiæ 3. *Vulgo dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eum ultra? Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis*.

200. Argumentum hoc proponit Bucerus, ut probet, in lege etiam Evangelica repudium licitum esse; cui suo loco responsum dabimus. Interim, quantùm spectat ad rem præsentem, dico: rectè à Christo Domino usurpatum esse verbum permitto, nec enim præcipiebatur Judæis, ut suas uxores dimitterent, sed tantùm hoc ab ipsis fieri permittebatur; qua data permissione repudium erat quidem minus bonum, attamen absolutè malum non erat: & quamvis istius permissionis causa esset eorum cordis durities, nihilo tamen minùs excusabat illa à peccato; quia ut ait S.Th. in 4. dist. 33. q. 2. art. 2. quædam permittuntur infirmis corporaliter, quæ non permittuntur sanis; nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta utentes. Quod ex Deuteronomii loco productum est, pluribus rejici potest. Explicat S. Th. pollutionem illam atque abominationem coram Domino de immunditia legali, sicuti in lege veteri immundi erant illi, qui corpus mortui tangebant; non verò de immunditia, quæ culpæ verteretur. Explicant alii, mulierem illam appellari pollutam, & abominabilem coram Domino, quia maritus illam dimittens jam

am indignam existimavit; proinde æquum non erat, ut illam ampliùs tamquàm uxorem haberet; præsertim quia si ad primum rediisset, visa esset veluti alteri commodata, atque hoc pacto amplior ac facilior via repudiis patuisset. Postremò ex Hieremia optimè respondet Bellarminus: argumentum fieri à minori ad majus; ostendit enim Dominus, quod si mulier repudiata à viro suo ad ipsum redire non potest; potiori ratione Deus posset non recipere populum, qui abiit post fornicationes suas: attamen tantam esse clementiam suam demonstrat, ut si reverti velit, adhuc illum benignè sit excepturus.

201. Sed jam ad alia progrediamur, quibus assertionem nostram declaremus: Illud autem mihi miro modo probare videtur, quod neque Moyses, neque alius ex Prophetis unquàm Hebræos reprehenderint, quod mulieres repudiaverint, & quod ipsas repudiatas sibi duxerint in uxores; si autem primum licitum non fuisset, & in secundo casu patratum esset adulterium; cogitare ne possumus, Prophetas Sanctos, qui à Deo mittebantur, ut populi scelera arguerent, atque eum ad veritatis semitam revocarent, ipsi crimen hoc numquàm objecisse? Præterea: Lex Mosayca summo zelo ac studio adulteria puniebat; ideo & Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio adduxerunt ad Christum, afferentes legem præscribentem, ut hujusmodi mulieres lapidarentur; atqui repudiatas, quæ ab aliis viris ducerentur, non puniebat, ut constat ex Deuteronomii 24.; ergo non erant adulteræ, & per consequens licitè solutum erat prius matrimonium. Tandem Levitici 21. lex datur, ut Sacerdos non posset in uxorem ducere vel viduam, vel repudiatam, sed tantùm Virginem; ergo aliis licebat ducere repudiatam, sicuti licebat viduam, & cum Abraham jubente Deo Agar dimiserit, procul dubio licitum fuit hocce repudium, & ex alia parte, si matrimonium non fuisset solutum quoad vinculum, fuisset Agar ad perpetuum cœlibatum coacta, quia nec potuisset alteri nubere, neque ad priorem virum reverti, ut dicitur Deuteron. 24. Atque ex hoc postremo novum argumentum proponitur; nam si vinculum matrimonii solutum non fuisset, non fuisset prohibendus reditus mulieris ad priorem virum; sed valde bonus, ac peroptandus.

202. Dices primò. Deuteron. 24. ita Hebræis permissum fuit suas uxores dimittere, sicuti 23. permissum fuit eis, usuras recipere ab alienigenis, in quo capite sic legitur: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, sed alieno*. Atqui usuræ nunquàm licitæ fuerunt, sed tantùm toleratæ ut minus malum, si comparentur iis, quas facturi fuissent Hebræi cum fratribus suis; ergo etiam &c.

Sed contra propositio est falsa: siquidem in lege veteri usuræ absolutè reprehenduntur, & damnantur Psal. 14. & Psal. 54. ubi David, postquam dixit: *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia*, statim subdit; *Et non defecit de plateis ejus usura*. Lege etiam cap. 18. Ezechielis. Culpabilis igitur semper fuit usura etiam in extraneos, quamvis adhibita in istas nulla pœna apud homines plecteretur. At si loquamur de repudio nullibi invenies in lege veteri reprehensum & damnatum tanquam malum & illicitum.

203. Dices 2. Christus reprobavit antiquum Hebræorum repudium; ergo nunquam fuit licitum.

Frustra hoc reponis; nam reprobavit etiam polygamiam uxorum, & tamen ut declaratum fuit, illa fuit licita. Ita igitur se gessit Christus, quia matrimonium ad suam primævam conditionem revocavit, atque omnem abstulit dispensationem.

§. III.

§. III.

Utrum Matrimonium ratum, non consummatum Christianorum dissolvatur per solemnem viri vel mulieris religiosam professionem, & quo jure.

204. Quid per matrimonium ratum significetur: nempe matrimonium jam contractum cum iis omnibus, quæ ad ejus essentiam pertinent, sed nondum per carnalem copulam completum, jam diximus. Queritur modò: an si unus ex conjugibus vellet postea recedere, & in Religione aliqua solemnia emittere vota, & si reverà emitteret, hoc matrimonium dirimeret, & alter ita remaneret solutus, ut posset aliud matrimonium licitè inire. Negant Novatores, inter quos præsertim Magdeburgenses cent. 1. lib. 2. c. 12. col. 637., Kemnitius contra can. 6. Concilii Trident. sess. 24., necnon Erasm. in cap. 7. epist. 1. ad Corinth. Quæstio hæc satis difficilis est; totque nodis implicata, ut Doctores etiam magis celebres sibi ipsis non sufficere existimaverint.

205. Dicendum tamen est: Matrimonium ratum per solemnem professionem ita dissolvi, ut alter conjux licitè possit aliud inire matrimonium.

Docent hoc plura Summorum Pontificum Decreta. Eusebii Papæ, ut habetur cap. *Desponsatam* 27. quæst. 2. Gregorii Magni, ut c. *Decreta Legalia* 27. quæst. 2., Alexandri III. in Concil. Lateran. 3. cap. *Ex publico*, Innocent. III. cap. *Ex parte*, *de conversione conjugat.* Pro omnibus verò sit Concilium Tridentinum sess. 24. can. 6. ita definiens: *Si quis dixerit; matrimonium ratum, & non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

206. Ita porrò Summi Pontifices statuerunt, necnon Concilium Tridentinum definivit, usum Ecclesiæ, necnon traditionem ab Apostolis derivatam perpendendo. Ut hoc ostendamus, afferenda sunt exempla nonnulla: S. Epiphan. hæresi 78., & S. Ambros. lib. 2. de Virginibus scribunt, S. Theclam à matrimonio jam contracto S. Pauli præceptoris sui suasionibus avocatam fuisse, ut perfectiori Christianorum vivendi formæ se daret. Nonne etiam S. Alexius, & Sancta Cæcilia, necnon Sancta Euphrasia conjugale thalamum reliquerunt, ut virginitatem suam Deo devoverent? De omnibus id refert Simeon Metaphrastes in vita eorumdem. Sanctus Augustinus lib. 8. confess. cap 6. narrat, duos milites, lecta Antonii Abbatis vita, statim relictis sponsis, quas habebant, monasticam vitam amplexos esse, quorum exemplum ipsæ sponsæ secutæ sunt. Apud S. Gregorium Magnum lib. 3. dialog. cap. 14. legitur: Gregorium à nuptiis jam constitutis recessisse, atque ad Sanctimonialium, à quibus habitum impetravit, Monasterium convolasse. Denique, ut alia quamplurima prætermittam; Edilduida Regina jam matrimonio juncta, nunquàm à viro se tangi permisit, quia se Religionem ingredi protestaretur; ut inde opere complevit: Rem scribit Ven. Beda lib. 4. histor. Anglorum cap. 19., qui etiam subdit, in servatæ virginitatis præmium ejus corpus post mortem incorruptione fuisse donatum.

207. Dices 1. id verum esse de sponsis, quæ fidem suam obligaverunt pro nuptiis futuris; falsum verò de illis, quæ jam per verba de præsenti junctæ sunt, ut requiritur ad matrimonium ratum.

Sed contra: Quamvis fortasse id dici possit de iis, quæ narrat S. Augustinus; attamen de aliis affirmari non potest: sed nec quidem de illis; gratis enim asseritur illas fuisse sponsas de futuro; siquidem etiam veri conjuges appellari solent sponsi, ut habetur in cap. *Ex publico*, cap. *Carissimus*, cap. *Ex parte tua*: imò etiam in Evangelio Ma-

Maria Virgo dicitur ſponſa Joſeph, & tamen fuit vera conjux; quamvis nunquam carnaliter cognita.

208. Dices 2. ex omnibus illis exemplis nihil probari: nam habetur quidem unum conjugem alium reliquiſſe, ſed non habetur, alterum in ſæculo derelictum liberum à vinculo fuiſſe, ut ad alias nuptias convolare potuerit.

Verùm neque hoc urget: nam Summi Pontifices iis rationibus, quibus dixerunt, unum poſſe religioſam vitam amplecti; dicunt etiam, alium in ſæculo relictum, poſſe, ſi voluerit, aliud inire matrimonium. Verba Alexandri III. in laudato loco hic proferam, ſunt iſta: *Poſt conſenſum illum legitimum de præſenti datum, licitum eſt alteri, altero etiam repudiante, Monaſterium eligere; ſicuti quidam Sancti de nuptiis vocati ſunt: dummodò inter eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti, ſi monitus ſervare noluerit continentiam, licitum eſſe videtur, ut ad ſecunda vota tranſire poſſit. Quia cum non fuiſſent una caro effecti; poteſt unus ad Dominum tranſire, & alter in ſæculo remanere.*

209. Hic plura inquirendi locus aperitur. 1. An per vota emiſſa à quibuſdam fœminis Religioſis Sancti Dominici, & Tertii Ordinis Sancti Franciſci matrimonium ratum dirimatur.

Diſtinguamus oportet; vel enim ſic vota emittentes in communi vivunt, & profitentur, necnon ſunt verè religioſæ, ut declaravit Sixtus V., & iſtorum vota matrimonium ratum dirimere; & hoc pacto dirimere ſentiunt plures Doctores; præſertim Sotus 7. de juſtit. quæſt. 5. art. 3. ante argumentorum ſolutionem: Si verò vota ſimplicia ſunt; nequaquàm matrimonii rati vinculum diſſolvere, docent Ab. cap. *Ex parte*, Lancel. lib. 2. inſt. juris canon. tit. de ſponſal. verb. *Religionem*. Victoria ſum. de matrim. num. 256., Sot., Ledeſm., aliique. Cum ad inſtitutum meum pertineat, id tantùm reſolvere, quod in titulo expoſui, & quod adversùs Hæreticos ſentiendum ſit: in hac re plura non dico: non deeſſent tamen nonnulla; quæ, ſi daretur occaſio, promoverem.

210. Quæritur 2. an profeſſio, quam emittunt militarium ordinum equites; quales ſunt illi, qui nobiliſſimo, atque tot titulis emeritiſſimo Ordini S. Joannis adſcripti ſunt; ratum dirimat matrimonium.

Quidam Theologi hoc negarunt; inter quos Sotus loco ſuperiùs laudato; cujus ratio eſt, quia non ſunt verè ac propriè religioſi, cum proprium retineant, & ſæcularium more extra clauſtra vitam traducant. Contrarium tamen tenendum eſt; nam ipſorum profeſſio ſolemnis eſt, & propriè religioſi ſunt, ut docent Navàr. lib. 3. conſil. tit. de converſ. conjugat. conſ. 2., Corduba in ſumma quæſt. 178., Enriquez, Barboſa &c., & reverà in eorum ſtatutis à Summis Pontificibus approbatis habetur, poſſe ad eam Religionem admitti matrimonio rato alligatos.

211. Quæres 3. quid faciendum ſit à conjuge, qui ante matrimonii conſummationem ingredi vult, ac profiteri religionem: necnon ab alio, qui in ſæculo relinquitur.

Reſpondeo: juxta verba Alexandri III. num. 208. adducta: monendum eſſe alterum conjugem, ſi velit continentiam ſervare; & ſi renuerit, conceduntur à Summo Pontifice duo menſes, intra quos, qui Religionem proponit, deliberare poteſt; & quibus elapſis debitum petenti licitè negare non poteſt; Pari modo ad reddendum debitum alter non poteſt cogi; illis tamen elapſis cogi poteſt; quia cogens jure ſuo uteretur. Res autem ita ſe habet, ut illi duo menſes dati ſint ad deliberandum ingreſſum in Religionem; non tamen ad profeſſionem emittendam: ſiquidem juxta Tridentinum ſeſſ. 25. de Regularibus ante profeſſionem dandus eſt annus probationis; niſi

Roà-

à Romano Pontifice dispensatio habeatur. Si tamen unam Religionem ingrediens, vellet post alios duos menses aliam experiri; tunc ab Ecclesiastico Judice definiendum esset, ne pars in sæculo relicta alterius semper relinqueretur arbitrio; atque vel professionem emitteret, vel ad suam uxorem rediret. Ex quibus collige, quod sponsus derelictus ad alias nuptias transire non potest; nisi post alterius professionem; atque ideo si fœmina, cum ad annos pubertatis pervenit, Monasterium ingrediatur, expectare vir debet usque ad annum 16. ante quem ex Decreto Tridentini solemniter profiteri non potest.

212. Quæres 4. Utrum copula per vim extorta sufficiat ad matrimonii consummationem; & non remaneat jus ad Religionis professionem.

Quantùm ad primum negant aliqui Doctores, ut Henricus cap. *finali* num. 4. de sponsa duorum; Armil. ver. *Divortium*, Abb. cap. 2. de conversat. conjugat., Sylvester &c.: quorum ratio est, quia matrimonium consummatum repræsentat Christi unionem per carnem; sola autem copula voluntaria hanc repræsentare potest, quia hæc omninò voluntaria fuit. Communissimè tamen docent alii, matrimonium reverà consummari; quia tunc conjuges efficiuntur una caro, & ex tali copula oritur affinitas.

Major difficultas esse potest in secundo puncto, & pro parte negativa afferuntur Hostien. in sum. tit. de convers. conjug. num. 9., Bald. cap. *Causam* num. 8., Sylvest. quæst. 6. dicto 2. ver. *Luxuria*, Victoria sum. de matr. num. 255., S. Antonin. 2. par. tit. 8. quæst. 42., Sot. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. &c. Momenta sunt: 1. Quia omnia jura clamant neutrum conjugem altero invito Religionem ingredi posse post matrimonium consummatum; cum igitur non distinguant inter matrimonium vi vel spontè consummatum, neque nos debemus distinguere, ut in cap. *Consuluisti* 2. quæst. 5. 2. Quia vir exigendo corpus sibi traditum per matrimonii vinculum, usus est jure suo. 3. Quia ex illa copula proles nasci posset; cui per matris professionem maxima injuria irrogaretur, cum commodè educari non posset. 4. Quia sicuti per oculum, etsi violenter erutum, progreditur irregularitas, ut habetur c. *finali*; ita per copulam, etsi violenter habitam, oritur religiosæ professioni impedimentum.

Mihi tamen magis placet opposita sententia, quæ asserit, utique sponsum, qui per vim oppressit, Religionem ampliùs profiteri non posse; quia voluntariè matrimonium consummavit; attamen sponsam liberam omninò esse: gravis enim ipsi injuria illata est, cum ante bimestre concessum nullum esset jus in sponso copulam extorquendi; illa autem alio modo jus suum recuperare non potest, nisi per Religionis ingressum; & cum dolus nemini patrocinium afferre possit, nec alterius culpa bonum proprium debeat impediri; sequitur &c. Hanc docent Gloss. cap *finali* ver. *Invitus*, Felin. cap. *Causam* de probat. num. 4. Turrecrem. cap. *Mutationes* 7. quæst. 1., Sylvest. ver. *Divortium*, Paludan. in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 2., Petrus de Ledesma &c.

Neque prioris sententiæ fundamenta probant: ad primum enim dicendum est, omnia jura id clamare, quando matrimonium absque injuria consummatum est: & quamvis in illis nulla afferatur distinctio; affertur tamen in aliis, in quibus exprimitur, nemini fraudem propriam & culpam patrocinari, ut cap. *Ad nostram* de empti. & venditio. cap. *Tuæ* de Cleric. non resident., cap. *Sedes* de rescriptis. Ad 2. ne. ant. quia in matrimonio ita traditur alterius corporis dominium, ut tamen semper intelligatur tacita conditio, nisi intra bimestre Religionem elegerit. Ad 3. ex eo probatur, copu-

copulam per vim extortam per accidens Religionis ingressum impedire; nempe si proles, ex ea concepta, commodè educari non possit; non verò si è contra. Ad ultimum; paritas non tenet, quia irregularitas illa, utpote progrediens ex membri defectu, ac deformitate, factum respicit, nequaquàm voluntatem.

213. Quæres 5. Utrum si sponsi jurent, se matrimonium non consummasse, illis fides sit adhibenda; atque ideo, uno ex conjugibus Religionem profitente, alter possit aliud inire matrimonium.

Respondent Doctores cum distinctione. Vel illa sponsa erat vidua, & nondum in sponsi domum traducta; vel jam traducta, si primum, ipsis fides adhibenda est; cum non traductio simul cum juramento sit urgens indicium: si secundum, illis non creditur in matrimonii præjudicium, ut habetur cap. *Super eo*, qui cogno. consang., & ita tenent Bald. l. *Deo nobis*, Anchar. cap. *Ex publico* num. 3. de convers. conjug., Hostien. in sum. tit. de convers. conjug. num. 9. Si autem illa sponsa erat virgo, & etiam post traductionem aspectu talis appareat, ipsis fides est adhibenda.

214. Hisce breviter & incidenter resolutis, redeamus ad nostra, nempè ad id, quod in secunda tituli parte inquirebatur. De jure, quo matrimonium ratum per Religionis professionem dissolvitur: Plura atque diversa apud Theologos invenies. Docuerunt aliqui, id ex jure naturali divino professioni convenire; etenim ipsa ratio naturalis dictat, licitum esse ab imperfectiori statu ad perfectiorem transire; dummodò nemini fiat injuria; status autem Religionis perfectior est statu matrimonii, & ex alia parte nemini per transitum ad eamdem fit injuria; non enim proli, quæ in matrimonio rato nulla supponitur; non remanenti in sæculo, qui potest alias nuptias inire; ergo. Præterea: Sicuti matrimonium consummatum est vinculum carnale, ita ratum est vinculum spirituale: si igitur illud dissolvitur per mortem unius conjugis carnalem; ita hoc dissolvetur per mortem unius conjugis spiritualem; professio autem religiosa est mors spiritualis, juxta illud Pauli ad Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra absconditaest in Christo*; ergo. Huic sententiæ adhærent ex Jurisperitis Turrecrem. cap. *Sunt, qui dicant* 27. quæst. 2. Lancelot. lib. 2. juris canonici tit. de sponsal., Covar. 4. Decret. par. 2. cap. 7. §. 4. &c. ex Theologis verò videntur subscribere S. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2., Richar., Durand., Palud. &c.

215. Secunda sententia illorum est, qui dicunt: id religiosæ professioni convenire tantùm ex jure Ecclesiastico: hoc probant, quia nec convenit jure naturali; ut probabitur in sequenti opinione; nec jure divino positivo, cum hoc nec constet ex sacra Scriptura, neque ex traditione; non ex prima; siquidem Apostolus 1. ad Corinth. 7. inter multa, quæ de matrimonio egit, ejusdemque dissolubilitate per conversionem ad fidem, de religionis professione nihil omninò commemoravit: non ex secunda; nam quamvis exempla plura habeamus, quibus compertum sit, aliquos ad vitam cœlibem à matrimonii statu transiisse ante jus Pontificium; attamen etiam constat, id ex instinctu divino, ac superna revelatione peregisse; ut de S. Alexio dictum fuit n. 206. Hoc docent Hostien. cap. *Ex publico*, Anchar., Felin., aliique.

216. Tertia denique sustinet, hoc religiosæ professioni convenire ex solo jure divino positivo, id in Religionis favorem Christo concedente; idque demonstrant, rejiciendo duas recensitas sententias, earumque fundamenta evellendo. Certè ex prima exposita ratione à divino privilegio seclusa, nihil concluditur; Quis enim ignorat, religiosum statum perfectiorem esse matrimonio

nio etiam post consummationem; nec tamen potest quis matrimonium consummatum dirimere, ut Religionem profiteatur; & si dicas, quod post matrimonium consummatum fieret alteri injuria; instantia non evincit; nam fieri potest, nullam esse prolem; ergo huic injuria non fieret; conjux etiam consensum potest præbere; ergo neque isti injuria irrogaretur, nam consentienti non fit injuria. Rursus status Ecclesiasticus & Episcopalis perfectior est statu matrimonii, nec tamen per illum solvitur matrimonium ratum. Prætereà: loquendo de aliis contractibus, qui faciliùs per alias causas dissolvi possunt, quam dissolvi possit matrimonium ratum, illos prpfessio religiosa non solvit, v. g. venditionem, aut obligationem ad solvenda debita; ergo multò minùs solveret matrimonium ratum, nisi pro hujus dissolutione foret privilegium jure divino concessum; & si dicas, alios contractus non repugnare Religioni, proinde per Religionem non solvi, repugnare verò matrimonium ratum; contra est; etiam servitutem repugnare Religioni, & tamen qui se ipsum vendidit in servum, ad Religionem convolare non potest.

217. Sed neque ex secunda ratione quidpiam probari potest. Quid enim mortem spiritualem proferunt? Hæc in primis est mors metaphorica; metaphoricè igitur & non propriè vinculum matrimonii rati dirumperet. Quæ etiam repugnantia inter spiritualem hanc mortem, & vinculi matrimonii permanentiam? Numquid non etiam in votis simplicibus castitatis, & paupertatis mors spiritualis occurrit? nec tamen per ea matrimonium dissolvitur. Numquid si ambo sponsi Religionem profiterentur, non essent spiritualiter mortui? & tamen matrimonium etiam solum ratum perseveraret. Quod igitur per professionem hoc dissolutum sit & intelligatur, id non ex rei natura repetendum est, sed à Christi voluntate, qui sicut voluit, ut in favorem fidei dissolveretur etiam matrimonium consummatum inter infideles, si alius nollet converti, aut pacificè & sine creatoris injuria cohabitare; ita voluit, ut in favorem Religionis dissolveretur matrimonium ratum, neque in hac alia ratio quærenda est; si tamen aliquam proferre licet, eam desumo, quia considerata sola rei natura votum solemne post matrimonium ratum omninò irritum censendum esset; quemadmodùm enim res uni tradita & vendita nequit alteri tradi, aut vendi sine domini consensu, ita corpus per matrimonium ratum alteri conjugi traditum non posset sine alterius conjugis consensu tradi religioni; quod tamen est falsum.

218. Hæc dicta sunt quantùm ad primam sententiam: Quantum verò ad secundam, id juri tantùm Ecclesiastico tribui non potest. Manifestum hoc facit Alexand. III. in cap. *Ex publico* de convers. conjugat., ubi dicit, hoc deduci ex sacri eloquii interpretatione, & in cap. *Ex parte*, ubi Innocent. III. inquit, Sanctos ex revelatione divina, quæ superat omnem legem, à matrimonio rato ad statum perfectiorem transiisse. Præterea: Initium hujusce consuetudinis, qua per solemnem professionem matrimonium ratum dissolveretur, in jure Ecclesiastico assignari non potest; imò omnes Summi Pontifices, qui de eo loquuntur, non tanquàm rem suam, sed tanquàm à continua traditione ad se transmissa illud agnoscunt, & fatentur; ergo. Hoc totum magis patebit ex eo, quod dicemus de jure, quo matrimonium indissolubile est, quæ erit ultima difficultas in hac quæstione resolvenda. Hæc tamen omnia à me sic intelligas dicta, ut parùm nostra intersit definire, quo jure religiosa professio matrimonium ratum dissolvat; nobisque satis sit, reverà dissolvi.

219. Dices. Hujusmodi religiosa professio est ex institutione Ecclesiasti-

ea; ergo per eam dirimi matrimonium ratum, ex Ecclesiastico jure tantùm progreditur.

Sed contra. ant. est verum quantùm ad ritus & cæremonias, quas fatemur ab Ecclesia institutas fuisse; falsum tamen quantùm ad effectum, quo matrimonii nondum consummati dirimitur vinculum: Christus siquidem, qui facultatem dedit Ecclesiæ vota solemnia sic statuendi, ipsis votis sic statutis vim contulit, qua matrimonium ratum dirimeretur.

Reliqua, quæ opponi possunt, refellam, dum de matrimonii consummati insolubilitate sermonem instituam.

§. IV.

Utrum Summus Pontifex facultatem habeat dirimendi Matrimonium ratum.

220. UT celeberrima, ita difficillima hæc quæstio est: Si enim negativam partem stabiliamus, adhæremus celebrioribus, quos tanquam Principes Scholæ profitentur. Isti sunt S. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3., Scot. dist. 31. §. *Ad quæstionem*, Bonavent. quæst. 2. art. 3., Richard., Argent., Durand., Palud., Gabr., Sot, Vict., aliique centum. Si verò affirmativam, adhæremus omnibus sacrorum Canonum professoribus, uno excepto Covar. 4. Decret. par. 2. cap. 7. §. 4. num. 13., ubi affert. Panormit., paucisque Theologis, nempe Cajetano tom. 1. opuscul. tract. 28. quæst. unica, Medinæ lib. 5. de sacrorum hominum continentia cap. 88., Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 38. §. *Altera solutio*, Lessio lib. 2. de just. & jure cap. 41. dub. 8., Sanchez, Hurtado, Amico, ita ut fermè dixerim, hanc sententiam fermè solos Patres ex doctissima Societate Jesu patronos habere; & si qui sunt alii, ex iis sua fundamenta collegisse. Aliqui verò ut utramque partem concilient, distinguunt quæstionem, in speculativam & practicam; asseruntque, speculativè loquendo penès Summum Pontificem hujusmodi potestatem non esse; practicè verò auctoritatem hanc esse concedendam, cum de facto pluries dispensasse legatur, ut infra afferemus; neque unquàm in hac re ab Ecclesia esse reclamatum. Potiori ratione id modo concludendum videtur; cum tales dispensationes, seu matrimonii rati dissolutiones Pontificia facultate fieri non semel in anno videamus.

221. Invito animo calamum in hac re adhibeo; cum neque Pontifici summo aliquid audeam auctoritatis imminuere; neque plurima in oppositum argumenta ignorem, quæ non mediocriter urgent; præsertim cum ea facta, ex quibus præcipuum pondus sibi vindicat illa sententia, quæ hujusmodi jus in Christi Vicario fatetur, parùm probare videantur. Non me latet, S. Antoninum 3. par. tit. 1. cap. 25. §. 3. affirmare, se vidisse pro hac re Bullas Martini V. & Eugenii IV., Navarrum in summa cap. 22. num. 1. referre Paulum III. & Pium IV. ter vel quatuor dispensasse. Henriquez lib. 2. de matrim. cap. 8. num. 2. scribere, Gregor. XIII. unica die undecim; atque idem fateri Suarez tom. 3. de relig. lib. 9. cap. 24., qui se diploma dispensationis vidisse testatur. Verùm hæc omnia adversantes Doctores resolvunt dicendo, ex aliquo facto Summorum Pontificum certum jus statui non posse; & reverà Alexander III. in appendice Concilii tertii Lateran. par. 6. cap. 8. censuit, matrimonium ratum non consummatum nullatenùs dirimi per subsequens copula perfectum; & tamen dixit, alios aliter sentire, & à quibusdam prædecessoribus suis aliquando fuisse aliter judicatum; ergo sicuti plures Pontifices existimarunt, matrimonium ratum dirimi per aliud subsequens consummatum, nec ta-

tamen hoc est certum, imò Alexander oppositum præcipit; ita quamvis plures Pontifices dispensaverint in matrimonio rato; attamen id pro certo haberi non potest. Fuerunt porrò aliqui Summi Pontifices, qui statuerunt ex nulla alia causa dirimi matrimonium ratum, quam ob Religionis professionem. Inter istos Innocent. III. cap. *Ex parte* de conversione conjugat. dicit: *Ne quidem lepræ supervenientis, aut lapsus in hæresim, sed ob solam Religionis professionem.* Et Nicol. I. c. *Hi, qui matrimonium* causa 32. quæst. 7. inquit: *Hi, qui matrimonium contraxerunt, & uni ex duobus dementia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, & ob hanc infirmitatem, & causam conjugia talia solvi non possunt.*

222. Nihilo tamen minùs dicendum est: matrimonium ratum non consummatum justa causa interveniente Summi Pontificis auctoritate posse dissolvi.

Hoc in primis suadeo ex Pontificum Bullis, & factis in superiori numero recensitis; quæ non temerè facta esse, quisque debet judicare, aliter Pontifices in re gravi errassent, atque suas oves decepissent non solum id arbitrantes modo speculativo, sed opere complendo. Quid verò dicendum sit iis, quæ reponebantur, dicam in fine. Interim hoc argumentum propono. Quia exempla habemus, in quibus Papa potestatem fecit simplicibus Presbyteris confirmationem admittendi, concludunt Doctores, talem in Pontifice esse auctoritatem; ergo quia exempla habemus, in quibus Pontifices matrimonium ratum dissolverunt, talem in ipsis auctoritatem esse, concedere debemus; & sicuti in primo casu non dicunt, id factum esse per potestatis excessum; ita neque in secundo id affirmari meritò potest. Hoc magis confirmare licet, si animadvertamus, ex Pontificum exemplo, qui in voto solemni dispensarunt, à nobis illationem fieri, posse Summos Pontifices dispensare; similiter igitur potuerunt in matrimonio rato; & argumentum validius est, etenim in voto traditio fit Deo, in matrimonio rato fit homini; si igitur illud pontificia auctoritate dispensari potest ac solvi, quare non istud? *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te*, habetur l. de accessionibus ff. de diversf. temporal. præscript.

223. Huic posteriori argumento à voto desumpto respondit olim Sylvester Sacri Palatii Magister par. 2. summæ, verbo *Votum* 4. quæst. 5., ubi inquirens, an Papa dispensare possit in solemni voto castitatis, negativè sentiens, inter alia ita respondet: *Dico tertiò, quod vidi etiam Pontificem facientem majora cum scandalo totius Christianitatis, unde aliud est facere de facto, aliud determinare, quod ita possit fieri.* Hæc tamen responsio omninò improbanda est, ut reverà improbatur ab omnibus; neque in hoc de uno tantùm Pontifice res peragitur, sed de pluribus, ut videri posset apud Sanchez, Navar., Lessium, Bonacinam, aliosque recentiores referentes, dispensatum fuisse cum Nicolao Justiniano Monacho, & cum Constantia Moniali filia Rugerii Siciliæ Regis &c. nobisque alia exempla proferri possent. Miror equidem, id à tanto viro dictum fuisse, qui titulis omnibus Apostolicam Sedem defendere debuisset.

224. Mitiùs respondent alii cum Pontio lib. 9. cap. 3. num. 16., cujus verba sunt ista: *Multò majora sunt argumenta, ut credamus, datam esse Ecclesiæ potestatem dispensandi in votis. Facilè enim promittunt homines, facilè eos pœnitet promisisse; ideoque in eo magna fragilitas est. Adde promissionem sibi factam faciliùs Deum remittere, quam jus proximo quæsitum evertere; adeo nostræ salutis est studiosus. Id quod etiam videmus in nonnullis aliis, in quibus occurrente præcepto religionis & misericordiæ, quod simul adimpleri non potest; prævalere vult præceptum mise-*

ricordiæ juxta illud, misericordiam volo & non sacrificium. Quod verò attinet ad dispensationem voti solemnis, redditur facilè diversitatis ratio: quia in professione fit etiam traditio Religioni, quam acceptat Prælatus, & eo non acceptante non obligant illa vota, quorum fundamentum est traditio; cumque Pontifex sit Ordinarius, cui etiam tanquam Religionis Superiori fit traditio; eàm traditionem potest rejicere, eaque rejectâ cessat obligatio status Religionis in illo.

225. Sed neque hoc admitti potest, atque tam in solemni voto, quàm in matrimonio rato est eadem ratio. Si de multò majoribus argumentis, quæ dicuntur esse pro potestate dispensandi in votis sermo fiat; hæc revocantur ad id, quod homines facilè promittant, & eos facilè propter fragilitatem promissionis pœniteat; sed cur non idem dicetur de promissione facta in matrimonio rato, dum quis dixit: *Ego te accipio in meam*; *Ego te accipio in meum*? Si verò de relaxatione facienda vel in jure proximi, vel in jure à se acquisito loquamur; facilius quidem hoc remittit Deus, quandò magis præceptum est illud, quam hoc, neque hoc Deus velit, si hujus observatio illud impediat: absolutè tamen quod asseritur, falsum est; ideò Petrus dixit Ananiæ, non esse mentitum hominibus, sed Deo, ex quo probare voluit, majus peccatum esse promissa non servare Deo, quam hominibus. Ultimum verò, in quo argumenti solutio reposita est; sic in adversarium retorquetur. Ideò in professione religiosa potest Pontifex dispensare, quia in ea fit traditio Religioni, quam acceptat Prælatus, & ejusdem Prælati Pontifex est superior, qui traditionem illam rejicere potest; sed etiam in matrimonio rato fit traditio conjugi, quam conjux acceptat, & ejusdem conjugis Pontifex est superior, qui traditionem illam rejicere potest; ergo sicut Pontifex dispensare potest in professione religiosa, ita & in matrimonio rato. Illa igitur diversitatis ratio est nulla, & concludendum superest, quod jam conclusimus.

226. Demus etiam, rem hanc, de qua agimus, dubiam esse, atque incertam; eam tamen in Papalis auctoritatis favorem stabilire deberemus; in dubiis enim sententiæ superiorum standum est, ut dicitur cap. *Ad aures* de temp. ordinat., & cap. *Qui culpatur* 23. q. 1. Et si mihi reponeres, standum esse in favorem Sacramenti; responsum dabo, cùm dicam de matrimonii indissolubilitatem orta ex parte Sacramenti; & nunc tibi sufficiat, quod si tua responsio valeret, idem argumentum fieri posset de professione religiosa; ita ut non pro ista, sed pro Sacramento standum esset.

227. Aptissimè autem dicitur, hujusce dissolutionis facultatem Pontifici Maximo à Deo collatam fuisse; cum enim hic Ecclesiæ caput sit constitutus, Christique Vicarius agnoscatur; eam potestatem verosimiliùs à Christo accepit, quæ in bonum Ecclesiasticæ Reipublicæ consurgit, & plura scandala ac incommoda tollit, quæ fideles non mediocriter perturbarent, atque perverterent; ita autem procul dubio facultas dirimendi matrimonia rata se habet, ut videbimus in assignandis illis causis, in quibus dirimi per Pontificem possunt; ergo.

§. V.

Rejiciuntur argumenta in oppositum.

228. Oppones 1. Præteribo autem ea, quæ desumuntur à matrimonio consummato, quod Pontificia auctoritate solvi non potest, ex quo inde inferunt, neque solvi posse matrimonium ratum; etenim de hoc argumento agendum erit, ubi de eodem matrimonio consummato sermo fiet: Interim scias, ex eo nimis probari; aliter neque per solemnem Religionis professionem dirimi posset ratum; sicut non

non poteſt omnium Catholicorum ore conſummatum.

Opp. inquam 1. In iis, quæ ſpectant ad Sacramentorum ſubſtantiam Pontificia auctoritas eſt nulla; atqui matrimonium ratum eſt verum Sacramentum; ergo per reſpectum ad iſtud Pontificia auctoritas eſt nulla. Hoc magis valet, ſi perpendamus, matrimonii etiam rati vinculum eſſe indiſſolubile jure naturali ac divino; ubi autem aliquid hiſce juribus ſtatutum reperitur, Pontifex haudquaquam poteſt; quod & nos diximus in tomo 6., ubi agebatur, utrum Pontifex diſpenſare poſſit in utriuſque ſpeciei conſecratione, & negativè concluſum fuit, quia conſecratio ſub utraque ſpecie de jure divino probabatur.

229. Reſp. argumentum primum probare, Pontificem non poſſe efficere, matrimonium ratum Sacramentum non fuiſſe; poſſe tamen auferre effectum Sacramenti, quod fuit, ideſt vinculum ortum ex illo, & in quo priùs eſſentialiter conſiſtebat in ſuo fieri, non tamen in facto eſſe, ut dictum fuit quæſt. 1. art. 1. num. 22. ad 2., ex qua reſponſione in forma omitto majorem & minorem indiſtinctas, & diſtinguo conſequens; ergo per reſpectum ad iſtud Pontificia auctoritas eſt nulla, ſi conſideretur quantum ad ſui primam conſtitutionem Conc. ſi quantùm ad ſui continuationem ne. Alii reſpondent, & quidem aptiſſimè, Sacramenta eſſe diſtinguenda; alia enim ſunt, quorum ſubſtantia nullo pacto dependet ab humano contractu, ut baptiſmus & alia; aliquod verò, quod ita dependet, ut matrimonium; in illis inquiunt, Papam nullam habere facultatem; ſecùs in iſto, non quidem directè, ſed indirectè, nempe declarando vel contractum ſemel initum nullum eſſe, vel nullum eſſe ineundum.

Ad aliud, in quo videbatur argumentum confirmari, ut vides, idem probat etiam de voto, cujus obligatio eſt de jure naturali divino; eadem tamen ſuperior reſponſio adhiberi poteſt, ſcilicet, jus naturale divinum aliud eſſe abſolutum, ut de non fornicando & mentiendo; & in hoc nulla contingit diſpenſatio; aliud fundatum in actu ſeu contractu humano, & ad hoc jus Pontificium à Deo collatum ſe extendit indirectè, auferendo fundamentum illius actus, ſeu contractus obligationem, quæ eſt doctrina S. Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 10.

Ad ultimum vide, quæ diximus quæſt. 7. de Euchariſt. art. 2. num. 326.

Dices. Ergo Pontifex poterit etiam diſpenſare in polygamia. Hoc negatur; nulla enim juſta cauſa eſſe poteſt, ob quam fiat hujuſmodi diſpenſatio, ut conſtat ex dictis in proprio loco.

230. Op. 2. non minor eſt efficacia ſanctificationis, quam confert matrimonium ratum, quam ſit ſanctificatio benedictionis calicis, aut veſtium, ſed hanc Pontificis auctoritas auferre non poteſt; ergo neque illam. Rursùs: Pontifex efficere nequit, ut hoſtia conſecrata non remaneat conſecrata; ergo neque efficere poteſt, ut ſemel conjunctus per matrimonium non remaneat conjunctus. Præterea: Papa impedire nequit aliquem effectum Sacramenti, quem ex Chriſti inſtitutione Sacramentum producit; ergo neque impedire ſeu dirimere poteſt vinculum, quod ex Chriſti inſtitutione ex matrimonio etiam rato conſurgit.

Reſp. ad primum: Si loquamur de ſanctificatione major & dignior eſt illa, quam confert matrimonium ratum, cum ſit ſanctificans gratia; ſi verò loquamur de majori inſolubilitate, major eſt illa, quæ convenit calici, aut veſtibus per benedictionem; etenim cum ſanctificatio prior repræſentet Chriſti unionem cum anima per gratiam, quæ amitti poteſt, non tantùm exigit ſubjecti conſiſtentiam, ſed etiam immutationem voluntatis, qua mutata ceſſat illa ſanctificatio; è contrario ſanctificatio

calicis seu vestium, cum pendeat tantùm à subjecti consistentia, tandiu permanet, quandiu permanet subjectum. Cæterum minor est falsa, probari enim non potest, Pontificem non posse tollere calicis consecrationem, ac concedere, ut profanis usibus deputetur. Idem dicendum pro secundo argumento; Corpus enim Christi habet necessariam connexionem cum speciebus, quandiu conservantur; non ita matrimonium ratum cum personis. Ad tertium conc. ant. ne. conf. quia Pontifex non impedit vinculum illud, sed tantùm sua auctoritate declarat, vinculum illud ampliùs non tenere; sicuti contingit in voto & in juramento; quorum obligatio ex natura sua perpetua est, & tamen justis de causis Pontificis potestate relaxatur. Adde, hæc omnia probare neque per professionem religiosam matrimonium ratum dissolvi; quod tamen adversarii non dicunt.

231. Nunc aliquid dicendum superest adversùs ea, quæ ex Alexandro III., aliisque Pontificibus allata sunt num. 221. In eo autem argumenti vis erat, quod Alexander dixerit: matrimonium ratum non dirimi per subsequens consummatum; & tamen alios Pontifices prædecessores suos oppositum judicasse; & ita à pari, quamvis plures Pontifices in matrimonio rato dispensaverint; attamen fuerunt alii, qui id fieri non posse dixerunt; proinde ex Pontificum factis nihil colligi posse.

Respondent aliqui, matrimonium ratum dissolvi per subsequens consummatum ex natura rei; sed obstare jus Pontificium in cap. *Licet* de sponsa duorum, ubi id statuit Alexander. Alii dicunt & meliùs, matrimonium ratum non dirimi per subsequens consummatum; quia hoc nullo pacto matrimonium est; copula enim non confirmat matrimonium, quod priùs ratum non erat, & priùs matrimonium ratum irritat prorsùs secundum consummatum; unde quod dicitur, Pontifices aliquos prædecessores oppositum judicasse, intellige de eorum privata opinione; nequaquam de aliquo eorum canone ac statuto, ut optimè ait Covar. num. 15. necnon Canus lib. 6. de locis Theolog. cap. 8.

Falsum autem est, fuisse aliquos Pontifices, qui dixerint, matrimonii rati dissolvendi facultatem non esse apud Romanum Pontificem. Quod enim Innocent. III. ita effatus sit, intelligendum est, nullam causam, præter Religionis professionem, dirimentem matrimonium ex propria sententia; non verò ex sententia Summi Pontificis; atque eodem pacto explica Nicolaum I., nisi fortè hunc intelligas, de matrimonio consummato habuisse sermonem.

232. Hæc, quæ dicta sunt, valent, dummodò ex justa causa ad id faciendum Papa moveatur. Audiendi certè non sunt Doctores illi, qui arbitrantes, indissolubilitatem matrimonii rati progredi tantùm ab Ecclesiastico jure; dixerunt posse ad libitum hanc fieri dispensationem; præsertim si mutuus accedat conjugum consensus; quam sententiam colligunt ex gloss. cap. *Ex publico* de convers. conjugat., Hostien., Berojus, Decius, Brunel., Metina &c. Enriquez verò lib. 11. de matrim. c. 8. num. 11., quamvis affirmat, indissolubilitatem esse de jure divino, & naturali; asserit, validam esse dispensationem sine causa, quia sic expediebat, ut Christus Pontifici concederet, ne semper, an fuerit justa causa, in dubium posset revocari.

233. Audiendi inquam non sunt: Quod enim indissolubilitas matrimonii rati descendat à jure Ecclesiastico, vix probari potest; & longè probabilius est progredi à jure naturali divino, ut dicam suo loco: Quare sicuti Pontifex absque justa & gravi causa dispensare non potest in voto, vel in juramento; ita neque in matrimonio rato. Teneant oportet Pontifices Summi, sibi à Chri-

sto

sto collatam esse potestatem non in destructionem, sed in ædificationem; atque à Christo irritum fieri quod ipse absque causa justa, atque pro rei gravitate urgenti facere pertentaret. Matrimonii rati dissolutio non levis res est; ex qua sicuti plurima bona proficisci possunt, ita plurima mala exoriri; præsertim si unus ex conjugibus se opponat, & inde inter familias odia ac rixæ possint excitari. Potestas hæc adinstar hellebori adhibenda est, de quo Cassianus col. 17. cap. 17. *Si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre; si absque discriminis necessitate perceptum, præsentis exitii est*. Habet facultatem fideles ab Ecclesia separandi Summus Pontifex; ea tamen uti non potest, nisi ob gravia momenta, ut admonet Concil. Trident. sess. 25. de reformat. cap. 3. Habet & facultatem matrimonia rata dirimendi, & prorsùs sponsum à sponsa separandi; hanc tamen non exerceat, nisi magna ex causa commoveatur; & quamvis etiam id ex potestatis plenitudine facere posset; attamen, si causa justa deesset, peccaret.

234. Si autem quæras: quænam sint istæ causæ justæ; variæ à Doctoribus afferuntur. Tiraquel. lib. 5. connubiali gloss. 1. par. 5. num. 16., Decius cons. 112., Felin. cons. 26. num. 20., Celsus cons. 105. num. 12., Navar. lib. 4. cons. 49., Menoch. cons. 385., & de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 10. asserunt: unam ex causis justis esse notabilem in qualitate inter conjuges disparitatem; etenim affectione cæca, & animi levitate matrimonia ineunt; ex quibus inde infelices exitus proficiscuntur, qui plurimum non solùm familiæ, sed etiam Reipublicæ nocent; rixæ, odia, contentiones inter ipsos excitantur, quæ matrimonii fini, qui in mutua amicitia & concordia servatur, opponuntur. Hinc Ovidius in epist. Dejaniræ ad Herculem: *Si qua vales aptè nubere, nube pari*, & apud Romanos nuptiæ inter impares tanquàm illegitimæ habebantur, ut scribit Boerius in commentariis Topicorum Tullii: imò ipse Leo Papa epist. 70. ad Rusticum, ut habetur cap. *Non omnis* 32. quæst. 2. ait: *Nuptiarum autem fœdera inter æquales legitima sunt*.

235. Alia causa est, certum periculum gravis scandali, quod in damnum commune vel etiam particulare volvatur. Hujusmodi esset, si propter conjugum displicentiam aditus pateret fornicationi; vel ita vir quæreret uxorem repellere, ut sine mentis sanioris probabili spe, ipsius necem pertentaret; vel è contra: Et propter hoc Eugenium IV. dispensasse, testatur Borgasius par. 6. de irregularit. tit. de spons. num. 74.

236. Etiam lepram supervenientem, vel aliud simile, quod vel nunquàm, vel nisi post longum tempus sanari possit, esse justam causam suadent; quia cum matrimonium dirigatur ad mutuum corporis usum pro sobole procreanda, & ardore libidinis extinguendo, & lepra ob contagionis periculum hunc usum impediat matrimonii finis non obtineretur. Propter hoc dispensatum fuisse à Martino V. refert ibidem laudatus Doctor.

237. Inter autem omnes justas causas recensenda est impotentia consummandi, superveniens post contractum matrimonium; quæ si ante fuisset, vim habuisset impedimenti dirimentis. Alias causas non tam facilè sufficientes admitto: In his autem gravi judicio, ac sedulò examine opus est; ne matrimonia dissolvendi facilitas Sacramento faciat injuriam; atque ipsos Judices apud Deum reos constituat. Quodcumque solverit Pontifex super terram, erit solutum & in cœlis; si tamen solvet ut Christi Vicarius, & ipsius actio sit actio Dei; Plerumque seipsum ligat, qui alios solvit. Sed de hoc satis.

§. VI.

§. VI.

An Matrimonium consummatum solvi possit in lege Evangelica.

238. Bifariàm matrimonii consummati dissolutio potest intelligi. 1. Quoad thorum & cohabitationem. 2. Quoad vinculum; ita ut dimissa priori uxore, possit dimittens aliam ducere. Illa à Theologis propriè appellatur divortium; quam nullo pacto Luth. in lib. de captivit. cap. de matrim., & Kemnitius in 2. par. examinis cum aliis agnoscunt; imò Ecclesiam reprehendunt, quod nonnullis de causis præter causam fornicationis illam permittant.

239. Reverà tamen dissolutionem istam non solùm ob alienum crimen; sed etiam ob propriam perfectionem licitam esse Theologorum omnium ac totius Ecclesiæ profert sententia. Primò propter majorem perfectionem id ostedamus; sed quot non occurrunt exempla virorum ac mulierum, quorum sanctitas in cœlo refulget, & in terris apud historias commendatur, necnon à fidelibus justissimè colitur? Inter istos primum obtinent locum Beatissima Virgo Maria clementissima advocata mea, ac Sanctus Joseph dulcissimus patronus meus. Hi certè fuerunt conjuges veri, quod neque negant Hæretici; pari tamen consensu continentiam servasse contra Helvidium in meo tomo tertio declaravi; de quibus Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 1. sic scribit: *Hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia posse permanere conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Pro reliquis verò lege Palladium in hist. Lausiaca cap. 8., & occurrerit Ammon Monachus & ejus uxor; lege Victorem lib. 1. de persecutione Wandalica, & occurrent Maturianus & Maxima; lege Surium tomo 1. idem invenies, de Eduardo Sancto Angliæ Rege: An non clarum illud est, quod refert Krantius lib. 3. cap. 32. suæ Saxoniæ de Sancto Henrico I. Imperatore, & Cunegunde Sancta ejus uxore? An non perspicuum, quod legitur apud Volateranum de Petro Urseolo Venetorum Duce; de Boleslao Poloniæ Rege; de Alphonso II. Rege Castellæ? Hi omnes, aliique quamplures, vero fuerunt matrimonio conjuncti; & tamen uxorum consensu virginitatis ac castitatis merito floruerunt, matrimonii vinculo nequaquàm disrupto. Juxta hæc S. Prosper in fine suæ epistolæ ad Augustinum scribit: *Sciat sanctitas tua, fratrem meum cum matrona sua, ex consensu, perfectam Deo continentiam devovisse.* Quanquàm cur vel exempla profero, vel Patrum sententias? sufficit id, quod dicit Christus Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres &c. aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit..*

240. Secundo: licita est separatio quo ad thorum & cohabitationem, si alter ex conjugibus incidat in fornicationem, quod nec quidem Novatores negant, & habetur Matth. 5. imò dicunt ipsi, solvi per eam etiam vinculum matrimonii, de quo puncto in sequenti. Tertiò: licita est, si alter in hæresim inciderit, cum generatim dicat Apostolus ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita.* Et pro hac re est illud Christi Domini Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem &c.* Quartò: licita est, si alter cohabitare nequit, quin ad peccandum impellatur: *Si enim oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te*: dixit Jesus Matth. 18. Hæc omnia quæ diximus continentur in Ecclesiasticis Decretis tit. de divort. Unde meritò contra Lutheranos definivit Trident. sess. 24. can. 8. hisce verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob mul-*

tas

tas causas separationem quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit. Adeo hoc certum est, ut non solùm sit licita separatio; sed etiam in aliquibus casibus necessaria; ut contingit quando sine peccato cohabitatio haberi non possit. Nota tamen, quod separatio quoad thorum propria auctoritate propter crimen fieri potest; non non ita quoad cohabitationem; quia res ista publica est, ex qua in reliquis scandalum oriri posset; idcirco judicium Ecclesiæ est expectandum, ut traditur in cap. *Porrò* de divortiis.

241. Adversùs hæc blacterat inter cætera Kemnitius, reprehenditque Pontificios; quod cum dominus solam causam fornicationis dixerit esse causam divortii, ut constat ex Matth. 19., alias causas ipsi statuerint.

Sed falsum est, causas istas fuisse statutas à Pontificiis; eas enim legimus in Evangelio, & in S. Paulo tanquam statutas à Domino, ut superiùs ostendimus. Quare autem Christus eo loci fornicationem tantùm adduxerit; duplex ratio afferri potest ex Bellarmino. Prima est, quia sola fornicatio est peculiaris causa matrimonium solvendi; reliqua verò sunt causæ communes, quibus non tantùm separari potest conjux à conjuge; sed etiam separari potest & debet, pater à filio, frater à fratre, servus à domino; unde istas afferre superfluum erat; cum jam tanquàm res certa supponeretur. Secunda ratio est: quia ibi loquebatur Dominus de jure ad separationem perpetuam, quod acquirit unus, si semel tantum alter adulter fuerit; quod nonnisi ad tempus habetur propter alia crimina, quæ tandiu sunt causa separationis, quandiu durant; si enim conjux ad fidem convertatur, & qui priùs ad peccandum impellebat, resipiscat; tenetur alter ad eum recipiendum, atque cum eo affectu maritali cohabitandum: Hujus autem discrimen desumitur ex eo, quod sola fornicatio propriè ac directè matrimonio opponatur; alia verò indirectè & per accidens.

Plura alia opponit, sed libenter prætermitto; cum & facilè solvi possint, neque in his consistat potissima Catholicos inter & Hæreticos controversia. Hic tamen ad majorem eorum, quæ dicta sunt, explicationem aliqua inquirenda sunt.

242. Quæres 1. An unus ex conjugibus altero invito possit licitè ingredi Religionem, & validè profiteri.

Responsio est affirmativa: Si unus adulter fuerit; reus enim jus suum amisit, atque divortii perpetui causam justissimam dedit: sublata autem illa causa, est negativa; cum neque vir habeat potestatem sui corporis; neque sui habeat mulier. Extant in hac re plura in jure canonico Sanctorum Patrum, & Summorum Pontificum Decreta: cap. *Sunt qui dicunt* 27. quæst. 2., cap. *Si dicat* 33. quæst. 5., cap. *Notificasti*. Præsertim verò & clariùs cap. *Agathosa*, quod est Gregorii I. in epist. ad Adrianum Notarium. Si igitur invito alio professionem pertentaverit, vel etiam manens in sæculo continentiæ votum emiserit, invalidè pertentavit, & emisit; cum id promiserit quod suum non erat; & in hoc casu magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio, ut ait S. Augustinus citatus à Gratiano causa 33. quæst. 5. cap. *Una sola*. Et si mihi afferres id quod narrat Cassianus collat. 21. cap. 9. videlicet, Theonam Abbatem renitente uxore Monachum factum fuisse; dicerem, factum hoc non esse adducendum in exemplum, cum factum fuerit ex ignorantia, in qua laudandum est vehemens Deo serviendi desiderium, nec verè votum continentiæ validum Theonas emiserit.

243. Sed præter mutuum consensum, necesse est etiam juxta sacros Canones, ut qui in sæculo remanet, vel votum castitatis emittat, vel Religionem

nem ingrediatur. Rem exprimit cap. *Cum sit* de conversione conjugat. ubi sic statuitur: *Prohibemus, ne virum vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migraverit, transire permittas. Verùm si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo; dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir*. Similia habentur in cap. *Ad Apostolicam*.

244. Quæres 2. Quale jus acquirat conjux innocens post factam separationem adulterii causa.

Respondeo: posse innocentem invito alio aut vovere continentiam, aut religiosum statum per professionem amplecti, cum ab omni debito conjugali effectus sit liber. Nocens autem nihil ex his potest, nisi habita alterius facultate: Si tamen judicis sententia fœmina detunderetur in Monasterium, conceditur innocenti biennium ad deliberandum, utrum velit juri suo cedere, intra quod professio adulteri nulla esset; secus postea. Ita in authentica *Sed hodie*, ad legem Juliam, *de adulterinis conjugiis*.

245. Quæres 3. An conjuges in hac re pares sint; ita ut quemadmodùm vir dimittere potest uxorem adulteram, ita etiam uxor dimittere possit adulterum virum.

Cajetanus in illud Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem &c.* censuit, dimitti quidem posse uxorem à viro; non autem virum ab uxore. Movetur primò: quia Christus laudato loco hanc legem divortii explicans, loquitur de solis viris, atque illorum tantùm mentio fit in cap. *Significasti*, & cap. *Ex litteris*, necnon cap. *Gaudemus* de divortio. Secundò: rationem affert, quia adulterium uxoris majorem injuriam affert viro, quam adulterium viri uxori; non solùm propter viri infamiam, sed etiam propter prolis incertitudinem. Tertiò: quia in lege veteri poterat quidem vir uxori dare repudium, non tamen uxor viro. Denique consuetudo invaluit, ut ob viri adulterium uxori divortium non concedatur, ut inquit S. Basilius can. 9. & 21.

246. Vera tamen sententia est: conjuges esse pares, & æquali modo uxorem dimittere posse virum adulterum, quo vir adulteram uxorem.

Ratio est, quia in iis, quæ pertinent ad jus conjugii, viri ac mulieris non est dispar conditio. Sicut enim mulier corporis sui potestatem non habet, ita neque sui habet vir, ut ait S. Paulus. Eam docuit Innoc. I. epist. 3. ad Exuperium. Concilium Milevitan. can. 17. S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte. S. Ambrosius, & alii Sancti Patres, quos refert Sanchez, necnon omnes Theologi.

Nec movere debent argumenta opposita; non primum, quia sicut ibi Christus interrogatus tantùm fuerat, an liceret viro dimittere uxorem; ita tantùm de viro respondit; & eodem modo in laudatis capitibus de viris tantùm sermo instituitur, sed oportet unum ex altero inferre. Non secundum: quia licet adulterium uxoris ex aliis titulis gravius sit, quam adulterium viri; attamen hoc est sufficiens ratio dimissionis; ut enim ait S. Thom. in 4. dist. 35. quæst. unica art. 4., pœnæ legales non ita strictim ponderant quantitatem culparum, ob quas imponuntur; sed satis est, si in utroque delicto reperiatur causa sufficiens pœnæ infligendæ; ut patet in criminibus, quæ pœna capitis plectuntur, quorum unum gravius est alio; atque ideo cum in adulterio sive viri, sive mulieris sit fidei fractio, propter quam licitum est divortium; sequitur etiam mulierem posse virum dimittere, quamvis adulterium mulieris gravius sit adulterio viri. Non tertium: non enim divortium repudio successit in omnibus, multasque inter utrumque differentias affert Abulen. quæst. 76. ad 5. in cap. 19. Matth. Una autem ex istis est, quod repudium permitteba-

batur ad vitandum homicidium conjugis adulterę, & quia periculum hoc inveniebatur tantùm in viris; ideo tantùm istis permissum fuit, ut docet S.Th. laudato loco. Non postremum: etenim consuetudinis oppositæ nullam mentionem faciunt innumeri fermè Doctores, quibuscum sentimus; & ideo ita Basilius loquutus est, non quia hujusmodi jus non sit in uxoribus; sed quia vix legimus, aliquam fœminam ob viri sui adulterium unquàm divortium pertentasse: Hic autem non usus nequaquàm jus adimit; præsertim cum sit jus naturale & divinum, quod prorsùs immutabile est, nec ulla consuetudine vinci potest.

247. Dum verò dixi alterius conjugis fornicationem esse justam causam divortii; hoc ita velim intelligas, ut aliqui casus excipiendi sint. 1. Si uterque conjux adulterium comiserit. 2. Si vir facultatem vel consilium dederit mulieri, ut sui copiam faceret; vel è contra. 3. Si post cognitum adulterium conjugis copula habita fuerit. 4. Si adulterium fuerit sine crimine; vel quia mulier vim passa fuerit; vel fuerit decepta, ita ut cum alio rem habuerit, putans eum suum esse maritum. Verùm ad potiorem difficultatem progrediamur.

§. VII.

An fornicatio, seu adulterium solvat vinculum Matrimonii consummati.

248. EO acriùs in titulo bellum indicitur, quo plures sunt hostes, adversùs quos est dimicandum. Omnes autem arma sua deprompserunt ex illo textu Matth. 19. ubi Christus sic loquitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; quorum verborum sensus videtur ambiguus, illa enim exceptio indifferenter aptari potest verbo *dimiserit*, & verbo *duxerit*. Si enim referatur ad verbum *dimiserit*, qui dimittet propter aliam causam, præter fornicationem, mœchabitur, etiamsi aliam non ducat; quia uxorem sic dimittendo ad mœchandum inducet: Si verò ad verbum *duxerit*, qui dimittet propter fornicationem, non mœchabitur, etiamsi aliam ducet; atque in hoc posteriori sensu omnes intelligunt, quos adversarios patiemur. Illius sententię ambiguitatem noverunt præ cæteris Patres Concilii in Forojulii patria mea an. 791. celebrato, & capitulo 10. sic effati sunt: *Quoniam ambiguus interponitur sermo, idest*, nisi ob fornicationem, *quæri potest, utrum ad solam licentiam dimittendi uxorem, an etiam ad utrumque dictum referatur, hoc est, ad aliam vivente illa accipiendam, quasi dixerit: Qui dimiserit uxorem suam, & aliam, nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur*. Verum quo pacto intelligenda sit Christi sententia in nostro dogmate propugnando explicabimus.

249. Interim plures fuerunt, & sunt hisce etiam nostris temporibus errores. Græci non desunt, de quibus ita sensit Launojus in tract. de Regia in matrimonium potestate, ut voluerit omnes in ea fuisse sententia, ut alterius conjugis adulterio matrimoniale vinculum dissolveretur; atque in potestate innocentis esset aliud licitè inire conjugium; & si quis aliter scripserit, eum tanquàm in Christi doctrina ac Patrum traditione ignarum atque peregrinum dimittit; ut se gerit loquens de Innocentio I. ac Eugenio IV., imò, cum se perstrictum videat Concilii Tridentini definitione, quam afferemus; asserit, istam non ad fidei dogma, sed tantùm ad disciplinam pertinere. Non satis ipsi videbatur, si Græcos tantùm attulisset, id etiam dicere ausus est de Latinis; quod postremum quàm falsum sit, declarabimus.

250. Verum utique dicet, si pro Latinis eos intelligat, quos tanquàm Hæ-

Hæreticos Ecclesia Apostolica execratur; quamvis & isti idem omninò non dixerint. Lutherus plura scripsit: In libro de captivit. Babylonica, priùs nihil audens definire; postea dicit, errare Papam, qui extra causam fornicationis divortium non prohibet; ac statim sibi contradicens inquit, se optare, ut definiretur, licere divortium etiam ob diuturnam alterius conjugis absentiam. In libro, quem scripsit in cap. 7. epist. 1. ad Corinth. docet solvi matrimonium, & aliud iniri posse hisce de causis. 1. Si falsus Christianus conjugem Christianam deserat. 2. Si conjux conjugem ad furtum vel aliud crimen impellat. 3. Si molesta sit ac contentiosa utriusque cohabitatio. Denique in lib. de causis matrimontalibus asserit, pauperem, qui cum divite matrimonium contraxit, & consummavit, si illum retinere non possit, quia vel affines, vel amici divitis impediant, posse ad aliud convolare. Hisce non solùm subscripsit Bucerus, sed in c. 19. Matth. addidit, toties matrimonium dissolvi, quoties quacumque ex causa aut vir non est commodus uxori, vel uxor viro; atque hoc pacto matrimonii contractum faciliùs solvi posse, quam quemlibet alium civilem contractum, arbitratus est.

251. Melancthon strictius se gerit, & duos tantùm casus determinat, in quibus matrimonii vinculum dissolvi putat; nimirum si contingat unius conjugis fornicatio, & si unus alterum injustè deserat; vult tamen non solùm innocentem aliud contrahere posse matrimonium; sed etiam nocentem, dicens, nulli imponendam esse pœnam, quam ferre non possit, pœnam autem istam intelligit cœlibatum.

252. Calvinus lib. 4. instit. cap. 14. §. ultimo inter plura, quæ adversùs Romanam Ecclesiam profert, convicia, scribit: esse legem tyrannicam illam, quæ viro uxorem dimittenti propter adulterium, aliam ducere prohibet. A Calvino non recedit Kemnitius in 2. parte examinis Concilii Trident.

253. Erasmus biennio antequam hæresis Lutherana è diaboli faucibus evomeretur, istas protulit propositiones. 1. *Quæ alteri viro sui fecit copiam, jam uxor esse desiit, & matrimonii jus ademit sibi divisa carne.* 2. *Inter Evangelicos una dumtaxat causa dirimit conjugium, hoc est violata conjugis fides.* 3. *Una, quæ sui corporis copiam fecerit alteri, jam etiamsi non repudietur, desiit esse uxor, & maritus qui sui corporis copiam fecit alienæ, jam ante divortium desiit esse maritus.*

254. Prima sunt hominum hæreticorum placita, adversùs quos per plures canones egit Concilium Tridentinum, quos afferemus. Verùm neque defuerunt ex Catholicis alii præter Erasmum, qui in eodem errore versati sunt; neque alio pacto ab Hæreticis differunt, nisi quod Ecclesiæ judicio se submittant. Fuerunt autem Cajetanus, Ambrosius Catharinus, & Launojus. Primus in comment. super caput 19. Matth. timidè ac breviter rem pertractat, sic tamen se explicat: *Quoniam non audeo me opponere contra torrentem Doctorum, & judiciorum Ecclesiasticorum, ideo dixi tantum nihil disponere de dimittente uxorem fornicariam. Intelligo igitur ex hac Domini Jesu Christi lege licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet.* Quo pacto hæc postrema verba adjecerit, non video, nisi vel ignoraverit, quod in Concilio Florentino, & in Decreto Eugenii statutum fuerat, vel ab ejus mente exciderit. Secundus lib. 5. annotationum in commentaria Cajetani circa finem, quæstionem istam in utramque partem priùs proponit, ac denique concludit, neque ex Evangelio, neque ex Apostolo colligi posse, non licere in causa fornicationis aliud inire matrimonium; quod tamen viro con-

concedit propter adulterium uxoris, sed non uxori propter adulterium viri. Ambo isti scripserunt ante Concilium Tridentinum; nam Catharinus interfuit quidem huic Concilio, sed tempore, quo celebrata fuit sessio 24. in qua de hac re agitur, jam ingressus erat viam universæ terræ. Launojus verò etiam post ejusdem definitionem idem contendit, sed quantum iste, aliique aberrent, mox constabit. Etenim.

255. Dicendum, matrimonii consummati vinculum in lege Evangelica per fornicationem conjugum nequaquàm dissolvi.

Probatur primò hæc assertio Catholica ex sacris scripturis; Marci 10. habetur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Lucæ 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* In istis propositionibus est universalis loquutio; nulla igitur excipitur causa, ut ponderat etiam S. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 9.

Dices excipi causam fornicationis in textu Matth. 5. siquidem ibi legitur; *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ergo si dimittatur propter fornicationem, qui illam duxerit, non mœchabitur. Debent autem Marcus & Lucas explicari juxta Matthæum, aliter in Evangelio essent propositiones invicem pugnantes.

256. Ut nodum hunc, qui unicus est, explicemus, sic argumentum propono. Illa exceptio non est referenda ad dimissam uxorem ducendam, sed tantùm ad dimittendam; ita ut ex fornicatione oriatur justa causa illam dimittendi, & hoc sit licitum; non tamen oriatur justa causa, ex qua illam ducere licitum fiat; ergo ex verbis Matthæi non infertur, quod intendunt adversarii. Prob. ant. 1. Quia si essent referenda ad dimissam uxorem ducendam falsa essent dicta Marci & Lucæ, de quibus supra; & aliquis ducendo uxorem dimissam mœcharetur, aliquis non mœcharetur; quod rejicit Augustinus in laudato loco dicens: *Qui sumus nos, ut dicamus, est qui mœchatur uxore dimissa alteram ducens, & est, qui hoc faciens non mœchatur, cum Evangelium dicat, omnem mœchari qui hoc facit.* 2. Eo loci Christus Dominus non solùm omnes illas causas propter quas Hebræi uxores dimittebant, ad unicam fornicationis revocavit; sed omninò abstulit libellum repudii, ut constat ex cap. 19. ubi similem sententiam profert; atqui si uxorem dimissam fornicationis causa ducere liceret, & dimittens posset alteri nubere; libellus repudii sublatus omninò non esset; in hoc enim ejus vis consistebat, ut posset tam dimittens, quàm dimissa cum alio contrahere; ergo. 2. Si ita non intelligantur verba in textu Matthæi conciliari non poterunt verba S. Pauli ad Rom. 7. ubi dicit: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, libera est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et ad Corinth. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Ecce Apostolus universaliter loquitur, nullam exceptionem admittit, & hoc est argumentum Augustini lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 4. ubi sic ait: *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicatur; licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui*

qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis. Quid clariùs pro re nostra dici potuisset?

257. Hæc Augustini sententia quascumque proterit responsiones, quas affert Cajetanus, & post ipsum alii, nempe Apostolum locutum esse ordinariè & regulariter, non autem accedente causa fornicationis. Mirum enim esset si Paulus de matrimonii legibus loquens, ac instruens fideles, hanc exceptionem non commemorasset; illos certè ut fas erat non docuisset, imò præcipuum caput doctrinæ omisisset; nec verum esset, illius verba esse vera, viva & plana; proinde &c. & si mihi reponant, loqui de muliere nondum dimissa, cum dicat: *Quæ sub viro est mulier*, quod de dimissa verum non est; dicam, explicationem istam esse inanem, cum in textu habeatur, mulierem alligatam esse legi, quandiu vir inter vivos recensetur; vivit autem vir etiam ipsa dimissa; ergo.

258. Hoc autem, quod nos dicimus juxta sacras litteras, perenni, constantique Patrum traditione confirmatur. Hanc affert Eminentissimus Bellarminus lib. 2. de matrim. cap. 16. Quare ego breviùs me geram, & aliqua clariora atque validiora proferam testimonia. Clemen Romanus in Apostolorum canonibus can. 48. inquit: *Si quis laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur*; in quo textu nulla est in loqutione distinctio. En sæculum primum: Justinus in apol. 2. pro Christianis ait: *Qui repudiatam à viro altero duxerit, adulterium committit*. Hic nulla excipitur causa; & Athanagoras in Religionis nostræ apologia, dicit: *Qui uxorem suam dimiserit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noster*: En secundum sæculum. Pro tertio sit Tertullianus, qui lib. 4. contra Marcionem, ut Hæretico sibi opponenti, Christum contrarium fuisse Moysi, quia prohibuit repudium à Moyse permissum, respondeat, inquit, Christum non absolutè prohibuisse divortium, sed tantùm sub conditione, nempe, ut post divortium, licitum non esset aliam ducere. Verba sunt ista: *Dico, Christum conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat*; quibus duo docet, quæ nos asserimus, videlicet licitum esse divortium quoad thorum, & cohabitationem, illicitum verò quoad vinculum. Adde modo Ambrosium, qui in cap. 16. Lucæ, totus est adversùs eos, qui putabant sine crimine, scilicet inculpabiliter, uxorem dimittere posse & aliam ducere. Sic loquitur: *Dimittis uxorem quasi jure, sine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini cui obsequuntur qui leges ferunt. Quæ Deus conjuxit homo non separet*. Frustrà explicas illud *sine crimine* intelligendum esse de illis, qui uxorem dimittunt sine justa causa, tunc enim certum est, non esse licitum; proinde neque licere aliam ducere. Frustrà inquam explicas, nam Ambrosius in eo sensu dicit hoc illicitum esse, quo leges humanæ permittebant; atqui leges humanæ permittebant tantùm, quando foret justa causa; ergo lex Domini prohibet etiam justa causa existente, qualis est causa fornicationis. Adde Hieronymum, qui in epist. ad Oceanum de obitu Sab., quæ dimisso viro propter adulterium alteri nupserat, non alia ratione illam excusat; nisi quia Evangelii vigorem ignoraverat; deinde refert, quo pacto defuncto secundo conjuge, pœnitentiam sibi ab Episcopo impositam summa cum humilitate peregerit; quæ pœnitentia non fuisset imposita, si vivente primo conjuge propter adulterium dimisso licitæ fuissent aliæ nuptiæ. Et si dicas id evenisse, quia licebat quidem viro dimittere uxorem adulteram, & aliam ducere; non tamen licebat uxori dimittere virum adul-

adulterum, & alii nubere, jam diximus, in iis, quæ ad matrimonium pertinent virum & mulierem paris esse conditionis; & præterea Hieronymi mentem non assequeris; etenim in commentariis super caput 19. Matth. disertè ait: *Neque enim uxor adultera dimittenda est, & mœchus tenendus*. Adde Augustinum, cujus jam aliquod testimonium superiùs retulimus, & quem adversarii asserere audent, vel parùm accurato, vel etiam contradictorio ratiocinio rem nostram expresuisse, atque probasse.

259. Non immeritò tamen omnes isti Patres prætermitti potuissent, cùm veritas nostra in omni Ecclesia fuerit approbata. Incipiamus ab Ecclesia Romana, quæ omnium mater est: Jam Clementem Pontificem attulimus, legatur verò & Innoc. I. in epist. ad Exuperium Tolosanum cap. 6. ubi dicit: *Qui viro, vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, in utraque parte adulteros esse manifestum est, secundum illud quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur*. Nicolaum I. ne prætereas, qui Lotharium Imperatorem diris devovit, quia rejecta Regina Thietberga cum Waldrada concubina nuptias celebraverat; atque Archiepiscopos Coloniensem, & Trevirensem in Concilio Romano à dignitate dejecit, quia pro Imperatoris steterant facto. Quo pacto id senserit an. 305. Ecclesia Hispanica, constat ex Concil. Eliberit. can. 9. Quo pacto Gallicana an. 314., Concilium Arelatense I. can. 10. describit. Quo pacto Ecclesia Affricana an. 416. Concil. Milevitanum can. 17. statuit. Quo pacto Germanica an. 895. ex Concilio Triburiensi habetur. Ita prosecutus finem imponerem ex doctrina Concilii Aquilejensis utpote Nationis meæ, quod anno 791. celebratum fuit; sed omittere non possum Florentinum post an. 1400. in Armenorum instructione, & multò minùs Tridentinum post an. 1500., quod sess. 24. per diversos can. dogma nostrum promulgavit, ac stabilivit. Cap. 1. docet matrimonii nexum esse perpetuum indissolubilemque, can. 5. contra Lutheranos & Calvinistas sic definit: *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit*. Et can. 7. deveniens ad rem nostram hæc habet: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit*.

260. Non me fugit, Doctores aliquos istum canonem perpendentes quæstionem excitare; utrum in hoc canone definitum sit aliquid tanquàm dogma fidei; an verò aliquid tantùm pertinens ad disciplinam; sed si de hoc posteriori loquamur, procul dubio ad solam disciplinam spectare, affirmari non potest; quod manifestum est ex illis verbis, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam; tum etiam quia, quæ pertinent ad solam disciplinam pro temporum circumstantiis mutari possunt, ut de aliis constat; & Pontificem, vel Ecclesiam posse id facere, ut vir vivente uxore etiam dimissa propter adulterium, aliam ducere posset, quantùm absurdi esset, quamve Ecclesiam totam perturbaret, nemo est qui non videat: & tandem error non est sicut abusus, hic enim opponitur disciplinæ; ille autem opponitur dogmati seu veritati.

261. Si autem de priori puncto sermo fiat, nihil definire placet. Scio, Cardinalem Pallavicinum lib. 2. cap. 4. num.

num. 27. referre, Oratores Venetos exposuisse, nisi canon ille septimus moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim ipsorum Insulis, Cretæ, Cypro, Zacyntho &c. Quid tamen obtinuerint, non dicam; existimo obtinuisse moderationem in modo, nequaquàm in re; in verborum sono, non in significatione. Sed satis. Velim à te considerari id statutum esse juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam; deinde tu ipse concludas.

262. Sed jam, omittendo veteres Patres Ecclesiæ, utpote qui satis obscurè & ambiguè locuti sunt, nunquam tamen pro errore, in quo Græci versantur; rationes aliquas hujusce indissolubilitatis proferamus. Plures quidem afferri possent ex S. August. in lib. de bono conjugali cap. 7., & pluribus aliis, ex S. Ambrosio in cap. 16. Lucæ, ex S. Hieronymo in cap. 19. Matth. Ego tamen sequentes producam. 1. Si, ob causam fornicationis matrimonii vinculum dissolveretur, uterque conjux alias nuptias contrahere posset; atque ex hoc sequeretur melioris conditionis esse mulierem adulteram, quam innocentem, quæ dimissa foret ex. ca. propter aliquem morbum; imò mulier ex delicto commodum reciperet, quia alteri, prout sibi magis placuerit, nubere posset; hoc autem absit dicamus, cum & rationi naturali repugnet, ac opponatur l. *Delegatorum* §. ultimo ff. de interdict. & releg. ergo. Ex hac ratione prima oritur alia, nimirum, hoc dato latissimam aperiri viam, quibus perditi viri ac mulieres cupiditatibus, ac impudicitiis suis satisfacerent. Quis vir, vel quæ mulier adulterium non committeret, ut prius matrimonium dissolveretur, & amatorem & amatricem suam sibi novo matrimonio copularent; & sic de matrimonio in matrimonium transitus fieret? Hæc ratio affertur in cap. *Quanto* de divortiis. Denique consummati matrimonii significationem inspiciamus. Hæc quoad vinculum repræsentat unionem Verbi divini cum humanitate, & cum Ecclesia per carnem; sed hæc indissolubilis est; ergo. Ex hoc postremo infero, quod sicuti aliquæ Ecclesiæ partes ita spiritualiter fornicantur, & divortium cum Deo faciunt, ut tamen Deum mutare nequeant, neque Deus ita eas abjicit, ut cum ipsis reconciliari non possit, & nolit; ita conjugium Christianorum tale esse debeat, ut vir mulierem, aut mulier virum non mutet, ut invicem possint reconciliari. Sequitur igitur matrimonium consummatum in lege Evangelica quoad vinculum solvi non posse.

Dixi, *quoad vinculum*; ne mihi reponeres; ergo sicuti nulla fingi potest separatio inter Verbum & humanitatem, & Christum ac Ecclesiam, ita nulla fingi potest inter virum & uxorem; & sic non poterunt separari neque quoad thorum & cohabitationem. Præterea Hæretici sic argumentari non possunt, qui sustinentes, fieri hoc postremum, à fortiori primum inficiari non possunt.

§. VIII.

Rejiciuntur argumenta in oppositum.

263. Opp. 1. Iterùm in examen revocando textum illum Matth. 5. & 19. Illa exceptio, nisi causa fornicationis, referri non potest ad priorem partem, idest ad dimittendam uxorem, sed ad posteriorem, idest ad aliam ducendam; ergo si fornicatio sit causa divortii, non mœchatur qui aliam ducit. Probatur ant. Si illa exceptio referenda esset ad priorem partem, Christi propositio falsa esset; siquidem qui propter fornicationem dimittit uxorem nec peccat, nec mœchatur; ergo. Præterea: Si illa exceptio &c. Christi responsio Judæorum interrogationi non fuisset accommodata; etenim Judei non interrogaverunt Christum, nisi de di-

mis-

missione quoad vinculum, quam noverant solùm, & quam ipsis Moyses permisit. Rursus: Majorem divisionem efficere debet fornicatio, quam quævis alia causa; sed datur aliqua causa præter fornicationem, quæ efficiat divisionem quoad thorum, & cohabitationem; ergo fornicatio illam efficiet etiam quoad vinculum. Denique argumentum à contrario sic proponitur. Qui dimittit uxorem excepta causa fornicationis, & aliam ducit, mœchatur; ergo qui dimittit propter fornicationem & aliam ducit, non mœchatur; valet hæc illatio, sicut valeret ista. Infans, qui baptizatus moritur, salvus fit; ergo infans, qui moritur non baptizatus, salvus non fit.

264. Resp. ne. ant. juxta à nobis probata: ad prob. nego propositionem Christi falsam futuram; nam in primis, qui excepta fornicationis causa uxorem dimittit, aliquo modo mœchatur, quia facit eam mœchari; & si aliam ducit, iterum mœchatur, quia adulterium cum alia ducta committit, quæ explicatio desumitur ex verbis Christi Marci 5. dicentis: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari*. Et ita Matth. textum intelligunt August. lib. contra Adimantum cap. 3., & Theophyl. in cap. 18. Matth. Secundò: Christi propositio esset falsa, si verbum illud *mœchatur*, nec posset aptari priori parti, nec posteriori; sicut si ego dicerem: *Quicumque reliquerit patrem, nisi causa fidei Christi, & aliam religionem profitebitur, damnabitur*; propositio mea vera esset, quamvis damnatio non contingeret propter dimissum patrem, quem certè causa fidei licitum est dimittere; sed propter aliam falsam religionem, quam amplecteretur.

Ad 2. Christi responsio sommopere Judæorum interrogationi fuit accommodata; duo quippe ipsi dixerant, & petierant à Christo: Unum: Utrum quacumque ex causa licitum esset uxorem dimittere: Alterum: Utrum licitum esset aliam ducere. Utrique respondit: primo quidem licitum non esse, quacumque ex causa illam dimittere, sed ob solam causam fornicationis; non quia propriè hæc esset sola causa, sed quia causa præcipua, atque ita eorum animos compesceret, qui quavis ex causa levi uxores repudiabant. Secundò, priore dimissa aliam ducere esse mœchari, & sic facultatem ipsis à Moyse concessam revocavit; & hoc pacto licentiam à Moyse datam partim approbavit, partim reprobavit. Ut aliam ducerent omninò rejecit; Ut priorem dimitterent, causas leves rescindendo, ad fornicationem reduxit.

Ad 3. conc. maj. min. ne. consf. hoc enim plus efficit fornicatio, quod inter causas dimittendi potissimum occupet locum, & si velim strictè, & scholasticè loqui, nego majorem; non enim dici debet, *majorem* divisionem efficere debet; sed *magis* divisionem efficere debet.

Ad ultimum facilis est responsio; quia propositio Christi non facit locum propositioni contrariæ; cùm duo membra contineat; propositio autem, ut sit contraria esse debet de eodem secundum eumdem respectum; sicuti contingit in propositionibus adductis de infante baptizato, & non baptizato. Si ego tibi hoc argumentum proponerem: Qui die festo Missam non audit, excepto legitimo impedimento, & opera servilia exercet, peccat; ergo qui Missam non audit ob legitimum impedimentum, & opera servilia exercet non peccat; admitteres ne hanc illationem? ita in re nostra, si terminos perpendes.

265. Opp. 2. Sanctorum Patrum sententiam nobis prorsùs adversari: longam seriem contexit Launojus; Ego illos proferam, qui aliquam difficultatem excitare videntur; reliquos verò generatim explicabo. Occurrit S. Ambrosius in comment. cap. 7. epistolæ pri-

primæ ad Corinth. observat, Apostolum non dixisse, ut vir maneret sine uxore, aut uxori reconciliaretur, sed tantùm ne uxorem dimitteret; uxori tantùm præcepisse, ut si à viro discederet, innuptam se servaret. Occurrit S. Hieronymus in epist. ad Ocean. ubi narrat, Fabiolam post divortium fornicationis causâ factum, vivente priori viro alteri nupsisse, nec tamen in hoc lethaliter peccasse; sed non tantùm in hoc secutam esse Papiniani leges; verum etiam egisse juxta Paulum dicentem: Meliùs est nubere, quàm uri. Quod si publicam egerit pœnitentiam, hoc non obstat; nam etiam illis, qui sine divortio adulteram retinebant, duorum vel trium annorum pœnitentia imponebatur 32. quæst. 1. can. *Si quis*, nec tamen lethaliter peccabant. Occurrit Lactantius lib. 6. divinarum institutionum cap. 23., ubi inquit: *Adulterum esse, qui præter causam adulterii dimissam uxorem duxerit*, & in Epitome cap. 6. ait: *Nunquàm conjugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resolvatur*. Denique S. Leo epist. 85. ad Episcopos Africæ cap. 1. Sacerdotem, qui dimissa uxore aliam duxerat, tantùm ab ordine removet; matrimonium autem illud irritum non declarat.

266. Resp. cum Magistro sententiarum in 4. dist. 35. lit. C. hoc à falsariis in Ambrosii libro positum credi, quod etiam affirmat Gratian. 32. qu. 2. sed quamvis ita scriptum esse concederemus, dicendum foret, id esse verum juxta leges Imperatorum politicas, non juxta legem Evangelicam, & Ecclesiasticam, quæ semper illum usum improbavit; sicut ipse Ambrosius fatetur, ut notavimus num. 258. Cur autem Apostolus non addiderit de viro, quod dixerat de muliere, assignat Augustinus lib. 1. de serm. in monte cap. 26. dicens: *Quare non addit de viro, quod præmisit de muliere; nisi quia similem formam vult intelligi? ut si dimiserit, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori*. Quænam fuerit mens S. Hieronymi circa Fabiolam diximus n. 258., & miror tanti Doctoris patrocinio adversarios gloriari, qui illam excusans, quia Evangelii vigorem non noverat, ait: *Quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cujus pœnitentiam ipsa confessa est?* Talis autem fuit pœnitentia ipsi ab Episcopo imposita; ut nonnisi magno crimini imponi potuisset; eam sic describit laudatus Doctor: *Sparsum crimen, ora lucida, & squallidas manus, sordida colla submisit.... Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit; dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os; non est ingressa in Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret*; de qua etiam dixerat: *Dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit*. Canonem illum, quo duorum vel trium annorum pœnitentia viris, qui sine divortio adulteram retinebant, intellige de illis, qui uxoris adulterio consentiebant; in quo quidem grave peccatum committebatur; adulteram enim tolerari posse, & si emendari cupiat, esse retinendam, constat ex S. August. lib. 2. de conjugiis adulterinis. Quod primo loco Lactantius protulit, juxta leges civiles prolatum est. Quod secundo loco, de vinculo lato modo usurpato accipi debet, scilicet quoad thorum, & cohabitationem; sumi autem posse vinculum tali pacto constat ex Concil. Forojuliensi an. 791. ubi capitulo 10. Patres ita statuunt: *Placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere; sed nec adulteræ, quæ pœnas gravissimas vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum &c.* Ad S. Leonem dici debet, non esse loquutum, de Sacerdote, qui post susceptum Sacerdotium uxorem duxerat; id enim nunquam factum est; sed de quodam, qui

cum

eum uxorem accepisset priore dimissa ad presbyteratum promotus fuerat; Quod vero matrimonium illud irritum esse non declaraverit, non obstat; nam de hac re quæsitus non fuerat; sed tantum, an hujusmodi ad ordinationem promoveri potuisset; & ex alia parte firma esse voluit suorum prædecessorum decreta. Porro Inn.I. epist. 3. jam decreverat adulteros esse, quia priore dimissa etiam ex justo divortio, aliam duxissent.

267. De reliquis Patribus, qui nobis opponi solent, generatim dici debet, vel illos tantum retulisse Christi verba; proinde eodem modo, quo ista explicandos esse; ut sunt Hilarius, Isidorus &c. vel obscure & ambigue loquutos esse; ut Origenes, Basilius, Epiphanius; proinde ex illis neque aliquid pro Catholico dogmate, nec contra haberi posse; vel aliquos fuisse corruptos, inter quos præsertim Joannes 8. in cujus Epist. ad Ederedum Angliæ Archiepiscopum, ubi Launojus legit: *Et ideo cum priorem legitimo matrimonio sibi junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur aliam vivente priore conducere*. Legi debet, *nulla ratione prorsus illi conceditur aliam vivente priore conducere* ut habetur in tomo 9. Conciliorum & ita verba cohærebunt prioribus. Fatemur denique aliquos revera oppositum docuisse, ut Asterium, Damescenum, Theodoretum, Justinianum, aliosque recentiores græcos; sed istos omnino esse deserendos propter tot alios, quorum auctoritas & numero & pondere est præhabenda.

268. Opp.3. ex Conciliis, & summis Pontificibus. Concilium Neocæsariense can.7. contrahentibus post divortium secundas nuptias aliquam pœnitentiam imponit; attamen contractum matrimonium non dirimit. Milevitanum can. 17. prohibet quidem post divortium aliud iniri matrimonium; sed id parti innocenti licitum esse non negat; sed inquit, de hac re petendam esse legem ab Imperatore; igitur supponit, nullam esse legem evangelicam: Concilium apud Vermerias celebratum can. 5. & refertur cap. *Si qua mulier* 31. qu.1. hæc habet: *Si qua mulier in mortem sui mariti consiliata fuit cum aliis, & ipse vir se defendendo aliquem illorum occiderit; Si probare potest ille vir, eam ream esse consilii; potest, ut nobis videtur, illam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam ducere*. Imò can.9. decernit, quod si vir aliqua necessitate cogente in aliam Provinciam fugerit, & mulier nolit sequi; hæc, quamdiu vir ejus vivit, maneat innupta, vir autem, si continere non potest, aliam uxorem cum pœnitentia possit accipere. Similia leguntur in Concilio Compendiensi can.8. dicitur enim: *Si quis homo habeat mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater, vel illa fœmina, qui adulterium perpatraverunt; interim quo vivunt, nunquam habeant conjugium. Ille cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam*. Imò can.14.& 16. habentur ista: *Si vir leprosus mulierem habet sanam; Si vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipsa fœmina; Si vult, accipiat. Similiter & vir*. Zaccharias Papa, & refertur cap. *Concubuisti* 32. qu.7. sic decernit. *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ neutram habeas; & si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit*. Postremo loco fit Pœnitentiale Romanum, in quo legitur: *Si uxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa & tuo jussu se renuente ac reluctante adulterata sit; si se continere non potest nubat cui voluerit, tantum in domino; Tu autem sine uxoria spe in perpetuum maneas &c.* ex quibus omnibus patet, saltem innocentem posse ad alias nuptias convolare. Et certe ratio dictat, aliquid concedendum innocenti, quod negatur reo; Si autem uterque usque ad alterius mortem aliud matrimonium contrahere non posset, in æquali conditio-

ne innocens ac reus collocarentur.

269. Resp. in Concilio Neocæsariensi nunquam actum esse de secundis nuptiis post divortium; sed tantum de illis, quæ contrahuntur mortua priori uxore, quas licitas esse, Patres non inficiabantur; nihilominus ob incontinentiæ signum aliqua pœnitentia imponebatur; Ut à nobis dictum fuit, ubi de hisce nuptiis pertractavimus.

Ad Milevitanum: Miror in oppositum adduci cum vel ipso teste Kemmitio, istius canones fuerint præcipue à Sancto Augustino compositi; constat autem Augustinum alterum conjugium semper illicitum existimasse. Quod si legem imperialem Patres petierunt, hanc non postularunt, ut per illam statueretur, illicitum esse novum conjugium, quod hujusmodi esse ex Evangelio & Paulo compertum habebant; sed ut etiam à temporali potestate punirentur, qui novum matrimonium auderent inire, aut optarunt aliam legem imperialem illi contrariam, quam tulerat Constantinus, quamque divinæ oppositam professi sunt.

Ab Concilium Vermeriense, & alia, respondet Fernandez lib. 1. Thesauri scripturarum c.47. ibi factam esse permissionem ad vitanda majora mala, sicut aliqui dicunt, ut defendant leges imperiales permittentes repudia: Hoc non placet. Respondet igitur Maldonatus, canones istos esse apocryphos spurios, quemadmodum de illo Ambrosii textu ex Magistro sententiarum dictum fuit num. 266.: Si hoc renuas, dicas, intelligendos esse de viro vel uxore, post alterius mortem; & si reponas, pro hac re nullo opus fuisse decreto, aliter res indubia fuisset explicata, scias id actum esse quia conjugi qui reus foret, neque permittebatur aliud matrimonium post mortem conjugis innocentis, ut habetur in Concilio Forojuliensi c. 10. & Triburiensi per plures canones, nec non ex epist. S. Leonis 92. cap. 12. ac veteri Pontificiali Romano Pœnitentiali nobis opposito; & ecce quomodo non erant in æquali conditione reus & innocens; quamvis postea hanc veterem disciplinam sustulit Alex. III. in appendice Concilii Lateranens. 3. par. 12. cap. 4. Sic reliqua solve. Pro Concilio Compendiensi adde in 16. canone sermonem esse vel de matrimonio, quod propter lepram consummatum non fuerat, vel solum juxta leges civiles.

270. Afferre possem etiam Gregorium II, in epist. ad Bonifacium, qui dissoluto propter infirmitatem mulieris conjugali vinculo viro facultatem fecit aliam ducendi; nec non Leonem III. qui in decretali *Laudabilem*, permisit solvi matrimonium, & aliud contrahi propter alterius conjugis hæresim. Verum de primo jam diximus, videlicet, matrimonium illud non fuisse consummatum & fuisse impotentiam; de secundo verò si ita est; dicendum Leonem fuisse deceptum, & contrarium declaravit Innoc. III. lib. 4. decr. tit. 9. *De divortiis*, novissime verò Tridentinum sess. 24. canon. 5. anathemate damnans eos, qui propter hæresim dicerent dissolvi vinculum matrimonii.

271. Opp. 4. Si talis esset lex Christi ut facto fornicationis causa divortio, non posset innocens aliud contrahere matrimonium, esset lex injusta; hoc dici non potest; ergo, probatur maj. primo quia privaret innocentem jure suo contra regulas juris. Secundo, quia conjiceret hominem in perpetuam ustionem, & si continere non possit, in fornicationes & adulteria præceps prolabetur, ergo.

Resp. ne. maj. ad primam probationem perperam affertur regula juris, quæ habetur in sexto can. *Sine culpa* ubi legitur: *Sine culpa, si non subsit causa, non est aliquis puniendus*. Non igitur sola culpa jure suo aliquem privat sed etiam justa causa, ut contingit in casu. Certe quot innocentes filii propter deli-

ctum

ctum Patris privantur hæreditate? & ut à re nostra non discedamus; nonne ob incurabilem conjugis infirmitatem vel captivitatem privatur alter debito conjugali absque aliqua sui culpa? Quid ergo mirum, si ob alterius fornicationem privetur? Ad 2. lex divina id per se & directè non facit, sed solum indirectè & per accidens, ut patet in iis qui perpetuam voverunt castitatem vel religionem solemniter professi sunt. Sed si continere non possit, quis cogit ad dimittendum? quis cogit, ne reconcilietur, ut monet Apostolus? Quod si forte dimittere debeat nec ulterius revocare, ne & ipsa in crimina prolabatur; remedium non deest in divino auxilio, quod petenti nequaquam negatur.

272. Reliqua levioris momenti sunt; sed superest solvamus argumentum, quod desumitur ex iis, quæ de matrimonio rato statuta sunt. Sic autem proponitur. I. Matrimonium ratum non differt à consummato in sui essentia sed tantum accidentario modo; siquidem copula carnalis ad matrimonii essentiam non spectat; ergo si illud solvi potest quoad vinculum, etiam istud, vel si non hoc, neque illud, & certe in scriptura sancta nullum discrimen est, sed absque ulla distinctione dictum fuit, *quod Deus conjunxit, homo non separet*. 2. Matrimonium ratum est verum Sacramentum significans conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ indissolubilis est, & nihilominus dissolvi potest, quare ergo non consummatum? 3. ex S. Auguſt. lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 21. Matrimonium continentium firmius est, quam non continentium, ergo si illud dissolvi potest, etiam istud: Et revera idem S. Doctor ibidem scribit, matrimonium inter Mariam, & Josephum nulli potuisse subesse divortio, & tamen nulla fuit copula inter illos, ergo semper stat, quod si unum dirimi potest, etiam aliud.

273. Responsio aliquorum est, matrimonium ratum non differre à consummato essentialiter & ideo utrumque ex natura sua suisque intrinsecis esse insolubile, nec ulla humana potestas tanta est, quæ illud infringere possit, quod de aliis contractibus non valet, atque hoc sufficit ut illud absolute dirimi non posse, concludamus, quamvis ex divina dispensatione ac voluntate dirimi possit; sicut anima rationalis dicitur immortalitate exornata quia ex suis intrinsecis destrui non potest; quamvis possit per divinam virtutem; Si verò à me quæras quare sicut dirimitur ratum per ingressum in religionem, vel per pontificiam auctoritatem; non ita dirimatur consummatum, aliam rationem afferre non possum, quam divinam voluntatem, quæ de uno nobis innotescit per traditionem & Ecclesiæ declarationem; nequaquam de alio. Aliqui dicunt, matrimonium ratum & consummatum in sui essentia non differre, distingui tamen in ea significatione propter quam unum solvi possit, alterum minime; Ratum enim inquiunt significat gratiam invisibilem, sive conjunctionem Christi cum anima, nec non cum Ecclesia per charitatem, consummatum verò significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnem; Porro hæc indissolubilis est, non illa, & ideo &c. sunt insuper doctores utrique matrimonio concedentes quod dictum fuit, *Quod Deus conjunxit homo non separet* sed afferunt, separationem in matrimonio rato non fieri ab homine sed à Deo. Alii verò sententiam hanc tribuunt tantùm consummato siquidem illa verba dicta sunt post alia: *Erunt duo in carne una* quod dumtaxat, per carnalem copulam obtinetur, aliter qui duo matrimonia rata contraxisset, & unum tantum, vel etiam nullum consummasset, existimandus esset digamus quod est falsum, & opponitur cap. *Debitum* de digamis. Ex superiori doctrina constat quid dicendum secundo argumento. Ad tertium ex S. Augustino; Id probat majorem firmitatem quantum ad animorum consensionem; Sic enim

enim ex mutuo consensu se continent, non vero quantum ad vinculum conjugale, & significationem. Quod de matrimonio Beatissimæ Virginis, ac Sancti Josephi profertur procul dubio tenendum est, nec ullo pacto solvi potuisset propter divinum filium, cujus cura utrique demandata fuit, & quamvis matrimonium hoc per copulam consummatum non fuit, fuit tamen quoad effectum, seu quoad prolis generationem.

§. IX.

Quo jure matrimonium ratum & consummatum fidelium solvi non possit.

274. Punctum illud attingimus, quod non semel promisimus & à quo nonnulla ex iis quæ diximus, magis stabilientur. Quamvis omnes Catholici illis paucis exceptis, quos in antecedentibus adduximus, matrimonium indissolubile esse fateantur, attamen quo jure ipsi conveniat indissolubilitas, non conveniunt. Aliqui dixerunt matrimonium nondum consummatum suam indissolubilitatem repetere tantum à Pontificio humano jure, ita Michael Medina lib. 5. de sacrorum hominum continentia seu de Cœlibatu cap. 88. & 89. sequens plures jurisperitos. Moventur autem ad id asserendum, quia Pontifex dispensare potest in matrimonio rato, non posset autem si esset vel de jure naturæ, vel de jure divino, & quia in lege solvebatur matrimonium per repudium, quod juxta dicta licitum erat, & illud quod dictum est à Christo Matt. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet* non ad ratum sed ad consummatum matrimonium referri debet. Quantum valeant hæc momenta, in superioribus expendimus.

275. Est secunda sententia aliorum asserentium utrumque matrimonium indissolubile esse jure naturali etiam seclusa ratione sacramenti. Plura sunt momenta. Ab ipso mundi primordio cognovit hoc Adam, dum experge factus ab illo sopore gravi, & videns mulierem ex sui costa ædificatam dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; quæ verba adduxit Christus Matth. 19. & ea perpendens Concilium Tridentinum sess. 24. cap. unico inquit: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os &c.* Tunc autem nullum certè erat præceptum Ecclesiasticum, neque divinum positivum, cum tantum præceperit Deus ne comederent de arbore vetita. Præterea: Si jure naturali insolubile non esset, mutuo contrahentium consensu dirimi posset sicuti dirimuntur alii contractus. Rursus: matrimonium ex natura sua ac primario fine institutum est ad animorum conjunctionem, ac individuam vitæ societatem, nec non ad prolem procreandam, ac liberaliter educandam; at si natura sua indissolubile non esset, nihil ex istis haberi posset; languescit enim amor ille, qui ex alterius placito abjici potest, & penè extinguitur animorum conjunctio si alteri liberum sit discedere; Quæ etiam prolis procreatio atque educatio, si mater à prole separaretur, & ab istis ad alias nuptias data foret commigrandi licentia? Noverunt hoc quidem veteres Romani, de quibus scribit Tertullianus cap. 6. Apologetici, per annos sexcentos nullum soluti matrimonii ac repudiatæ uxoris exemplum dedisse; quamvis inde naturalem hanc legem adeò neglexerint, ut eorum aliqui levissimis etiam de causis suas uxores dimitterent ut de Sulpitio Gallo, ac Publio Sempronio refert Valerius Maximus lib. 6. cap. 2. Hanc sententiam docent ex scripturæ expositoribus Lyran. in Matt. 19. Abulens. in idem cap. ex aliis Sot. in 4. dis. 27. qu. 1. art. 4. Covarru. 4. decr. 2. par.

par. cap. 7. §. 3., Corduba, Ledesma uterque, &c.

276. Alii è contrario non ad jus naturæ sed tantum ad divinam voluntatem & institutionem matrimonii referunt indissolubilitatem, ut Richard. in 4. dist. 27. art. 2. qu. 1. Almain., aliique, quos legere poteris apud Pontium lib. 1. cap. 12. num. 4. Sanchez aliam mediam opinionem tanquam probabiliorem statuit, eamque tribuit S. Th. 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 3. Bonavent., Altisiodoren. &c. &c. docet autem, matrimonio non convenire omnem indissolubilitatem vel ex jure naturæ vel ex ratione sacramenti, sed ex Christi institutione, qua evectum fuit ad significandam unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam ac proinde cum hujusmodi significatio conveniat tantum matrimonio consummato tantùm hoc omnino indissolubile esse, concluditur. Hæc tamen sententia ab una ex relatis non differt; nisi neget etiam jure naturę matrimonium esse indissolubile: quatenus vero dicit jure naturæ non esse omninò indissolubile, verum affirmat, si pro jure naturæ intelligat jus primarium & strictè dictum, non si secundarium & latiùs acceptum, in quo dispensationem fieri posse, diximus, ubi egimus de polygamia simultanea uxorum, & de libello repudii, atque ad hoc potiora ejusdem argumenta reducuntur.

277. Ut verò omnia conciliem, asserendum mihi videtur. Matrimonii indissolubilitatem haberi jure naturæ, & ex primæva sui institutione, jure divino positivo, & denique ex ipsa sacramenti ratione. Priorem partem ostendi n. 175. secundum verò demonstra ex cap. 19. Matth. toties adducto, ubi Christus Pharisæis interrogantibus, an liceret uxorem dimittere, respondit, sicut pluries dictum fuit; Unde Tridentinum sess. 24. can. 7. inquit hanc indissolubilitatem esse juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, & quamvis aliqui dixerint, illa verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* referenda esse ad matrimonium consummatum, attamen etiam de matrimonio rato intelligenda sunt, nec aliud discrimen est nisi quod matrimonium consummatum fidelium habet majorem indissolubilitatem propter majorem significationem, matrimonium verò ratum, licet indissolubile sit, attamen Deus in aliquo casu illud dissolubile reddit, & in suo præcepto dispensavit.

278. Quod verò firmitatem etiam addat ratio sacramenti, manifestum fit tum SS. Patrum doctrina, tum Theologorum consensu. *Donum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere*, inquit Augustinus lib. de Bono conjugali cap. 24., & lib. 1. de nuptiis & concupis. cap. 10. *Non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides, verùm etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis unde dicit Apostolus, Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam*. Alia non subdo testimonia, cum in antecedentibus plura adducta sint; sicut nec affero argumenta in oppositum, cum jam fuerint allata.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De impedimentis Matrimonii in genere.

279. PRiusquàm de impedimentis matrimonii etiam generatim inspectis aliquid nostra levi methodo exponamus, non inconsulto ea speciatim recensebimus. Ex istis aliqua sunt, quæ appellantur dirimentia, ita ut etiam contractum jam initum nullum efficiant; alia sunt prohibentia, quæ licet vetent iniri contractum, attamen, si contrahatur, validè contrahitur. Aliis terminis idem explicavit Doctor subtilis in 4. dist. 34. usque ad 42. dicens, alia esse impedimenta simpliciter talia, & alia secundum quid. Prima dirimentia sunt indè appellata, secunda tantum prohibentia. Dirimentia sequentibus versiculis communiter explicantur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis.
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

quæ continentur in tribus prioribus carminibus ex antiquo jure desumpta sunt, quæ verò in aliis, apposita fuerunt à Concilio Tridentino.

Impedimenta prohibentia hisce aliis versiculis declarantur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum:
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum;
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Ex prioribus impedimentis aliqua naturali jure statuta sunt, aliqua Ecclesiastico; sed de istis singillatim agere incipiemus sequenti quæstione. Interim, ut præsentem pertractemus.

ARTICULUS I.

Utrum Ecclesia facultatem habeat apponendi impedimenta dirimentia Matrimonium.

280. QUemadmodum Novatores in matrimonio non agnoscunt nisi contractum humanum ac civilem; ita dixerunt, non Ecclesiam, cujus potestas tantum spiritualis est, sed Principes seculares decernere posse leges, quibus sicut contractus fieri potest nullus, ita etiam nullum reddatur matrimonium. Ipse Calvinus lib. 4. instit. cap. 19. §. 37. agnovit, quod si Catholici obtineant matrimonium esse Sacramentum, jam conjugalium causarum cognitionem ac judicium ad se contraxerunt. Quod Lutherani aliique, docuit etiam Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis lib. 5. de Republica Christiana cap. 11.; cujus sententias ac fermè verba secutus est Launojus in suo tractatu de regia in matrimonium potestate; ita ut dixerit, Ecclesiam in re ad matrimonium spectante nullam auctoritatem exercere posse; nisi vel eam usurpet, vel à Principibus secularibus sibi demandatam ac concessam agnoscat. Contra omnes.

281. Dicendum: Ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium.

Ve-

Veritas hæc statuta fuit in Concilio Tridentino sess. 24. can. 2. & can. 4. In primo habetur sequens definitio: *Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant; anathema sit*. In secundo ista: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit*.

282. Contorquet se Launojus, ne hisce canonibus se devictum sentiat ac fateatur; atque duabus responsionibus se non captum esse, demonstrare contendit. Prima est, in hisce non definiri dogma Catholicum, sed tantùm decerni disciplinam, quæ nequaquàm obligat, ubi Tridentinum Concilium receptum non est. Secunda in eo consistit, quod Ecclesiæ nomine intelligantur Reges ac Magistratus sæculares.

Hæc dicens non evadit: Duo distinguat oportet atque perpendat, nempe impedimenta ipsa, & facultatem impedimenta decernendi; Si de primis loquatur, certè illa pertinent ad disciplinam, cum. sicuti talia statuta sunt, ita & alia, sic exigente causa, statui potuissent, imò & ea auferri, sicuti factum esse non ignoramus; si autem de facultate sermo sit, hoc non ad disciplinam pertinet, sed ad fidem, & in hoc sensu est assertio nostra.

Magis verò insanum est, quod secundo loco respondet. Pro Ecclesia intelligendam esse potestatem Regiam, & sæcularem, quis unquam hoc in somniis sibi fingere potuisset? Quis inquiet, dum in scripturis sanctis Ecclesiæ nomen adhibetur, Reges, ac Principes significari? Erat Petrus in carcere, & legimus, Ecclesiam pro eo preces effudisse, nunquid effuderunt Principes, aut illi, qui eum in carcere detinebant? Dicamus etiam, Apostolum de Regibus ac Principibus locutum esse, cum Ecclesiam appellavit columnam, ac firmamentum veritatis. Advertat, Ecclesiam illam dici, quæ est fidelium societas sub Romano Pontifice Christi Vicario, necnon legitimis Pastoribus. Sed, si contendit, potestatem hanc non esse ab Ecclesia, sed Principes jure sibi proprio atque innato leges hujusmodi condere, quo pacto Ecclesiæ nomine Principes intelligit?

283. Expositas definitiones contra Novatores protulit Concilium: fundamentum autem eas proferendi desumpsit primò, ut arbitror, ex usu perantiquo, & nunquam interrupto, quo in matrimonii causa auctoritatem suam semper exercuit Ecclesia, multa statuendo, & multa revocando impedimenta, prout temporum circumstantiæ exigebant; ut constat ex pluribus legibus, Decretis, ac Constitutionibus, quas hic non memoramus; cum eas in medium producendi, dum de hujusmodi impedimentis speciatim agemus, opportunus locus occurret.

284. Hæretici ipsi hoc inficiari non audent, sed dicere non trepidant, jus hoc usurpatum esse, atque per falsas ac iniquas decretales firmatum, aut reclamantibus Principibus, aut dissimulantibus, vel ex indulgentia concedentibus.

Proterva certè ac inverecunda fronte id reponunt. Quid mihi decretalium falsitatem objiciunt? Si legissent Concilium Eliberitanum, Milevitanum, Carthaginense, necnon ex Summis Pontificibus Siricium, Innoc. I., Leonem, Gregorium Magnum, procul dubio exploratum haberent, ante decretales istas hac potestate Ecclesiam usam esse. Quæ etiam Principum querimonia, aut dissimulatio, vel indulgentia afferri potest? Hujusmodi Princeps quis fuit? fingant sibi Principem, ut illum inveniant; inveniam quidem ego Principes plures, qui singularem

hanc auctoritatem agnoverunt in Ecclesia Summisque Pontificibus, atque ab istis, si opus fuit, dispensationem ab aliquo impedimento suppliciter postularunt, & si eorum postulas nomina, in sequentibus leges.

285. Potestatem hanc, quam Ecclesiæ sponsæ suæ Christus servator noster reliquit, ipse prius voluit exercere, cum tali voluerit virum ac mulierem obstrictos esse ligamine, ut neque vir uxore vivente aliam sibi desponsare, neque uxor vivente viro alteri se tradere posset; exercuit inde & Apostolus, & si inter nuptos fuerit dispar cultus atque religio, nec infidelis voluerit absque creatoris injuria cohabitare, fidelem permittit discedere; quod certè non fuisset, si Ecclesiæ facultatem hanc concessam non fuisse arbitratus esset.

286. Valdè autem expediens fuit, ut concederetur, in omni enim rectè instituta Republica necessaria est potestas ferendi leges, quibus publico bono prospiciatur, atque ea, quæ ad illud conservandum conducunt præcipiantur, quæ verò ad destruendum tendunt removeantur. Hoc præsertim contingit in contractibus, ex quibus humana societas, ac publica privataque tranquillitas oritur; qui si tales fuerint, ut ad spiritualem societatem efficiendam, ad mores piè componendos, necnon ad salutem æternam assequendam fuerint instituti, ad Ecclesiam pertinebit eas conditiones stabilire, quibus servatis suum valorem obtineant; quibus neglectis tamquam nulli habeantur; hujusmodi autem matrimonium esse nullus ignorat, nisi matrimonii naturam nesciat; igitur &c. Quod si hoc potuit Judæorum Synagoga, cur Ecclesia Christianorum non poterit?

287. Neque verò ex hoc inferas, materiam Sacramentorum ab Ecclesia posse mutari; fatetur enim Ecclesia ipsa se tali potestate minime gaudere. Fuit semper, atque semper erit materia Sacramenti matrimonii contractus validus inter virum & fœminam; at Ecclesia dùm impedimenta statuit, non efficit, ut, si fuerit contractus validus, Sacramentum non sit; sed tantùm, ne sit validus, nisi tali modo fiat, & ex alia parte Christus legitimum contractum exexit ad Sacramentum; sed quinam sit legitimus contractus, non determinavit, sed Ecclesiæ determinandum reliquit: Res igitur ita se habet, ut Ecclesia reddendo aliquos inhabiles ad contrahendum in aliquibus circumstantiis, materiam non immutet, sed tantùm subtrahat; eo pacto quo si quis vinum calicis auferat, vel inficiat, non immutat materiam consecrationis; semper enim verum erit, vinum usuale esse hujusmodi materiam, & semper verum erit, legitimum contractum esse materiam matrimonii.

288. Dices: hujusmodi conditiones apponere, ac inhabiles reddere contrahentes non ad Ecclesiam, sed ad Principes laicos pertinere; siquidem contractus iste priùs est civilis, quam Sacramentum; in contractibus autem civilibus apud Principes laicos facultas residet, non apud Ecclesiam.

Quid huic instantiæ reponendum sit, patebit ex sequenti articulo. Interim nonnulla dubia proponam.

289. Quæres primo. Utrum Ecclesia, seu Summus Pontifex justam causam habere debeat, ut hujusmodi impedimenta constituat.

Fatentur omnes, peccaturum Pontificem, si absque juxta causa decernere vellet impedimentum prohibens, & multò magis dirimens, etenim injustè alteri injuriam faceret, & sua potestate uteretur non in ædificationem, sed in destructionem; sed difficultas est, utrum lex illa adhuc vim haberet, ac proinde peccarent contrahentes, si impedimentum esset prohibens, aut nullo modo contraherent, si esset dirimens. Aliqui hoc affirmarunt, quia multa potest Pontifex peccando facere,

quæ

quæ tamen tenent, si facta fuerint: Præterea: sicut olim potuit dirimere matrimonium contractum intra septimum consanguinitatis gradum, ut habetur in cap. *Ad Sedem* 35. quæst. 5. donec gradus restricti sunt in cap. *Non debet* de consanguin. & affinit., ita modo poterit in ulterioribus gradibus matrimonium initum dissolvere.

290. Oppositum tamen tenendum est, nempe justam causam necessariam esse, qua deficiente matrimonium etiam cum illis impedimentis contractum validum erit, & licitum. Ratio est, quia potestas & jurisdictio, qua Summus Pontifex præditus est, concessa fuit à Christo ad Christianæ Reipublicæ bonum, atque fidelium utilitatem, & in iis, quæ jure naturali ac divino sunt instituta, nulla est, si causa legitima desit; quemadmodum diximus, nullam in ipsis fore dispensationem, si causa legitima dispensandi deficiet. Atque ex hoc patet, tenere facta à Pontifice, quamvis facta sint cum peccato, si versentur in materia, quæ dumtaxat sub jure humano contineatur. Pro secundo argumento dicendum est, cum Ecclesia interdixit matrimonium usque ad septimum consanguinitatis gradum illum, justas causas habuisse, sicut & justas habuit, cum experientia edocta gradus illos restrinxit, atque idem modo etiam fieri posset, si id causa legitima postularet.

291. Quæres 2. An Summus Pontifex possit ex justa causa inhabilem reddere perpetuo ad matrimonium aliquam privatam personam. Videtur sentiendum negativè; quia hæc persona ad perpetuam continentiam cogeretur, quod est contra cap. *Integritas* 22. q. 1. nihilominus contrarium est verum, licet enim jus naturæ unicuique tribuat matrimonium inire posse; attamen in gravissimam delicti pœnam potest eo jure unumquemque privare, atque inhabilem efficere; sicuti posset vel capite plectere, vel in servitutem redigere, quamvis vita ac libertas sit naturali jure concessa. Urbanum V. hac usum fuisse potestate adversus Bernabonem Vicecomitem, ac ejus liberos Ecclesiæ rebelles, testatur Calderinus penes Alexandrum de Nevo cap. *Tuas* n. 17. de sponsa duorum.

ARTICULUS II.

An Principibus laicis conveniat jus statuendi impedimenta dirimentia, vel probibentia Matrimonii.

292. EX propositæ difficultatis resolutione magis compertum fiet, quod in antecedente exposuimus. Principes laicos in fideles, & infideles distinguamus oportet. Si de istis loquamur, nonnulla statuemus in fine, si verò de illis, de quibus potior difficultas est, non levis dubitatio excitatur: Doctores divisi sunt, sed antequam eorum placita in medium producamus, quædam tanquam certa sunt præmittenda; quæ ut brevius explicentur, verbis utar Bellarmini lib. 1. de matrimonio controversia 6. cap. 32. quæ sunt ista: *Catholici distinguunt de causis matrimonialibus. Quædam enim sunt omninò politicæ, ut de dotibus, de successionibus, de hæreditatibus &c. Quædam sunt omninò spirituales, ut de partibus Sacramenti, de benedictione sacerdotali &c. Quædam partim sunt politicæ, partim spirituales, ut de gradibus cognationis, de divortiis, de impedimentis, & aliis, quæ ad ipsum contractum matrimonii pertinent; quatenùs enim contractus ille naturalis est, materia est politica, quatenùs idem contractus est fundamentum Sacramenti, & res conscientiæ, spiritualis est.*

293. Hisce expositis nulla est difficultas de prioris generis causis; certum enim est ad civilem Magistratum absolutè pertinere, proinde ab ipso leges ferri posse, quibus si matrimonium tali pacto, vel inter tales contrahatur, con-

trahentes dote, successione, atque hæreditate priventur. Pariter de causis secundi generis nulla controversia potest promoveri; constat enim, temporalem potestatem ad res spirituales nullo pacto se extendere, nisi velimus asserere, corpus in spiritum ferre posse sententiam.

294. Tota igitur quæstio revocatur ad matrimonium sub tertia consideratione acceptum. Qua in re Principes laicos facultate non carere, qua impedimenta illud dirementia in ea ratione in qua est contractus civilis, apponere possint, fuit, atque est nonnullorum sententia, cum Soto, Henriquez, Coninch &c. Atque hæc tradita videtur etiam à S. Thom. in 4. sentent. dist. 34. quæst. 1. art. 1. ad 4. ubi inquit: *Matrimonium in quantùm est in officium naturæ, statuitur jure naturæ, in quantùm est in officium communitatis, statuitur jure civili, in quantùm est Sacramentum, statuitur jure divino. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima*. Similia scribit lib. 4. contra Gentiles c. 78. dicens: *Considerandum est, quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua Civitate: ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium societate consistit; unde oportet, quod hujusmodi generatio à diversis dirigatur. In quantùm igitur ordinatur ad bonum naturæ, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc finem; in quantùm verò ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis; in quantùm verò ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet, quod subjaceat regimini Ecclesiastico*.

295. Momenta hujus sententiæ primo repeti possunt ex praxi & usu Principum, qui reverà juxta temporum diversitatem nonnulla statuerunt impedimenta matrimonium dirimentia, quas leges Sancti Patres, necnon Summi Pontifices commendarunt & approbarunt. Hoc videri potest in SS. Ambrosio epist. 66. ad Paternum, Agustino lib. 15. de Civit. cap. 16. qui Theodosium laudant, quia inter consobrinos matrimonium prohibuerat. Hoc in Siricio epist. ad Himerium, in Leone epist. ad Rusticum, Nicolao I. in respons. ad Bulgaros.

296. Secundo ex ratione: Siquidem ipsa natura matrimonii, cum sine civili contractu nequaquàm possit intelligi, Principum laicorum potestati subjici postulat, debent enim Principes jure sibi proprio atque innato omnes civiles contractus ad bonum atque tranquillitatem Reipublicę dirigere & ordinare; & sicuti hoc contingit in aliis, ita etiam in matrimonio, cum etiam ex isto plura publica commoda vel etiam incommoda possint oriri. Quod si hæc potestas conceditur Principibus infidelibus per respectum ad suos subditos; cur fidelibus per respectum ad suos negabitur? Fortasse quia apud fideles matrimonii contractus evectus est ad Sacramenti dignitatem? Hoc postremum fateor; non tamen ex hoc necessariò illud infertur; Christus enim addidit quidem Sacramenti vim atque excellentiam contractui fidelium, attamen istum à naturæ suæ conditionibus non extraxit: imò civilis contractus tanquàm Sacramenti fundamentum præsupponitur.

297. Est vero secunda sententia omninò opposita decernens, nullam esse in Principibus sæcularibus potestatem statuendi impedimenta dirimentia quantùm ad civilem contractum matrimonii, sed eorum facultatem solùm extendi ad hujus contractus consectaria, qualia sunt dos, successio, hæreditas &c. Ut hoc dicant pluribus moventur. Primò quia contractus legitimus matrimonii separari non potest

apud

apud fideles à ratione Sacramenti; ubi autem Sacramentum intervenit sæcularis auctoritas est nulla; & sicut hæc de Sacramentis judicare non potest, ita neque potest de illo contractu, qui inseparabiliter est Sacramentum, dummodo contrahentes velint esse Sacramentum; & quamvis etiam hujusmodi non esset, attamen esse rem pertinentem ad conscientiam ex divina lege pendentem, nemo jure merito ire potest inficias; quæ autem ad conscientiam spectant à civilibus legibus non præscribuntur, nisi cum subordinatione ad Ecclesiasticas; ut patet in quæstionibus de cambiis, & censibus, in quibus interdùm absconduntur usuræ; ergo.

298. Adde modò sacrorum canonum statuta: Reperies in cap. *Tuam* de ordine cognit. causas matrimoniales ad solius Ecclesiæ forum pertinere, & quidem non utcumque, sed ad Episcopos, ut cap. *Multorum*, quod est Alexandri II. causa 35. quæst. 6., & cap. *Accedentibus* de exces. Prælat. Reperies in cap. 1. de sponsali: quemdam ex Gallia duxisse fœminam ex Saxonia, & causatum non esse suam, quia non juxta Francorum legem matrimonium duxerat, ad alias nuptias convolasse; sed per textum definitum esse, quod non obstante ea lege matrimonium illud validum erat. Reperies tandem, ut alia plura prætercam, in cap. *Euphemium* c. 2. quæst. 3. quod est Sancti Gregorii epist. 50. ad Episcopum Corinthi Joannem, ubi dicitur, non effici infames, quos reputat lex civilis, quia ad secundas nuptias transierint; additurque ratio, quia, *Matrimonia hodie reguntur jure poli, non jure fori*. Ex quibus omnibus liquet nullam esse in Principibus laicis potestatem in fidelium matrimoniis.

299. Sed quod magis ad hoc asserendum movere potest, ad duo revocabo: Unum est: Per plures Principum leges requiri ad matrimonii valorem consensum parentum, & tamen Concilium Tridentinum, ut suo loco diximus, declarat rata ac valida illa matrimonia, quæ sine tali consensu contracta sint; ergo circa matrimonii impedimenta nullum jus est in Principibus, neque quantùm ad contractum, in quo ratio Sacramenti fundatur; constat enim, quod si invalidus fieret contractus, jam Sacramentum nullum esset, quia ejus materia deficeret.

Alterum est in suppositione, quæ est possibilis: Demus, Principem sæcularem aliquod statuere impedimentum, quod per Ecclesiam statutum non sit, tunc certè matrimonium esset Sacramentum juxta legem Ecclesiasticam; non esset verò juxta legem civilem. Quid ergo foret dicendum? Si Catholicus es, Ecclesiam asseres prævalere; ergo Principis impedimentum nullum erit; proinde illud apponendi nulla potestas.

300. Atque juxta hæc facilè resolves, quæ pro priori sententia adducta sunt. Quantum attinet ad S. Thom. fatemur impedimenta apponi à jure naturæ, quæ si adsint, matrimonium est nullum; negamus tamen apponi à jure civili secundum se, sed dumtaxat cum subordinatione ad jus Ecclesiasticum, nec illud quidpiam posse, nisi privare dote, successione &c. in quo sensu dici posset, ab illo dirigi in bonum communitatis, & ita intellige secundum Doctoris testimonium. Tale jus civile nullius esse roboris secundum se, colligo ex eodem in 4. dist. 42. quæst. 2. art. 2. ad 4. ubi sic: *Dicendum, quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit*; Arbitrarer tamen, S. Thomam ita loquutum esse de matrimonio prout contrahi potest indifferenter vel à gentili, vel ab infideli, vel fideli; & sic quolibet jure dirimi posse, in gentili quidem per jus naturæ, in infideli per jus naturæ & civile, in fideli per jus naturæ & ecclesiasticum.

Pri-

301. Primum momentum desumptum ex usu ac Principum praxi neutiquàm probat; hoc enim Principes vel usurpatione quadam id fecerunt, vel etiam pietate, ut scilicet Ecclesiasticas leges magis roborarent, seque ad ipsarum executionem subditis compellendis ostenderent paratissimos; in quo sensu Concilium Melivetanum, & Patres legem optabant ab Imperatore, qua decerneretur, illicitum esse post divortium aliam uxorem ducere priore vivente; & sic etiam commendarunt illas leges, tanquàm Ecclesiasticas adjuvantes, etiam in pœnis temporariis determinandis. Hoc manifestè apparet, si intueamur legem à Theodosio latam, ne fierent conjugia consobrinorum, quæ erat juxta Ecclesiæ approbationem ac sanctiones, & inde quia ejus filii legem illam abrogarunt, ut patet l. *Celebrandis* C. de nuptiis, & Justinianus legem edidit, ut licita forent matrimonia inter consobrinos §. *Duorum*, instit. de nuptiis, S. Gregorius restitit, & contrarium statuit in rescripto ad Augustinum Anglorum Episcopum; quæ Pontificis lex, non autem illa Cæsarum in Ecclesia robur obtinuit, ut constat can. *Quædam lex* cau. 35. quæst. 2.

302. Ad secundum momentum, quamvis admittam matrimonium sine civili contractu intelligi non posse; attamen iste talis est, ut nequeat à Sacramenti ratione in Ecclesia Christi separari per aliquas causas, præter contrahentes, & insuper spectet ad morum honestatem, & rem conscientiæ, quæ non à Principum legibus, sed Ecclesiastico judicio dependent, ut dictum fuit. Hæc omnia non valent de matrimonio inito inter infideles; & quamvis Christus illud à conditionibus civilis contractus non extraxerit, attamen elevando ad Sacramenti dignitatem illud Ecclesiasticæ tantùm subdidit jurisdictioni: etiam contractus cambiorum, ac censuum sunt contractus civiles, & tamen juxta Ecclesiasticas leges tanquam regulas diriguntur, præter alia, quæ superiùs diximus.

303. Hæc quidem exposita sunt, ut utriusque sententiæ fundamenta in medium produceremus, ac quænam præferenda sit, appareret. Si quis tamen utramque vellet conciliare, occurrit illorum doctrina, qui existimant, posse quidem Principes jure proprio, ac innata sua auctoritate impedimenta dirimentia suis subditis determinare, quod probant argumenta adducta pro priori sententia, attamen hujusce auctoritatis usum à Summis Pontificibus esse cohibitum, qui sibi solis illum reservarunt, quod probant argumenta posterioris.

304. Et certè hoc postremum ipsi Principes professi sunt, ac in dies profitentur. Cum de aliquo matrimonii impedimento res ageretur ad sacros canones confugerunt, ut plura præteream exempla, illud sit Caroli Magni, qui postquam lib. 5. suorum capitularium certas nuptias prohibuerit, ait: *Ita Gregorius sensit*; *Ita canones prohibent*: Et Carolus Calvus in edicto Pistensi cap. 31. dùm de dissolvendo matrimonio non legali neque legitimo ageretur, inquit: *Sicut Leo in Decretis suis, ut S. Gregorius in Epistolis monstrant*. Tempore verò Concilii Tridentini Oratores Regis Christianissimi à Patribus postularunt, ut juberent irritari matrimonia illa, quæ fierent insciis parentibus; cui tamen petitioni Concilium non annuit. Ex quibus constat, sive unum dicamus, sive alterum, in matrimonii impedimentis statuendis Ecclesisticam tantùm auctoritatem esse agnoscendam.

305. Ut verò aliquid de Principibus infidelibus per respectum ad suos subditos infideles dicamus, jam patet ex superiùs indicatis, esse apud istos facultatem prohibendi ac dirimendi matrimonia, cum matrimonium apud ipsos Sacramentum non sit, sed merè civilis con-

contractus, ex quo bonum vel malum in Republica, quam Principes administrant, cuique præsunt, potest oriri; & ex alia parte Principes isti, sicut & subditi, Ecclesiasticis legibus non tenentur, cum sint extra Ecclesiam, quæ de iis, qui foris sunt, minimè judicat. Hoc eadem ratione dicendum est, quod si infideles subjecti Principibus Christianis contendant matrimonium semel initum, vel esse nullum, vel divortio quoad thorum & cohabitationem scindendum, solum Judicem sæcularem esse competentem. Quid verò sentiendum, si alter conjugum Catholicam Fidem amplexus sit? sentiendum, actorem rei forum sequi debere ex cap. *Si Clericus*. Unde si res ab infideli agatur contra fidelem ad Judicem Ecclesiasticum res est deferenda, è contra, si à fideli contra infidelem; & quamvis, ut diximus, matrimonium hoc neque ex parte fidelis sit Sacramentum; attamen est res spiritualis ad mores pertinens & conscientiam.

306. Cum autem dictum sit, hujusmodi impedimenta statuere pertinere ad Ecclesiam, & Romanum Pontificem, inquiri potest, an tali facultate gaudeant etiam Episcopi in propria Diœcesi.

Conveniunt Doctores, in eis facultatem istam non esse expeditam, quia antiqua Ecclesiæ consuetudine id tantùm Concilio Generali, ac Summo Pontifici reservatum censetur. Sola igitur quæstio est, an ex vi proprii muneris, & Episcopalis jurisdictionis id ipsis conveniat. Doctores illi, qui existimant, Episcopum ex vi suæ ordinationis nullam habere jurisdictionem, sed hanc accipere à Summo Pontifice, quales sunt Suarez, & Coninch., dicunt, illum statuere posse tantùm impedimentum prohibens, non verò dirimens. Contrarium defendunt Victoria relect. de matrim. 1. par. secundæ partis, Covar. 2. par. 4. Decret. cap. 6. num. 10., Tabien., Armilla, Bonacina, Aversa &c.; etenim quantùm spectat ad externam jurisdictionem, quidquid potest Pontifex in toto Orbe, potest Episcopus in propria Diœcesi, nisi aliquid Summus Pontifex sibi reservet, cum Episcopalis facultas Summo Pontifici sit subjecta. Certè Episcopus ex vi suæ ordinationis est propriè & perfectè Pastor; habet igitur potestatem eas leges condendi, quæ suarum ovium saluti magis expedire videntur; & falsum est, omnem ejus jurisdictionem accipi à Summo Pontifice, cum Actorum 20. legatur; *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Accipit igitur jurisdictionem à Deo; sed quia est jurisdictio Romano Pontifici subjecta, à Romano Pontifice potest impediri, & ita res se habet in casu.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De impedimentis dirimentibus in particulari.

ARTICULUS I.

De impedimento erroris.

307. Error ab ignorantia differt, quod ista nullam præviam cognitionem supponat, sed consistat tantùm in negatione scientiæ, & appelletur simplicis negationis; ille verò in judicio perverso intellectus, & dicatur ignorantia pravæ dispositionis; ut enim ait S. August. in Enchir. cap. 21., & habetur in cap. *Quibus* 22. quæst. 2., errare est unum pro alio putare. Hinc pressiùs loquendo, ignorantia aufert cognitionem, error veritatem cognitionis, non cognitionem. Porrò juxta Magistrum sentent. in 4. dist. 30. cap. 1. cæterosque ejus expositores, error quadruplex est. Primus personæ; cum una pro alia supponitur: Secundus conditionis servilis; cum existimat quis contrahere cum libera, & est ancilla. Tertius qualitatis; cum judicat quis contrahere cum venusta, nobili, & virgine, & est deformis, plebeja, & corrupta. Quartus fortunæ, cum censetur dives, & pauper invenitur. Porrò quicunque sit error, duplex est; Unus antecedens actum, & est causa actus, quia si non esset, nullo pacto actus fieret; alius concomitans, qui ad actum non inducit, sed ita in actu reperitur, ut quamvis non esset, adhuc actus haberetur. Hisce expositis.

308. Dico 1. errorem personæ sive antecedentem, sive concomitantem irritum reddere matrimonium; & hoc non tantùm jure positivo, quod omnes concedunt, saltem de errore antecedenti, sed etiam jure naturali.

Ratio est, quia ad valorem contractus requiritur jure naturæ consensus liber; error autem hunc adimit l. *Si per errorem* ff. de jurisdictione omn. jud., & errantis nullus est consensus & voluntas, l. *Cum testamentum*, & l. *Non idcircò* C. de juris & facti ignorant. & quamvis error concomitans ità se habeat, ut ille, qui Mariam ducit putans esse Theresiam, ita esset animo affectus, ut Mariam æqualiter, imò & libentiùs duceret; attamen hujusmodi animi præparatio atque indifferentia non sufficit; quia per ipsam habetur consensus quidem habitualis, & in dispositione, non tamen actualis & de præsenti, sicuti postulat matrimonium. Aliud enim est dicere, consentio in talem personam, & aliud, consentirem, etiamsi foret alia persona. Si autem quis ita se gereret, ut diceret, se habere consensum contrahendi cum hac persona, quæcumque illa sit, tunc matrimonium valeret, quia esset consensus præsens & determinatus cum illa, & tunc nullus error contingeret.

309. Contra hoc aliqua sunt argumenta. 1. Reliqua Sacramenta non sunt irrita, quamvis error circa personam contingat; validè enim baptizatur Petrus, etiamsi existimetur Paulus; ergò à pari. 2. In reliquis contractibus error personæ non officit; valet enim emptio vel venditio, quamvis fiat à Paulo vel cum Paulo, qui judicabatur Petrus. 3. In veteri Testamento fuit verum matrimonium inter Jacob & Liam, quæ loco Rachelis supposita fuit, & Isaac benedicens Jacob erravit circa per-

personam, quam putavit Esau, & tamen valida fuit illa benedictio; ergo similiter &c.

310. Ista non probant. Non prima duo; etenim hoc est discrimen inter reliqua Sacramenta, alios contractus, & matrimonium; quod in illis conditio seu qualitas individualis personæ omninò sit accidentaria & extrinseca; siquidem ad finem baptismi, v. g. nihil confert, quod sit ista vel illa persona, dummodò sit persona præsens, ad quam dirigitur intentio baptizantis, è contra ratio individua personæ afficit intrinsecè ac substantialiter matrimonium; cum requiratur essentialiter mutuus consensus, & mutua corporum traditio. Pariter id contingit in aliis contractibus emptionis & venditionis; accidit enim hanc vel illam personam emere vel vendere, & justitia commutativa, ad quam contractus, qui onerosi sunt, referuntur, tantummodo respicit æqualitatem inter rem & pretium, ad quam procul dubio non pertinet conditio individualis personæ, cæterum etiam alii contractus irriti sunt; si error contingat circa substantiam, & in hoc matrimonio sunt similes.

Ad tertium. Quando Jacob cognovit Liam, existimans esse Rachelem, non fuit verum matrimonium, sed tantùm dum postea positivè consensit, se eam habere in uxorem, ut constat ex cap. Gen. 29. Juxta hæc dicendum ad quartum, videlicet benedictionem Isaac valorem suum obtinuisse, non priusquam Isaac divina cognita voluntate illam confirmaverit, & hæc est responsio Sancti Augustini lib. 6. de Civit. cap. 37., necnon Theodoreti quæst. 79. in Gen., Abulensis verò in cap. 27. Gen. quæst. 7. censet, Isaac suam benedictionem direxisse, ad filium præsentem, utervis ex illis esset. Sed hoc mihi non placet, cum priùs diligenter quæsierit, quisnam esset vel Jacob, vel Esau, & inde Esau clamore magno conquerenti dixerit: *Venit germanus tuus fraudolenter, & accepit benedictionem tuam.*

311. Dico 2. errorem nobilitatis, vel divitiarum, aut aliarum qualitatum per se loquendo invalidum non reddere matrimonium.

Ratio est, quia error iste sive concomitans, sive antecedens non versatur in eo, quod per se est objectum contractus, sed tantùm circa id, quod est accidentarium & extrinsecum; ergo relinquit consensum liberum, & simpliciter voluntarium, quamvis secundum quid illum efficiat involuntarium, quod non est ad rem. Dixi in assertione *per se*, quia si matrimonium dependeret ab illis qualitatibus, tanquàm necessariis conditionibus, vel etiam error circa qualitates errorem gigneret circa personam, tunc procul dubio tenendum est, errorem istum matrimonii valorem destruere. Ratio primi est, quia in hoc casu conditio illa spectaret essentialiter ad objectum contractus, proinde illa non extante, consensus deesset, quo deficiente contractus est nullus. Pro secundo non est cur aliquid proferam, cum ea illud probent, quæ superiùs adducta sunt, & ideò si quæ mulier Principis filia velit, ex. ca. nubere cum primogenito alterius Principis sibi noto non aliunde, quàm per famam; loco autem istius daretur filius secundò genitus, matrimonium esset nullum, quia esset per errorem qualitatis in personam redundantis, & esset sicut error personæ, quæ est doctrina S. Thom. in 4. dist. 30. quæst. 1. art. 2. ad 5., & communissima aliorum Doctorum.

312. Sunt tamen aliqui asserentes, errorem antecedentem qualitatis irritum reddere matrimonium in foro interno, quamvis valorem non adimat in foro externo. Præter alia momenta ducuntur primò, quia voluntas sequitur intellectus judicium; si igitur intellectus judicat hanc fœminam tanquam virginem, nobilem, & divitem, vo-

luntas consensum non præbet nisi sub hoc judicio; ergo existente hujusmodi qualitatum errore, cessat consensus, & matrimonium fit nullum. Secundò: Non acquiritur dominium corporis traditi sub aliqua ficta qualitate; sicuti si quis ficta paupertate eleemosynam ab alio acciperet, pecuniæ in eleemosynam acceptæ dominium non acquireret. Denique: Votum cum simili errore emissum non tenet; ergo neque matrimonium.

313. Frustra Doctores isti distinguunt inter forum internum & externum; nam judicium hoc, quo matrimonium illud decernitur validum, non debet desumi à præsumptione, sed à veritate consensus, qua cognita, idem etiam sentiret forum externum; ut multos Doctores afferendo probat Sanchez lib. 7. disp. 18. num. 18. sed ad argumenta deveniamus. Primum valet, si sermo sit de consensu omni ex parte voluntario; non si de illo, qui fit simpliciter voluntarius, & secundum quid involuntarius, ut in re nostra contingere declaravi. Ad 2. si trasmittam antecedens, quod valdè dubium est, dispar ratio non deest; siquidem in priori casu error contingit in substantia; Quodnam enim est objectum misericordiæ, cujus actus est elargitio eleemosynæ? non aliud per se & suapte natura quàm paupertas, cui erogatur; è contrario error in qualitate in sensu assertionis nostræ est quoddam accidentarium & extrinsecum substantiæ matrimonii. Ad 3. diversa est ratio inter votum simplex ex una parte, & matrimonium ex alia, ut ex utriusque natura manifestum est; atque ne ad plura me conferam, votum præsertim versatur circa rei qualitates; matrimonium circa rei substantiam.

314. Non desunt Doctores existimantes, quod etsi hujusmodi error matrimonium non dirimat; aliquando tamen efficit, ut conjux ad illud consummandum minimè teneatur, ut si quispiam ducat fœminam putans illam esse virginem, & ante consummationem cognoscat esse corruptam. Ita præ cæteris Vivaldus 1. par. de matrim. n. 118. qui pro se affert Hugonem, & Sylvestrum; Verum isti loquuntur de sola sponsa de futuro, & certum est, hunc errorem sufficientem causam esse sponsalia dissolvendi; at matrimonio semel inito vir ad consummandum tenebitur, vel ad religiosam professionem emittendam.

ARTICULUS II.

De impedimento conditionis.

315. Si conditionis nomen juxta suam propriam significationem usurparemus; impedimentum, de quo loquimur, ad consensum conditionatum referretur, ut habetur cap. *finali* de condit. opposit., & optimè observat Scot. in 4. dist. 4. lit. N. Verùm in præsenti sumitur pro statu servili, quam impedimentum dirimens esse nos dicimus, si ignoretur. Triplicem servitutis gradum distinguunt jurisperiti. Alii dicuntur servi adscriptitii, & sunt illi, qui perpetuò ad colenda prædia addicti sunt, quorum prædiorum fructus præter sumptus & victum domino acquirunt. Alii appellantur originarii, & sunt illi, qui ex adscriptitiis ortum deducunt. Alii denique sunt ita servi, atque ita domini potestati subsunt, ut pro libito vendi, locari, ac permutari possint; & tantùm de istis sermo contingit; cùm priores verè liberi sint, quamvis ad nonnulla teneantur.

316. Nonnulla priùs tanquàm certa præmittenda sunt. Primò: Jure antiquo Romano conjunctio servi cum ancilla non matrimonium, sed contubernium appellabatur, ut habetur l. 14. *de ritu nuptiarum*, & tit. 5. codic. *De incestis nupt.* in quo sensu loquutus est S. Leo Papa epist. 2. ad Rusticum Narbore. dicens, non omnem mulierem jun-

junctam viro esse uxorem, sicut nec omnem filium esse patris hæredem, & nuptiarum fœdera inter ingenuos esse legitima. Hoc tamen jus civile correctum & emendatum fuit per jus Ecclesiasticum, & nunc definitum habemus, verum esse inter servos matrimonium cap. *De conjugio servorum*, cap. *Si quis liber*, & cap. *Si quis ingenuus*; clariùs verò cap. *Dignum est* lib. 4. Decret. tit. 9. leguntur hæc verba: *Sicut juxta verbum Apostoli in Christo Jesu neque liber, neque servus est à Sacramentis Ecclesiæ removendus; ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & si contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla sunt ratione propter hoc dissolvenda*. Hinc S. Th. 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp. docet, non teneri servos dominis obedire de matrimonio contrahendo, vel servanda virginitate.

317. Secundò certum est: Matrimonium contractum cum errore servitutis invalidum non esse, quando persona cum qua contrahitur, aut æqualis, aut melioris est conditionis; quia appositum est hoc impedimentum, ne fieret injuria personis liberis; in casu autem nulla fieret injuria; & ita decernitur in cap. *Si quis*, & in cap. *Ad nostram*; & ideò servus contrahens cum serva, quam credebat esse liberam, vel contrahens cum libera, quam putabat esse servam, validè contrahit.

318. Deveniendo igitur ad id, quod in controversiam vocari potest. Inquiritur primò, an error, seu ignorantia conditionis servilis dirimat matrimonium.

Responsio est affirmativa: Innocent. III. lib. 4. Decret. tit. 9. cap. 4. hæc habet: *Si constiterit, quod liber ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem; contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem*. Similia leguntur in Concil. Vermeriensi can. 6. Rationem afferunt S. Th. in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 2., & Scot. ibid. dist. 36. quæst. 1. art. 1. quia liber intendit potestatem sui corporis facere, & alterius corporis potestatem acquirere; atqui servus non potest facultatem istam tribuere, quia per servitutem ita est subditus domino, ut possit vendi, & in longinquas mitti regiones; ergo.

319. Ex his habes, quod si post contractum matrimonium inter liberum & servam, innotescat conditio servitutis; & facto vel verbo consensum præstiterit, matrimonium validum est; quod & statuit Alexander III. cap. *Proposuit* de conjugio servorum, ubi dicit: *Mandamus, quatenus si constiterit, quod idem vir præfatam mulierem, postquam illam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit, ipsum monitione præmissa compellatis, ut eam sicut uxorem maritali affectu pertractet*.

320. Sed hìc secundò quæritur, quis error, vel quæ ignorantia sufficiat ad matrimonium reddendum invalidum. Affirmant aliqui, necessariam esse ignorantiam invincibilem, & errorem non levem, inter istos Sot. in 4. dist. 33. quæst. unica art. 2. Rationes sunt, primò: quia ideo irrita censentur matrimonia ex errore seu ignorantia conditionis contracta, ut resarciatur injuria irrogata conjugi ignoranti & erranti; at si ignorantia sit crassa & vincibilis, & error levis, hujusmodi injuria non est; ergo. Secundò: Metus levis matrimonium non irritat; ergo neque irritat levis ignorantia; & sicut jura nihili faciunt inanem hominis timorem l. *Metum* ff. de eo quo; ita nihili habent fatuam imprudentis ignorantiam. Tertiò: Ignorantia vincibilis & crassa æquiparatur scientiæ; & ubi est materia pœnalis & odiosa, si lex punit delictum scienter perpetratum, hæc ignorantia à pœna nequaquàm censetur eximere.

321. Sententiam hanc probabilem esse inficiatur nemo: Alii tamen oppo-

ſitam probabiliorem eſſe arbitrantur, ut Abbas, Alexander de Nevo, Sanchez, Coninch, Averſa &c. Momenta eſſe poſſunt. Primò: Ut valeat matrimonium liberi cum ſerva, electio debet eſſe libera & omni ex parte voluntaria, cum contrahens juri ſuo liberè cedat; non eſt autem electio libera, & omninò voluntaria, ſi ignorantia ſit & error quantumvis vincibilis & levis; ſicut ſi vellem Petro donare centum, & ex ignorantia etiam craſſa, & errore leviſſimo donarem Paulo, donatio prorsùs irrita eſſet; quia deeſt donandi voluntas; ergo. Secundò: Matrimonium non tenet, ſi fiat cum ignorantia & errore etiam vincibili & levi perſonæ, cum qua contrahitur; ergo etiam ſi fiat cum ſimili ignorantia & errore ætiam conditionis ſervilis; & ideò primum, quia conſenſus formalis ac directus in illam perſonam aufertur; ſed etiam aufertur in ſecundo caſu, quia nemo cenſetur hoc pacto cedere directè ac formaliter juri ſuo perſonali, & individuo; ergo. Alia leges apud laudatos Doctores.

322. Hinc ad rationes num. 320. expoſitas dicunt, non eſſe eamdem injuriam quoad modum, eſſe tamen quoad rem; jura autem hanc reſpiciunt, nequaquàm illam. Ad 2. ideò illud contingit, quia metus non aufert conſenſum liberum, ſed tantùm minuit conſenſus libertatem; error autem quicumque ſit aufert conſenſum liberum circa rem, in qua verſatur. Ad tertium: fateor, ignorantiam vincibilem & craſſam æquiparari ſcientiæ, ubi eſt materia pœnalis & odioſa; ſi ſit præceptum obligans ad diligentiam adhibendam. At in re noſtra nullum eſt præceptum ita obligans, quia nullum eſt præceptum contrahendi cum perſona liberæ conditionis; proinde &c.

323. Quæritur tertiò: Quo jure error conditionis ſervilis dirimat matrimonium.

Dirimere non tantùm jure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali & divino docent Scotiſtæ cum ſuo Doctore in 4. diſ. 30. q. 1. nec non diſ. 42. q. unica. §. *Ex dictis breviter*, & præter Scotiſtas Palacius, Sylveſter, Petrus de Soto, Almain., Sylvius &c. imò & S. Th. cujus rationes ſunt eædem, quas affert Doctor ſubtilis. Hujuſce aſſertionis, quam probabiliorem exiſtimo contra Sanchez & alios, quos ipſe refert, fundamentum non debet deſumi ex eo, quod ſervitus ex natura rei matrimonio repugnet; alioquin ſervorum conjugia etiam ſcienter facta forent invalida, quod ex dictis eſt falſum; ſed quia prædictus error auferat conſenſum ad matrimonium requiſitum: ſicut enim talis conſenſus aufertur per errorem perſonæ, & qualitatis, quæ in perſonam redundat; ita etiam error ſervitutis, qui tali modo perſonam afficit: Ratio hujus poſtremi eſt, quia contrahens ex vi conſenſus intendit æqualitatem in contractu; ita ut, quemadmodùm transfert liberam ſui corporis poteſtatem alteri, ita liberam velit poteſtatem alterius; nemo enim ſibi præjudicium inferre cenſetur, ſed ſemper æqualitatem inter datum & acceptum velle præſumendus eſt; ſed hæc libera poteſtas & æqualitas haberi non poteſt ab eo, qui ſervitutis legibus detinetur; ergo error ſervitutis jure naturæ dirimit matrimonium.

324. Qui verò oppoſitum ſuſtinent, aſſeruntque hoc eſſe impedimentum à jure Eccleſiaſtico promanans, ſequentia argumenta proponunt. Primò. Quamvis ſervitus impediat liberam traditionem corporis certis temporibus, nempè quando juſtè & rationabiliter ſervus occupatur à Domino; attamen non impedit abſolutè & ſimpliciter; hoc autem matrimonii ſubſtantiam ſervat, cui ſatis eſt abſoluta alieni corporis poteſtas, & obligatio reddendi debitum, quandò juſtum impedimentum non prohibet; ergo. Secundò. Si argumentum pro priori ſententia allatum vale-

valeret, etiam ſervitus cognita matrimonium dirimeret, quia etiam illa liberam alterius corporis poteſtatem prohibet; at hoc eſt falſum; ergo & illud. Quod ſi dicas; ſtante cognitione ſervitutis liberum conjugem cedere juri ſuo; contra eſt, quod ea, quæ pertinent ad matrimonii valorem non poſſunt per alterius conſenſum immutari; proinde nihil prodeſt juris ſui ceſſio: ſicuti, quia naturalis impotentia ad copulam eſt naturali jure impedimentum matrimonii, nihil refert, eam ab altero conjuge fuiſſe cognitam, ut matrimonium valeat. Tertiò: Matrimonii uſus plus impeditur per lepram, & morbum diuturnum, quàm per conditionem ſervitutis; & tamen illa matrimoniom non dirimunt; ergo.

325. Hæc rejicienda ſunt, ut probabilius appareat, quod probabilius eſſe jam diximus. Ad primum Conc. maj. & minor eſt vera, quando hujuſmodi abſoluta poteſtas ſervatur æqualiter, quæ æqualitas in omnibus contractibus oneroſis jure naturæ ſtatuta eſt, tamquàm conditio per ſe requiſita ad valorem contractus. Ad ſecundum; jam præmonui, ſervitutem ſecundùm ſe non impedire valorem matrimonii, impedit autem impotentia naturalis ad copulam; impedit igitur tantùm ſervitutis error, ſeu ignorantia, quibus ſtantibus conſenſus non eſt liber & voluntarius, neque formalis & directus in eam perſonam, ut dictum fuit. Ad ultimum, ea per accidens ſe habent, & jam ſupponunt, liberum ac voluntarium conſenſum præextitiſſe.

326. Quoniam hìc de ſervitute actum eſt, placet inquirere, utrùm qui nati ſunt ex Patre libero, & ex Matre nequaquam tali, ſequi debeant conditionem Patris, vel Matris.

Dico 1., ſi de honoribus ac nobilitate ſit ſermo, ſequuntur conditionem Patris. Hoc expreſſè habetur *l. Cum legitimè*. ff. de ſtatu hominum. Rationem affert S. Th. in 4. diſt. 36. q. unica art. 4. quia filius eſſe recipit à Patre tamquàm à præcipua cauſa efficiente, & principio nobiliori; atque hoc dicendum eſſe etiam de filio naturali, aſſerit Tiraquellus cap. 25. de nobilit. num. 10. non quidem ex jure communi, quod contrarium eſt; ſed ex conſuetudine.

Si autem filius naturalis habeatur ex Patre nobili, & ex ancilla, paternam nobilitatem non conſequitur, niſi cum manumittitur; etenim quamdiu manet ſervituti ſubjectus, nobilis eſſe non poteſt; ſervi enim juxta jus civile pro nihilo reputantur, ſed quaſi mortui habentur, regula *Quod attinet* ff. de regulis juris, & l. *Si ſibi homo* §. Cum ſervus. At cum à ſervitutis lege ſolutus fuerit, Patris nobilitatem comparat; quia nobilitas eſt quoddam jus ſanguinis incommutabile l. *Jus agnationis* ff. de pactis. Jura autem ſanguinis nullo jure civili dirimi poſſunt, ſed tantùm impediri; regula *Jura ſanguinis* ff. de regulis juris. Servitus igitur nobilitatem tegit, non aufert, & ea ablata ſtatim apparet nobilitas.

327. Dico 2. Si de ſervitute loquamur, filii ſequuntur conditionem matris; ideò ſi mater ancilla ſit, filii ſunt illius ſervi cujus eſt mater, & ſi mater ſit libera, filii quoque erunt liberi, quamvis Pater ſit ſervus. Hæc erat lex Exodi 21. ubi habetur. *Si Dominus dederit ancillam ſuam alicui in uxorem, & peperit filios, & filias, mulier & liberi ejus erunt Domini ſui*. Et hæc etiam eſt lex nova, l. *Partum* 7. c. de rei vendicat., & c. *Finali* de ſervis non ordinan. Plures hujuſce aſſertionis rationes afferri ſolent, ſed eam potiorem exiſtimo, quam affert Angelus inſtit. de ingenuis §. *Sed ſi quis*. Quia nimirum incertum eſt, à quo patre filius ſit genitus, certum autem eſt, à qua matre natus ſit; quod verò ſequatur patris incerti nobilitatem nullum damnum infertur Domino; infertur tamen ſi ſequatur patris incerti libertatem; Præterea: Mater pariendo mortis periculo exponitur, cui pater

pater non subest; Dominus igitur matris exponitur periculo servum amittendi, & ideo debet etiam per fœtus adeptionem commodum experiri, juxta illud, *Qui sentit damnum, sentire debet & commodum*.

Plura alia exponerem de servitute, sed inter Christianos, hoc servitutis impedimentum vix locum habet, proinde satis superque sunt, quæ produximus.

ARTICULUS III.

De impedimento voti.

328. NOn de simplici castitatis voto, sed de solemni sermo noster primò instituitur. Quomodo autem differant inter se votum simplex, & solemne, Doctorum placita varia sunt, quæ inferius proferam.

329. Dicendum 1. votum solemne irritum ac nullum reddere matrimonium, quod qui ita voverint contrahere pertentaverint. Hoc Lutherus in lib. de captivit. cap. de matrimonio prius professus est, asserens votum esse impedimentum legitimum; sed deinde semper negavit non solùm scripto, sed facto, cum monialem duxerit in uxorem.

Hujusmodi veritas in Ecclesia Christi fuit semper servata, ac tradita. Hoc ostendit Bellarminus afferendo Concilium Toletanum primum celebratum circa ann. Domini 400., Chalcedonen. generale, Forojuliense, Turonicum, Triburiense, in quibus omnibus præcipitur, ut quotquot post solemne votum contraxerint, separentur, atque ad pœnitentiam agendam intra claustra perpetuò redigantur. Ex Summis Pontificibus profert Syricium Epistol. 1. cap. 6., Innocent. I. Epistol. 2. cap. 12. Gelasium I. Epist. 1. cap. 22., Gregor. I. lib. 1. Epistolarum Epist. 40. Ego paucioribus contentus ero, & proferam duntaxat Lateran. 2. sub Innocen. II., quod cap. 7. sic effatur. *Statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri &c. Regulares Canonici, & Monachi, atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationum, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus*. Denique Tridentinum, quod sess. 24. can. 9. sic definit. *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit*.

330. Hasce definitiones præiverant Sanctorum Patrum sententiæ. Clarissima est illa Sancti Basilii in lib. de virginit. prope medium dicentis. *Cum virginitatem Domino professæ sint, carnali postea voluptate delinita ac devictæ, stupri scelus honesto conjugii nomine obtegere cupiunt; Non ignorant hujusmodi, quamvis ignorantiam simulent, quæ sponsi dexteram, & fœdera prævaricata sit, eam nec illius ultra esse sponsam, quem dereliquit, nec ejus uxorem per ullas leges dici posse, cui se, deserto sponso, libidine incitata conjunxit*. Clarissima illa Ambrosii in lib. ad Virginem lapsam cap. 5. hæc habentis: *Quæ se spopondit Christo, & sacrum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro, & jam si voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat*. Tandem Chrysost. Epist. 6. ad Theodorum sic effatur: *Honorabiles nuptiæ, sed te jam servare non convenit privilegia nuptiarum: Quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud pejus existimo*.

331. Hæc adversùs Hæreticos dicta sunt; Verùm inter Catholicos non levis difficultas promovetur, quo jure solemne votum dirimat matrimonium.

Ut hoc intelligatur, afferendum est discrimen, quod statuitur inter votum simplex, & solemne.

Mis-

Missam facio sententiam illorum, qui dicunt voti solemnis essentiam consistere in benedictione spirituali, seu in consecratione, per quam professionem emittens ad opera carnis, proinde ad matrimonium contrahendum inhabilis redditur; etenim quam falsa sit, satis constat ex quo tùm in Societate Jesu, tùm in Religione Sancti Dominici, & puto etiam in aliquibus aliis, absque tali benedictione; seu consecratione professio solemnis fiat.

332. Est igitur sententia, quam plurimi docent, hoc esse discrimen inter votum solemne, & simplex; quod istud sit dumtaxat promissio castitatis, & continentiæ servandæ; illud verò sit actualis traditio dominii sui ipsius in manus Dei, non quidem immediatè; sed mediis iis, qui vices Dei agunt; sic loquentes de voto simplici sicut de sponsalibus, de voto autem solemni sicut de matrimonio; ut inde concludant, votum solemne jure naturali divino dirimere matrimonium. Plurima momenta proferunt, ex quibus ego aliqua prætereo, iis contentus, quibus ipsorum assertio potissimùm innititur.

Primum sit, quod aliter explicando votum solemne, religiosæ professionis excellentia non ita servatur, sicuti Sancti Patres servandam esse contendunt; ait S. Hieronymus in epist. 25. ad Paulam, statum religiosum esse veluti secundum baptismum, & ideò S. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 3. ad 3. asserit, per illam omnia peccata deleri quoad pœnam, quod jam priùs docuerunt S. Bernardus in lib. de dispensat. & præcepto, necnon S. Anselmus in fine libri de similitudinibus; hæc autem omnia dici, vel credi vix possunt, si professionis essentia, seu voti solemnis natura tantùm in Ecclesiastico jure foret collocanda, & non in perfecta traditione, & omni sui ipsius dominii in Deum translatione.

Præterea: Professio religiosa appellatur mors; hujusmodi autem non esset, nisi foret renuntiatio omnimoda propriæ voluntatis, corporis, & rerum omnium. Adde: Gregor. XIII. in Bulla, quæ incipit: *Ascendente Domino* dixisse, vota biennii Societatis Jesu esse simplicia, & tamen ab ipso statutum esse, sic voventes inhabiles fieri ad matrimonium contrahendum, igitur votum solemne non differt à simplici solo jure Ecclesiastico, quo ipsi annexa sit incapacitas matrimonii; differet ergo, quia in voto simplici non est perfecta traditio, sed tantùm promissio castitatis; in solemni verò est perfecta actualis translatio dominii sui ipsius in Deum; quæ perfecta translatio in tribus perficitur, nempe in objecto, circa quod versatur, in perpetuitate & independentia ab omni eventu, & in perpetua incapacitate cujuscumque dominii, & facultatis in alium transferendi, quod postremum nulli simplici voto potest convenire.

333. Ex hac doctrina inferunt, votum solemne jure naturali divino matrimonium subsequens dirimere; res enim semel tradita uni, atque in ejus dominium translata, ab eoque possessa ex natura rei non potest alteri tradi, & in alterius dominium transferri; ergo cùm per votum solemne homo se ipsum tradat Religioni & Deo, non potest ulterius se tradere alteri per matrimonium. Contrarium verò contingit in voto simplici, per quod homo actu se non tradit, sed tantum se promittit; res autem uni promissa quamvis licitè alteri tradi non possit, potest tamen validè; atque ideò hoc tantùm matrimonium prohibet, non tamen dirimit. Hic explicandi modus tribuitur S. Th. in 4. dist. 38. quæstiunc. 2. in corpore, S. Bonaventuræ ibidem quæst. 1. art. 2., Durando, Capreolo, Soto, Ledesmę &c.

334. Est verò alia sententia, quæ mihi probabilior videtur, docens, votum solemne & simplex inter se essentialiter & ex rei natura nequaquàm differre, sed solum extrinsecè, acciden-

ta-

tariè, & Ecclesiastica institutione, qua decretum fuit, ut votum solemne matrimonium dirimeret, non sic votum simplex. Concedit autem omnia argumenta superiùs allata, sed dicit, quod non minùs in voto simplici castitatis perfectè fit traditio proprii corporis Deo, quàm fiat per votum solemne; cum non minùs transferatur ad Deum id, quod immediatè ac privatè Deo traditur, ut contingit in voto simplici, quam quod ipsi datur mediante Ecclesia, vel homine, cui tale votum Dei nomine acceptandi est commissa facultas.

Et si reponas, Deum non acceptare traditionem corporis sibi factam immediatè, sed solùm factam medio homine, vel Ecclesia acceptante; hoc quo pacto probabis? Quam scripturam afferes? imò ego afferam scripturas omnes, in quibus de voto fit sermo absque aliqua distinctione inter votum simplex ac solemne, sed absolutè dici, voventem teneri ad id, quo voto se adstrinxit; Ratio etiam tibi contraria statim apparet; siquidem votum simplex castitatis est res Deo grata, nec alicubi per Ecclesiam prohibita, nisi adsit aliunde impedimentum; ergo etiam à Deo acceptatur. Non igitur ex ratione superiùs adducta inferri potest, votum simplex non dirimere matrimonium subsequens, dirimere verò votum solemne, sed tantùm quia Ecclesia sic statuit. Si autem quæras quare sic statuerit, rationem satis aptam affert Doctor subtilis in 4. dist. 38. quæst. unica; quia qui simpliciter vovit, se tantùm Dei manibus tradidit, qui verò vovit solemniter, se etiam tradidit Ecclesiæ potestati, & ideò voventem solemniter Ecclesia cogit ad non contrahendum, illum inhabilem reddendo; voventem verò non solemniter judicio tantùm divino relinquit, unde fit, peccare quidem lethaliter, si matrimonium contrahat, non tamen ejus matrimonium nullum esse penes Ecclesiam, quæ de hujusmodi nullam fert, præter sacramentalem, sententiam.

335. Quod verò nos dicimus, ex Summorum Pontificum Decretis apertè colligitur. In cap. unico *De voto* in 6. legitur: *Voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inventa*, in quo textu non est tantùm sermo de solemnitate accidentali, siquidem Pontifex rogatus fuerat, per quod votum solemne matrimonium dirimatur, & ideò ejus responsio prorsùs corrueret, si per id respondisset, quod accidentarium est, cum nunquam ex accidentibus res sit definienda; & reverà si auferatur Ecclesiæ statutum, nullum votum esset solemne, ut constat in fœminis, quæ licet se tradant superiori, in cujus manibus vovent, earum votum solemne non est, quia Ecclesia talia vota ut solemnia non acceptat; & è contrario si statueret, ea vota futura solemnia, hujusmodi utique forent; Itaque ex sola Ecclesiæ institutione pendet votum vel esse simplex, vel solemne; non autem ex rei natura.

336. Præterea: cap. *Rursus*, *Qui Clerici*, dicitur, votum simplex non minùs obligare apud Deum, quàm votum solemne, imò antè Cælestinum III. cujus est laudatum caput, & ante Alexandrum III. cujus sunt cap. *Insinuante*, & cap. *Meminimus* hujusmodi distinctio voti simplicis & solemnis audita non est: S. Augustinus in Psalm. 75. nonnullas votorum species adducit, simplex & solemne non memorat: Hugo de S. Victore serm. de institut. Monastica votum dividit in ocultum & publicum; & quamvis apud Theodorum Cantuariensem, ut refertur in cap. *Si vir* dist. 27. voti simplicis fiat mentio, id tamen additum fuit ab aliquo juris Pontificii Doctore, cum id non habeatur in cap. *Si quis votum* 27. quæst. 1., ubi prædictum caput refertur.

337. Denique id expressiùs colligitur ex Bulla Gregorii XIII. concessa Societati Jesu an. 1584. quæ incipit: *Ascendente Domino*, in qua Summus Pontifex decernit, vota, quæ post biennium

nium omittuntur ab iis, quibus summopere addictus sum, religiosis, esse simplicia, & tamen in eis esse veram traditionem, & acceptationem Ecclesiæ. Ecce verba: *Statuimus, atque decernimus, tria vota hujusmodi, etsi simplicia ex hujus Sedis institutione, ac nostra etiam declaratione & confirmatione, esse verè substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate, tanquàm in Religione approbata per Sedem eandem, admissa fuisse, & esse, ac per nos admitti*. Ex quibus omnibus constat, votum simplex ac solemne essentialiter inter se non differre, & solum discrimen repetendum esse extrinsecè, nempe ex Ecclesiastica institutione; atque ita habes, quo jure per votum solemne subsequens matrimonium dirimatur.

338. Hinc ad argumenta opposita, neganda est minor prioris. Et quod dicimus de votis solemnibus, idem asserimus de simplicibus; ita ut, si in eodem subjecto invenirentur tria vota simplicia obedientiæ, paupertatis, & castitatis, hoc esset prorsus sæculo mortuum; interim, si duntaxat voverit continentiam, mortuum intelligitur quantùm ad carnis oblectamenta. Hoc tantum discriminis interest, quod dari potest votum simplex, quin sit perpetuum; non datur verò votum solemne, quin totum mortale tempus complectatur; sed hoc idem ex Ecclesiastica profluit institutione. Idem dicas de omni Religionis privilegio, quantùm ad delenda peccata quo ad pœnam, in quo baptismo ab illis Patribus comparatur.

Quantum ad secundum, jam clarissimè declaratum est, Bullam Gregorii XIII. pro nostra esse sententia, & hoc ipso, quod statuerit Pontifex, per illa vota simplicia reddi inhabiles ad matrimonium contrahendum, & ita voventes esse verè ac propriè religiosos, inferri debet, vota simplicia à solemnibus in sui substantia non differre; quia Pontificia auctoritate id simplicibus conceditur, quod agnoscitur in solemnibus.

339. Superest solvendum, quod adversantes Doctores inferebant; nimirùm, quod cùm res semel uni tradita non possit jure naturæ alteri tradi, homo per votum solemne traditus Deo, non possit jure naturæ alteri tradi per matrimonium. Observandum est, traditionem rei impedire jure naturæ traditionem ejusdem alteri in eodem ordine & genere traditionis; nequaquàm in alio, atque in re nostra traditio facta Deo per votum solemne ex natura sua non pugnat cum traditione, quæ fieri potest per matrimonium. Hoc exemplis ostendo. Tradat quis se ipsum, se alteri vendendo in servum, non per hoc ex natura rei redditur inhabilis ad contrahendum matrimonium. Rursùs: obstrictus vinculo matrimonii potest ex uxoris licentia Religionem profiteri, & si uxor adultera fuerit, nulla licentia opus est; ergo traditio uni facta, non impedit traditionem, quæ alteri fieri possit, si in diverso sit ordine, nisi extrinsecùs aliquod impedimentum per legem adveniat; & si hoc negetur de voto solemni, negabitur etiam de voto simplici. Hæc satis dicta sint, si satis intelligantur.

ARTICULUS IV.

De impedimento cognationis.

340. QUemadmodum cognatio alia est naturalis, & dicitur consanguinitas, idest quasi sanguinis unitas, alia spiritualis, & appellatur compaternitas, alia legalis, & vocatur adoptio; ideò de istis omnibus nunc breviter agendum suscipimus. Et primò de cognatione consanguinitatis.

Definitur autem, seu describitur consanguinitas communiter à Theologis & Jurisperitis, *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum*. Parti-

ticulas istas liceat explicare: dicitur *vinculum*, neminem enim latet, sanguine conjunctos speciali quodam vinculo inter se colligari, quod agnovit Tullius lib. I. de officiis dicens: *Sanguinis conjunctione & benevolentia homines devinciri*. An autem vinculum hoc dicatur causa consanguinitatis, an effectus, contendant inter se Richardus asserens primum, & Sotus affirmans secundum. Dicitur *personarum*, ut innuatur, consanguinitatem inter bruta nequaquàm reperiri; quia, ut adnotat S. Th. in 4. dist. 40. quæst. unica art. 1. ad 5. ex ipsorum propagatione ex uno parente nulla amicitiæ conjunctio consurgit. Dicitur, *ab eodem stipite descendentium*; qua in re metaphora desumpta est ab arboris trunco, à quo multi rami progrediuntur & descendunt; Hinc nonnulli Doctores aliam particulam addendam esse defendunt, videlicet, *propinquo*, aliter inquiunt, omnes homines essent consanguinei, quia omnes ab Adamo descendunt; Verùm S. Thom. mox laudato loco ad 1. occurrit, dicens, illa nequaquàm opus esse, quia cum in consanguinitatis definitione stipitis fit mentio, de illo debet intelligi ita propinquo, ut virtus ejus in descendentibus perseveret, non solùm juxta specificam similitudinem, sed etiam juxta individuam, qualis esse solet ab avo, & aliis parentibus assimilantibus sibi filios in imagine, ac complexionis effigie; virtus enim paterna eò debiliùs ac imperfectiùs communicatur, quo plures sunt generationes; & tandem ita debilis redditur, ut nullo pacto communicetur, & sic consanguinitatis ratio prorsùs deficiat; dicitur tandem, *carnali propagatione contractum*; ut sic intelligas, neque Angelos esse inter se consanguineos, quamvis ab eodem Deo immediatè fuerint producti; neque Evam fuisse consanguineam Adami, ex cujus costa fuit ædificata.

Ex his colliges, etiam inter illegitimos ac spurios dari veram consanguinitatem; sunt enim etiam isti ex eodem sanguine, & reverà talis est praxis Apostolicarum Constitutionum, quantùm ad matrimonii impedimentum, & dispensationem à Sancta Sede impetrandam.

341. Sed jam deveniendum est ad eas regulas, quibus consanguinitatem agnoscere possimus, atque distinguere. Pro qua re adnoto, Theologos & Canonistas consanguinitatem distinguere per lineas & gradus. Porrò linea est ordinata collectio personarum ab eodem stipite dependentium diversos continens gradus, stipes autem est illa persona, à qua cæteræ ducunt originem; gradus verò est intervallum seu mensura distantiæ consanguineorum inter se & à communi stipite, & gradus isti sunt adinstar graduum scalæ, per quos à proximo in proximum tendimus vel ascensuri, vel descensuri.

Rursùs linea alia est recta, alia collateralis seu transversalis. Illa continet personas, quæ genitorum ac liberorum obtinent locum; hæc alia est ascendens, & alia descendens, non quidem re diversa, sed ratione, constat enim eumdem esse gradum per quem ascendimus & descendimus; tunc ascendens dicitur, quando à personis propagatis ad propagantes progredimur, ut se habent pater, avus, proavus &c. tunc descendens, quando à propagantibus ad propagatas, ut se habent pater, filius, nepos &c. Altera, nempe transversalis continet personas, quæ nos neque genuerunt, neque à nobis genitæ sunt, sed à communi stipite nobiscum descendunt, ut frater, soror, patruus, amita, consobrini &c. Hæc duplex est, una æqualis, quando personæ æqualiter distant à communi stipite, ut sunt duo fratres, & duorum fratrum filii; Altera inæqualis, quando consanguinei tranversi, seu collaterales inæqualiter distant à communi stipite, in quo uniuntur, ut contingit in patruo & ami-

ta respectu consobrini; siquidem consobrinus distat ab illis in secundo gradu dispari, cum illi distent à communi stipite, nempe ab avo consobrini, in quo proximè uniuntur in solo primo gradu, utpote qui sunt ejusdem filii, consobrinus verò distat ab avo in secundo gradu, tanquàm ejus nepos.

342. Tres autem solent assignari regulæ ad consanguinitatis gradus computandos. Prima est pro linea recta; aliæ duæ pro transversa. In linea recta ascendentium & descendentium tot sunt gradus diversi, quot sunt personæ, dempto stipite: ex. c. Pater, Filius, nepos Patris, pronepos, abnepos, sunt quinque personæ, & quatuor gradus; & hoc pacto Pater, & Filius sunt in primo gradu, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto. Ratio horum est, quia tot sunt gradus, quot sunt generationes, ad habendas autem quatuor generationes requiruntur quinque personæ, & ideò prima persona gradum distinctum non facit, quia nec potest distingui à se ipsa, neque ab aliqua superiori, aliter non esset prima. Unde ita se habet, ut sit veluti punctum, à quo ducitur linea, per quam secunda persona distet à prima, tertia à secunda, & sic de reliquis.

343. Secunda regula est pro linea collaterali æquali, in qua unus tot gradibus conjungitur alteri, quot quilibet conjungitur suo stipiti, & per consequens tot ad invicem distant, quot distant à stipite; sic duo fratres conjunguntur in primo gradu, quia eodem modo conjunguntur stipiti, qui est Pater; filii verò duorum fratrum consanguinei sunt in secundo gradu, quia eodem modo conjunguntur stipiti, qui est avus.

Neque dicas: Filium uno gradu à Patre distare; ergo duobus gradibus distare à fratre, quia plus distat à fratre quam à Patre; siquidem filii à Patre distant tanquam effectus à sua causa, inter se verò distant tanquàm duo effectus; major autem est propinquitas effectus cum causa quàm effectus cum effectu.

Contra enim, dico effectum magis conjunctum esse cum causa, quàm cum alio effectu conjunctione intensiva; quia datur major dependentia effectus à causa; non tamen conjunctione extensiva, cum inter fratrem & fratrem nulla alia detur persona distincta: Et cum uno tantùm gradu distent à tertio, scilicet Patre, in eadem ratione descensus, uno tantùm gradu distare possunt inter se.

344. Tertia regula est pro linea transversa inæquali, in qua consanguinei tot gradibus distant inter se, quot distat ille, qui est remotior à stipite; Sic Patruus & filius ex fratre distant inæqualiter ab avo in quo uniuntur; cum Patruus distet tantùm uno gradu, tanquàm ejus filius; alter verò distet duobus gradibus, tanquam illius nepos; igitur inter Patruum & filium fratris erit distantia in secundo gradu. Ratio est, quia si distantia collateralis unius lineæ à collaterali alterius lineæ desumeretur non ex remotiori, sed ex propinquiori stipiti, remotior à stipite propinquius conjungeretur collaterali quam suo stipiti; quia ab hoc duobus gradibus distaret, ab illo uno tantum: & præterea, gradus commodè distingui non possent; nam si unus esset in primo gradu cum stipite, alter verò in quarto, essent inter se conjuncti in primo gradu, & sic non differrent à fratribus. In hac tertia regula fundatur communis doctrina asserens duos posse inter se contrahere; si unus excedat gradum quartum, quamvis alter intra quartum detineatur.

345. Ita statuitur consanguinitas juxta Theologos & juris canonici professores; sed jus civile admittens superiorem supputationem graduum in linea recta, diversam decernit in linea collaterali; tot enim constituit gradus distantiæ inter personas, quot habent distantiæ à stipite numeratis gradibus utriusque personæ; ex. causa. Duo fratres distant à stipite in primo gradu, gra-

gradus iste habetur tanquam duplex, unus in uno fratre, alter in altero, & sic distant in secundo gradu, similiter filii duorum fratrum distant in quarto gradu &c. Verùm in re nostra supputatio hæc non est attendenda, quæ tantum locum habet in foro civili quantùm ad successiones & hæreditates, non verò in matrimonio, cujus causæ ad Forum Ecclesiasticum pertinent; & Innocent. IV. reprehendit Græcos, quod jus civile in graduum supputatione sequantur, ut testatur Arcudius cap. 30. de matrimonio.

Hisce expositis deveniendum est ad nonnulla, quæ non levia sunt, dirimenda, quæve per sequentes paragrafos exponemus.

§. I.

Utrum in recta linea ascendentium, & descendentium irritum sit matrimonium jure naturali in quocumque gradu in infinitum.

346. CErtum est apud omnes Doctores, matrimonium inter ascendentes, & descendentes in recta linea, & in primo consanguinitatis gradu jure naturæ irritum esse; colligitur hoc ex naturali omnium gentium instinctu, quę ab hujusmodi matrimoniis semper abhorruerunt, & cum Persæ aliquando illa admiserint, eos tanquam barbaros ac belluas existimarunt, Tertull. in Apologet. cap. 9., S. Augustin. lib. 3: quæst. in Levitic. quæst. 61. Theodoret. in lib. de legibus, & S. Ambros. in Epist. ad Paternum inquit. *Ne Pater filiam suam accipiat uxorem, interdictum est naturæ jure, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est inviolabili præscriptione pietatis*. Ipse Ovidius lib. 7. Metamorphos. ferina vocat ista connubia dicens

> *Dextera Syllene est, in qua cum*
> *Matre Menaphron*
> *Concubiturus erat sævarum more*
> *ferarum.*

imo Arist. lib. 9. de hist. animal. c. 47. & Plinius lib. 8. naturalis historiæ c. 42. referunt equos & camelos nullo pacto adigi posse, ut cum matribus admisceantur.

347. Plures rationes ad id, quod certum supposuimus probandum afferunt Theologi; quarum aliquæ desumptæ sunt ex S. Augustino c. 18. de Civit. cap. 6. Prima sit, quia natura filiis indidit reverentiam ac subjectionem erga parentes; at matrimonialis actus summoperè opponitur hujusmodi subjectioni ac reverentiæ, cum per eum vir & uxor socii fiant, & duo in carne una, neque exerceri possit sine aliqua turpitudine atque irreverentia, teste eodem Augustino; imò si filius contrahere posset cum matre, mater fieret subjecta filio; cum Paulus dicat, oportere uxores esse subditas viris suis. Secunda sit, quia si jure naturæ valida essent hujusmodi matrimonia, maximus concupiscentiæ, ac incestibus locus apertus esset; quippe quod parentes & filii assiduè noctu diuque simul versantur, neque tamen per se loquendo aliqua illiciti amoris flamma inter eos succenditur; ex quo argumentum colligitur, naturam ipsam frœnum hoc imposuisse; atque ita contra sui jura facere, qui filium concupisceret aut matrem, qui filium vel patrem. Tertia sit, quia licet hæc matrimonia fini primario à natura intento non opponantur, nam reverà posset suspici proles, atque educari; attamen finibus secundariis contraria sunt, & ita fieret, ut simul idem esset filius & frater, & nepos & abnepos. Proh quanta confusio? Merito propterea Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 39. inquit: *Inter personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter Patrem & filiam, vel avum & neptem, & usque in infinitum*.

348. Ex hac ultima particula, *usque in infinitum*, prima quæstio promovetur; & quidem plurium Theologorum

cum

cum Glof. in expofitione arboris confanguinitatis fententia eft, nullum effe de jure naturæ matrimonium initum inter afcendentes & defcendentes in quocumque fint gradu in infinitum. Mihi fummopere placet, quod ait Bellarminus de matrimonio cap. 24., nimirum, non valde hac de re follicitos nos effe debere, cum vix contingere poffit, ut cupiant aliqui matrimonium inire in gradu quinto, aut ulteriore in recta linea. Aut enim non inveniuntur homines vivi, aut funt ita inæquales quoad ætatem, ut abfurdiffimum fit eos inter fe matrimonium velle contrahere. Nihilo tamen minus aliquid à nobis dici poftulat fcholafticum inftitutum.

349. Qui affirmant, nullum effe matrimonium inter quofcumque afcendentes ac defcendentes in linea recta, utuntur rationibus illis, quas expofuimus num. 347. Et fi dicas, reverentiam ac fubjectionem in filiis erga parentes fundari in jure fanguinis, cujus vis eo magis diminuitur, quo magis protrahitur ad defcendentes; ac proinde ita denique debilis redditur, ut nullo pacto communicetur, & confanguinitatis ratio prorfus deficiat, ficut ex S. Th. adnotavimus num. 340., refpondent, jus fanguinis ad inftar principii & originis in majoribus femper perfeverare; fubjectio autem & vererentia in tali jure fundatur, quia femper fuperioris obtinent locum. Hoc manifeftum eft in omnibus nobis, qui ex femine Adæ dicimur procreati; imò & in Chrifto Domino, qui licet natus poft tot generationes, dicitur tamen femen Abrahæ juxta illud: *In femine tuo benedicentur omnes gentes*, & rurfus Filius David, *Jefu filii David miferere mei*.

Iis, quæ citato numero dicta funt, addunt refponfionem Nicolai fuperiùs expofitam, nec non jus civile determinans, hoc impedimentum effe perpetuum in recta linea, ut habetur inftit. de nuptiis, l. *Nuptiæ*, & l. *Et nihil* e. 54. ff. de ritu nuptiarum; Quamvis verò in matrimonio ftandum non fit juri civili; attamen hoc rejici non poteft, nifi per jus canonicum fuerit correctum, quod factum effe non poteft oftendi. Juxta hanc fententiam fi Adam refurgeret, nullam uxorem poffet habere; quandoquidem omnes per rectam lineam ab illo defcendunt.

350. Inquiunt tamen, falfum effe jus civile per jus canonicum non effe correctum; etenim in cap. *Non debet* de confanguin. & affinit. omnes confanguinitatis gradus matrimonio obftantes intra quatuor gradus conclufi funt, neque ibi aliqua diftinctio facta eft eorum, qui funt in linea recta, vel in collaterali & tranfverfa; igitur neque nos diftinguere debemus.

Accedit etiam ratio, quia quilibet ultra primum gradum eft principium tantùm per accidens refpectu nepotis & aliorum; igitur etiam illa reverentia & fubjectio tantùm per accidens erit; proinde ex natura rei non poterit impedimentum apponere, ne matrimonium contrahatur.

351. Sed revera caput illud *Non debet* intelligendum effe de linea tranfverfa, non de recta explicat Gloffa, quam illius fententiæ patroni fequuntur. Ratio hujus eft, quia reftrictio illa impedimentorum ftatuta fuit ad tollenda incommoda, quæ ex pluribus impedimentis oriebantur; porrò talia incommoda in linea recta nunquàm exorta funt, nec oriri poffunt; primò quia nunquàm in linea recta difpenfatum effe legimus; fecundò quia prorsùs ridiculum effet, matrimonium in dicta linea extendi ad quintam vel ulteriorem generationem; cum juxta naturalis vitæ curfum nemo fupervivat, nec matrimonio idoneus fit; igitur tantùm de tranfverfa linea debet explicari.

Ad fecundum. Si per principium per accidens intelligitur influxus phyficus & remotus; id eft verum; fi verò loquamur politicè, & in genere moris, eft falfum; nepotes enim funt effectus gene-

generationis avorum, & proavorum; unde fieri non poteſt, ut cum ipſis fiant principium & cauſa generationis.

352. Non eſt tamen prætereundum, alia, ultra duo poſteriora adducta ſuperius, oppoſitæ opinioni fundamenta deeſſe, quæ ego certè libentiſſimè recenſerem, ne aliis auctoribus tam facile lectores meos committerem, niſi mihi perſuaſum foret, hujuſce rei reſolutionem inanem omninò eſſe juxta dictum Bellarmini num.348. Placet dumtaxat Doctorem illum, qui ſemper validiſſima ratione ductus quod ſcripſit aſſeruit, neque S. Thomam afferre. Hujus autem verba 2. 2. q. 54. art. 9. ad 3. ſunt iſta: *In commixtione perſonarum conjunctarum aliquid eſt ſecundum ſe indecens, & repugnans naturali rationi, ſicut quod commixtio fiat inter parentes & filios, quorum eſt per ſe & immediata cognatio, aliæ verò perſonæ, quæ non conjunguntur ſecundum ſe ipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ita ex ſe ipſis indecentiam, ſed variatur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundum conſuetudinem & legem humanam* in quo teſtimonio jam vides, indecentiam matrimonii inter parentes & filios agnoſci, quia ſoli filii immediatè parentibus conjunguntur; reliqui verò mediis parentibus, atque ita S. Thomam interpretantur Cajetan. ibidem, & Sotus in 4. diſ. 40. art. unico q. 2.

353. Quamvis verò dixerint illi, matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes in recta linea jure naturali irrita eſſe; hoc tamen non exiſtimarunt aliquid ab intrinſeco malum, quemadmodum ſunt mendacium & fornicatio; ſed rem ita ſe habere duxerunt, ut à Deo fieri poſſet diſpenſatio, qua accedente poſſet Pater ducere filiam, & filius matrem; imò etiam hoc abſque aliquo peccato contingere poſſe, ſi mundus eſſet in tali neceſſitate conſtitutus, ut tantùm ſupereſſent Pater & filia, vel filius & Mater; qua ratione Sancti Patres excuſant filias Loth, quæ cum patre concubuerunt, quia nullum virum ſuperſtitem eſſe arbitrabantur. Verùm de hiſce rebus non niſi invito calamo, ſcribimus, quia ſuperfluè à nobis ſcribi cognoſcimus. Quare ad alia progrediamur.

§. II.

Quid ſentiendum ſit de impedimento conſanguinitatis in linea tranſverſa.

354. Levitici 18. Dominus Moyſi præſcripſit, quid in contrahendis matrimoniis ſervandum eſſet; verba ſacri libri non profero, cum ea unuſquiſque legere poſſit. Ut diſtinctiùs res peragatur, quid hæretici ſenſerint, breviter exponendum eſſe exiſtimamus.

Lutherus in lib. de captivit. cap. de matrim. nec non Bucerus in Comment. cap. 19. Matth. docuerunt in gradibus cognationis in Levitico expreſſis nullo pacto contrahi poſſe matrimonium, ac proinde nullam ab Eccleſia fieri poſſe diſpenſationem, eo quia prohibitio illa ſit de jure naturali divino. Et rursùs ab Eccleſia in nullo alio gradu addi poſſe aliquam prohibitionem, ſeu impedimentum; quia Deo notum erat, quid prohibendum foret, quid concedendum. Hocce principio ducti Henrico Angliæ Regi perſuaſum eſſe voluerunt, nullam fuiſſe Romani Pontificis diſpenſationem qua ipſi conceſſum fuit, ut uxorem fratris ſui defuncti in ſuam duceret; atque ideo matrimonium illud tamquam nullum habendum eſſe. Iſtis conſenſerunt Melanct. in locis tit. de conjugio, & Kemnitius in 2. p. examinis, dixeruntque, præcepta illa circa gradus cognationis ad naturalem juſtitiam pertinere; ab iiſdem verò diſcreparunt, cum alios gradus ab Eccleſia antiqua addi potuiſſe affirmaverint; imo etiam nunc addi poſſe, dummodò conſcientiæ libertas ſervetur,

tur, ita ut si aliter fiat, nullum peccatum perpatretur. Calvinus satis obscurè mentem suam exponit, libro tamen 4. institut. cap. 19. §. ultimo asserit, illos tantùm gradus cognationis agnoscendos esse, quos agnoverunt Moyses, & aliæ gentes, condemnatque Ecclesiam, quod alios gradus constituerit; priores verò à Moyse descriptos jure divino servandos, & matrimonium in illis contractum nullum esse asserit Theodorus Beza præcipuus ejus discipulus. Alia dixerunt alii, de quibus disertè Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 25. Interim ad nonnullas assertiones deveniamus, quibus in hac re doctrinam nostram explicare possimus.

355. Assertio 1. Non omnes illos gradus, de quibus in Levitico, jure naturali matrimonium irritum ac nullum reddere. Hoc inter cæteros, qui plures sunt, tradidit manifestius Scot. in 4. dist. 40. quæst. unica art. 2. Dixi, *non omnes*; etenim aliquos esse jure naturali statutos ultrò concedimus, & fatemur; atque idcirco Concil. Trident. sess. 24. can. 3. definit, hæreticum esse, negare in Pontifice Maximo esse facultatem in aliquot eorumdem dispensandi.

Hoc in primis deduco ex eodem libro Levitici; nam postquàm cap. 18. latæ sunt leges matrimonium prohibentes, cap. 20. statuuntur pœnæ pro iis, qui intra gradus illos matrimonium contraxissent, quæ pœnæ, cum diversæ essent, indicant etiam, diverso jure leges illas prohibuisse. Secundò: Aliqui erant in eodem consanguinitatis gradu, & tamen aliis prohibitum erat contrahere, aliis erat concessum; prohibitum nepoti cum amita, vel matertera, concessum nepti cum patruo, vel avunculo; prohibitum conjugium cum uxore fratris etiam defuncti, concessum cum sorore defunctæ uxoris. Quid hoc? nisi quia lex ista cæremonialis erat & legalis, nequaquàm naturalis. Et observandum, legem in Levitico datam contrariam esse legi 25. Deuteronomii expositæ; præcipitur enim, quod si quis absque liberis moreretur, frater duceret uxorem illius, ut fratri suo semen suscitaret; si igitur lex Levitici fuisset naturalis, lex Deuteronomii aliquid præcepisset contra legem naturalem, quod absit.

356. Neque dicas, Deum ipsum, qui ita Moysi præceperat, declarasse ex modo loquendi, omnes illas leges ad jus naturæ pertinere, siquidem postea sic loquutus est. *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, & quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo*, & infra: *Non faciatis ex omnibus abominationibus istis, omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt terram*. Ex quibus sic argumentum proponitur. Contrahere matrimonium in illis gradibus appellatur contaminatio, abominatio, execratio gentium; atqui gentes tantum naturali lege tenebantur; ergo erant hujusmodi, quia legi naturali opponebantur. Ipse S. Augustinus, ita sensit, etenim prohibitionem illam ad decalogum revocat lib. 3. q. in Levitic. q. 53.

357. Ut primo respondeas, nota, aliquod præceptum prohibens triplici modo dici posse naturale. Primò, quia sit de aliqua re, quæ ab intrinseco mala sit, quæ proinde in nulla circumstantia dici possit bona; ut sunt mendacium, fornicatio, & odium in Deum. Secundò, quia sit de aliqua re mala, quæ tamen urgente extrema necessitate desinit esse mala; ut est alienum invito Domino tollere, quod ex se malum est, & tamen si urgeat extrema necessitas, ampliùs malum non est; quia quod absolutè alienum erat, definit esse alienum, & fit commune. Tertiò, quia sit de re mala, si nudè & absolutè consideretur, quæ tamen mutatis circumstantiis pluribus modis bona ac honesta fieri possit; ut est homicidium, quod nudè sumptum quid malum est, & in decalogo prohibetur;

betur; attamen si addantur aliquæ circumstantiæ, & fiat publica authoritate ad publicum bonum, ampliùs malum non est.

158. Hisce expositis, hoc posteriori modo præcepta Levitici circa gradus cognationis naturalia dici possunt; quia in illis matrimonium contrahere nudè & secundum se consideratum, pro arbitrio privatorum ac sine circumstantiis peculiaribus cohonestantibus indecentiam quamdam ac turpitudinem continet; cum natura dictet, adhibendam esse reverentiam quamdam erga eos, qui in iis gradibus consanguinitatis conjuncti sunt; quæ reverentia cum conjugali copula servari non posse videtur. Hinc cum Gentiles absque aliquo delectu, & nullis attentis circumstantiis ea matrimonia inirent, contra legem naturalem hoc modo consideratam peccasse dicuntur, in quo sensu etiam peccassent Hebræi. Quod si matrimonia illa appellantur contaminationes, abominationes, execrationes, ex quo apparet fuisse peccata contra legem naturalem strictè sumptam, advertendum est, ibi recensita esse alia scelera præter matrimonia in iis gradibus inita, qualia erant adulteria, concubitus cum masculis & jumentis, nec non idolatria; de istis autem propriè dicta sunt illa, quæ cum fuerint cum aliis recensita, videntur dicta de omnibus.

Quantùm attinet ad Sanctum Augustinum, ibi loquitur Sanctus Doctor de iis, qui contraherent cum alio vel alia vivente adhuc altero conjuge; unde præcepta illa, ne superfluè apposita fuisse dicantur, intelligenda sunt de uxore fratris, patris, vel patrui non viventium, sed mortuorum; quia aliter constat, illa matrimonia non futura fuisse matrimonia, sed adulteria, adulterium autem jam in decalogo erat prohibitum.

359. Assertio 2. Satis probabile est in nullo gradu consanguinitatis in linea transversa jure naturæ esse irritum matrimonium. Hanc sententiam communiùs defendunt Scotistæ, & videtur expresse tradita à S. Th., qui 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. ait: *In commixtione personarum conjunctarum aliquid esse, quod est secundum se indecens, & repugnans naturali rationi, sicuti commixtionem fieri inter parentes & filios, quorum est per se & immediata cognatio; alias verò personas, quæ non conjunguntur per se ipsas, sed per ordinem ad parentes non habere ita ex se ipsis indecentiam, sed variari circa hoc decentiam, vel indecentiam secundum consuetudinem & legem humanam.*

360. Hanc innuere videntur nonnulla scripturæ exempla. Ipso mundi initio fratres duxerunt sorores suas, nec constat, factam à Deo fuisse aliquam dispensationem; imò valde indecens fuisset, ut author naturæ eam sic condidisset, ut vel statim ejusdem jus debuisset violari, vel fuisset adversus illud necessaria dispensatio; potuisset quidem dispensare, sed lex naturalis, quam Deus stabilivit in naturæ constitutione, non est desumenda ab eo, quod Deus potuit, sed ab eo, quod ipsi naturæ magis fuit congruum. Temporum decursu Abraham sanctissimus Patriarcha duxit Saram, quam fuisse sororem suam Gen. 20. ipse testatus est, dicens, *Verè soror mea est, filia patris mei sed non filia matris meæ*, & talem fuisse scribunt S. Hieronym. in quæstionibus Hebraicis in Gen., Clemens Alexandr. lib. 2. Stromat., Cajetanus, & alii, inter quos id fuse probat Sot. lib. 2. de justit. q. 3. art. 8. ad 4. Thamar etiam ne à fratre suo Amon opprimeretur, dixit: *Noli frater mi, noli opprimere me, neque facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*; existimavit igitur jure naturali non esse irritum conjugium inter fratres & sorores; imò postquam oppressa fuit, ac turpiter ejecta, dixit: *Majus est hoc malum quod nunc agis adversum me, quàm quod antea fecisti, expellens me*; quod nequa-

nequaquam verum esset, si esset contra jus naturæ habere rem cum sorore.

361. Ratio denique potest afferri; quia frater & soror non sunt directè una caro, sicuti sunt parentes & filii, inter ipsos etiam non repugnat æqualitas, neque per matrimonium aufertur reverentia debita, cum neuter superior sit; ergo videtur, conjugium inter ipsos jure naturali irritum minime fieri.

Fatemur quidem in hisce matrimoniis multam indecentiam esse, proinde nisi ex majorum licentia ac potestate honesta fiant, tanquàm jure naturæ illicita esse censenda; non tamen tantùm, & jure naturæ sint irrita; ex quo plura resolvimus, quæ contraria videntur.

362. Contra hæc nonnulla proferunt Doctores, qui oppositum tanquàm probabilius affirmant. Primum est: Innocent. III. c. *Gaudemus*. De divortiis, decernit, infideles conversos ad fidem, si tempore infidelitatis contraxerint, & fuerint tantùm in secundo vel tertio gradu consanguinitatis, non esse separandos; supponit igitur Pontifex secundum & tertium gradum consanguinitatis jure naturæ irritum non reddere matrimonium; è contrario primum, alioquin dixisset pari modo, non esse separandos, si etiam fuerint in primo; exceptio enim illa aliquid agnoscit in primo gradu, quod non supponit in aliis. Hoc est argumentum illud, quo ductus Sotus inquiit, sententiam superiùs stabilitam esse erroneam.

Secundum est, quia nunquam legimus, Summos Pontifices in primo gradu dispensasse, etiamsi eximiis precibus id ab ipsis fuerit postulatum, ut refert Æmilius in Lodovico XI. de comite Armeniaco, qui sororem germanam falsò Pontificis diplomate sibi matrimonio junxerat, quia verum obtinere nequaquam potuit; è contrario in aliis gradibus dispensatum esse, plura non desunt exempla tum præteritorum temporum, tum præsentium.

Denique affertur authoritas Sancti Augustini 15. de civit. cap. 16. dicentis. *Quanto antiquius est, ut viri sorores suas conjuges acciperent compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente*. Et infra. *Fieri ergo debuit, quando potuit, ut existente copia inde ducerentur uxores, quæ non erant jam sorores, & non solùm istud ut fieret, nulla necessitas esset, verum etiamsi fieret, nefas esset, cum talem licentiam ita exhorreat, & aversetur humana consuetudo, quasi nunquàm licere potuerit*.

363. Verùm ista momenta quamdam probabilitatem huic tribuunt opinioni, nequaquàm tamen evincunt. Non primum: Siquidem Innoc. III. in eo capite definivit id, quod erat certum, & quod tunc sibi propositum fuerat, circa verò consanguineos in primo gradu nec quidpiam asseruit, nec quidpiam negavit, sed Doctorum disputationi reliquit, utrum primus gradus irritum redderet matrimonium, nec ne. Certè argumentum hoc, Pontifex statuit validum esse apud infideles matrimonium in secundo & tertio gradu contractum; ergo statuit, invalidum esse in primo, non tenet; sicuti non tenet istud: Concilium Tridentinum definivit, circumstantias mutantes speciem esse in Sacramentali Confessione aperiendas; ergo definivit, circumstantias non mutantes speciem non esse aperiendas.

Non secundum: Etenim Pontificem nunquam in primo gradu dispensasse, affirmat quidem Sotus, & cum eo alii; negat tamen Sylvester ex S. Antonino, dicens consilio Theologorum, & canonistarum dispensatum fuisse à Martino V.; & sicuti potest dispensatio fieri in primo gradu affinitatis ut frequentia habemus exempla, ita infert Cajetanus, ferri posse in primo gradu consanguinitatis. Sed quidquid sit de hac dispensatione, utrum facta fuerit, argumentum non valet ab eo, quod non est factum ad id quod fieri non possit;

sit; plura enim facta non sunt, quæ tamen fieri possunt; plura alia Pontifices possunt, quæ tamen non fieri judicant magis expediens.

Ad tertium ex S. Augustino satis dictum à nobis est alibi, & si velimus verba Sancti Doctoris juxta litteram perpendere, clarè evincitur non naturam ea matrimonia prohibere, sed religionem; & in oppositum esse humanam consuetudinem non legem naturalem; probaturque ad summum id non esse licitum, non autem esse invalidum. Quod si vellemus humanam consuetudinem in medium afferre, variam hanc fuisse comperiremus. Matrimonia inter fratres & sorores fuisse permissa apud Persas & Ægyptios, narrat ex Dione Salianus in historia Ecclesiastica anno ante Christum 50., & de Ptolomæo Auleto refert, præcepisse Cleopatræ filiæ majori, ut more majorum grandiori filio matrimonio copularetur; imò S. Gregorius scribens ad Augustinum Anglorum Episcopum inquit, *terrenam legem in Romana Republica permittere, ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum vel duarum sororum filius & filia misceantur*. Non est igitur, cur nobis opponant, barbaras ac fermè belluinas appellatas esse nationes illas, apud quas hujusmodi matrimonia contrahebantur; nam vel hoc dictum fuit de matrimoniis inter patrem & filiam, filium & matrem, vel quo pacto id intelligi possit, superiùs admonuimus.

364. Hæc breviter dixisse nobis sufficiat, & quid de jure Ecclesiastico, quod præcipuè spectandum est, sentiendum sit, alia pauca proferamus. Varia fuit disciplina in jure canonico antiquo, & novo; nam in antiquo matrimonia prohibebantur usque ad septimum gradum tam consanguinitatis, quàm affinitatis, de qua suo loco dicemus, ut habetur in can. *Multis* & can. *Ad Sedem Apostolicam* 35. q. 5. & quamvis Gregorius Magnus scribens ad Augustinum Anglorum Episcopum cum Anglis recens ad fidem conversis dispensaverit, ut in 3. vel 4. gradu possent contrahere, attamen quæsitus à Felice Messanæ Præsule, utrum quod scripserat ad Augustinum ad omnes extenderetur, hisce verbis respondit: *Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo de consanguinitatis conjunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono, quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter cæteris me scripsisse cognoscas*: addit deinde se id usque ad certum tempus concessisse, dicens: *Hæc ea intentione hæc illis scripti mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam fuerint consanguinitatem inventi non separentur, aut infra affinitatis lineam, idest usque ad septimam generationem conjungantur.* Citantur hæc verba Gregorii ab Alex. II. cit. can. *Ad Sedem*. In jure vero novo, quod statutum fuit ab Innocent. III. in Concilio Lateranensi IV. ann. 1215. can. 50., consanguinitas matrimonium impediens restricta fuit ad quartum gradum inclusivè. In laudato canone hæc leguntur: *Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi probibitio generaliter observari. Cum ergo jam usque ad quartum gradum probibitio conjugalis copulæ sit restricta, eam ita esse volumus perpetuam*. Utrùm perpetua futura sit, ignoramus, novimus tamen legem hanc ad hæc usque tempora in sui robore perseverare.

ARTICULUS V.

Quid sentiendum de cognatione spirituali.

365. IN hoc puncto nonnulla proferemus, quæ potiùs ad docendum, quàm ad disceptandum erunt ido-

idonea: Hæc spiritualis cognatio communiter à Theologis cum S. Th. in 4. dist. 42., & quodlib. 6. quæst. 3., necnon cum Scoto in 4. dist. 42 quæst. unica §. *Respondeo*, definitur, *vinculum personarum lege Ecclesiastica inductum propter collationem baptismi & confirmationis, & susceptionem ejus, qui hæc Sacramenta recipit*. Dicitur *vinculum*, quod est omnibus cognationibus commune, *lege Ecclesiastica inductum*, quia cum Sacramenta nullum fundamentum habeant in jure naturali, à lege naturæ id progredi non potest, & cum in sacris paginis nulla ipsius occurrat mentio, juri divino positivo tribui non potest: Jus autem Ecclesiasticum habetur cap. *De eo*, & cap. *Si quis filiastrum*, multisque aliis in locis, quod confirmatum fuit à pluribus Pontificibus & Conciliis, præsertim Trident. sess. 24. de matrim, cap. 2. *Propter collationem baptismi & confirmationis* ad innuendum in aliorum Sacramentorum administratione & susceptione cognationem spiritualem non contrahi, saltem ejus conditionis, quæ matrimonium valeat impedire, denique *susceptionem ejus &c.* quæ particulæ referuntur ad eos, quos patrinos nuncupamus.

Cognationem hanc recenseri inter impedimenta matrimonium dirimentia definitum est in pluribus textibus, præsertim cap. 1. de cognatione spirit. in 6., & cap. *Veniens*, quod supponit Concil. Trident. sess. 24. de matrim. cap. 2. Si autem quæratur ratio, est fermè eadem cum illa, quam attulimus de consanguinitate.

366. Sed videamus oportet, quare spiritualis hæc cognatio contrahatur in Sacramentis baptismi & confirmationis; non autem in reliquis Sacramentis. Satis facerem dicendo, hoc ab Ecclesia statutum esse de illis duobus, non ita de aliis; nam cap. *finali* de cognatione spirituali in 6. Bonifacius VIII. sic loquitur: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquàm oritur, quæ matrimonium impediat vel dissolvat*. Attamen rationem etiam afferam, quæ est S. Thom. in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 1., necnon Scoti loco citato. Siquidem generatio spiritualis, quæ habetur per baptismum, & spirituale robur, quod obtinetur per confirmationem maximam similitudinem præsefert cum generatione naturali, qua homo concipitur, & cum robore, quod homini post nativitatem tribuitur; ergo sicuti per hæc duo contrahitur jure naturæ consanguinitas, seu cognatio naturalis, ita per illa contrahitur jure Ecclesiastico cognatio spiritualis; & quemadmodùm reverentia illi debetur, à quo vita naturalis recipitur; ita debetur illi, à quo recipitur vita spiritualis.

366. Neque dicas, ex hoc argumento probari, etiam per Eucharistiam hujusmodi cognationem contrahi; quia etiam per Eucharistiam alimur, nutrimur & roboramur: etenim satis apparet discrimen, cum in nutritione & robore, quod per Eucharistiam recipitur, nihil nutritionis & roboris conferatur à ministro, sed totum tribuitur ab ipso Sacramento; è contrario præstatur in Sacramento confirmationis; & præterea minister Eucharistiæ post Sacramenti collationem ad nihil ampliùs tenetur, propter quod ipsi reverentia debita sit, ab opposito minister confirmationis, sicut & susceptor varias cum confirmato contrahit obligationes, ut dixi in proprio tractatu.

368. Aliqua difficultas videtur esse in Sacramento Pœnitentiæ propter canonem *Omnes* causâ 30. q. 1. ubi legitur. *Omnes quos pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus unda sacri baptismatis regeneravit*; ergo sicuti in baptismo cognatio spiritualis contrahitur, ita in Pœnitentiæ Sacramento.

Fateor ministrum Sacramenti Pœnitentiæ appellari patrem spiritualem co-

eorum, quorum audit & absolvit peccata, & aliquo modo cognationem spiritualem cum ipsis habere; non tamen eam, quæ ex se matrimonium impediat vel dissolvat, ut dictum fuit ex cap. Finali num.352. Hinc S. Th. laudato loco art.2. ad 8. dicit, in Sacramento Pœnitentiæ contrahi quoddam fœdus simile cognationi spirituali, ut tolleretur occasio peccandi, quæ oriri posset ex familiaritate, quam pœnitens habet in manifestandis peccatis & sui cordis secretis revelandis; atque huc tendit canon ille productus, qui est Symmachi, unde sic concludit. *Qua propter hoc scelus si quis perpetravit, non solùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam usque ad extremum vitæ suæ jugi pœnitentiæ se subdat*, & Celestin. Papa relatus cap. *Si quis Sacerdos* can. 30. q. 1. ait. *Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse*. Hac de re quæstio est inter Doctores, utrùm in confessione aperienda sit hujusmodi circumstantia, cujus resolutio ad præsens institutum nostrum non spectat. Ego tamen censerem, spiritualem cognationem aliis Sacramentis adjectam ab Ecclesia non fuisse, quia in illis non adhibentur aliqui patrini, & susceptores, sed tantùm minister, qui est Sacerdos, & qui Sacramentum suscipit; superfluum autem fuisset impedimentum hoc statuere inter ministrum, & Sacramenti subjectum, cum jam Sacerdos habeat alio titulo impedimentum dirimens matrimonium.

369. Inter quas personas hujusmodi cognatio contrahatur diversa est disciplina juris antiqui, ac novi; etenim jure antiquo ad plures se extendebat; primò ad baptizatum & baptizantem; secundò inter baptizantem & parentes baptizati; tertiò inter baptizatum & filios baptizantis; & idem contingebat in suscipiente & suscepto, & parentibus suscepti, necnon istius cum filiis suscipientis; quartò cognatio contracta ab uno conjuge alteri conjugi communicabatur, licet alter nequaquàm susciperet. Prima vocabatur paternitas, secunda & quarta compaternitas, tertia confraternitas. Sic habetur in can. *Martinus* de cognat. spirit., can. *De eo* 30. quæst. 1., cap. *Sciscitatur*, can. *Qui spiritual.*, cap. *Post uxoris obitum*, & alibi.

370. Jure verò novo cognatio spiritualis restricta est ad solum baptizantem, suscipientem baptizatum, & parentes baptizati. En verba Concilii Trident. cap.2. *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur; vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantùm sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum baptizatique patrem & matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur*.

371. Hic à Doctoribus nonnulla dubia excitantur. Primum sit, an si contra statuta Concilii Tridentini plures sint, qui è sacro fonte puerum suscipiant, omnes contrahant cognationem spiritualem.

Respondeo: Vel plures fuerunt designati, vel tantùm unus & una, & nihilominùs plures admissi sunt susceptores; vel nullus designatus fuit. Si tertium dicatur, plures existimant omnes tangentes ac levantes baptizatum illam contrahere. Ratio est, quia standum est juri antiquo, nisi per jus novum facta sit exceptio; casus enim omissus remanet in juris antiqui dispositione l. *Commodissimè* ff. de liber. & posthum. atqui jus antiquum cap. *finali* de

de cognat. spirit. in 6. statuit, omnes tangentes contrahere, & Tridentinum nihil disponit in casu, quo nulli patrini designati sunt, sed solùm exprimit casum, quo aliquibus designatis alii tangunt; ergo. Atque ita tenuisse plures ex iis, qui Concilio Tridentino interfuerunt, testatur Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 56. art. 3.

372. Quamvis hoc probabile sit, oppositum probabilius duxerunt Suarez, Sanchez, aliique, quos iste profert lib. 7. de impedim. disp. 57. n. 12. ita ut nullus ex illis spirituali cognatione afficiatur, & ducuntur doctrina Concilii Tridentini, quod ut hujusce cognationis multiplicationem vitaret, atque certi essent ii, qui eam contraherent, statuit, tanquàm conditionem necessariam ad munus patrini obeundum designationem faciendam ab iis, ad quos spectat, & jubet, ut Parochi diligenter sciscitentur ab illis, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; ergo deficiente hac designatione nullus propriè erit patrinus, & ita nullus contrahet cognationem, & ita habes juri antiquo derogatum esse.

Si dicatur secundum, cognatio tantùm contrahitur ab iis, qui designati fuerunt, propter rationem superiùs expositam.

373. Denique si plures designati fuerunt, dicendum, quòd si admittatur sententia relata superius, omnes contrahant, & hoc à fortiori, si enim id de non designatis affirmatur, à fortiori de designatis est asserendum; si verò approbatur alia dicendum à nemine contrahi, quia nullus fungitur eo munere sicut præscribit Ecclesia; proinde nullus est verè ac propriè susceptor. Quidquid dicatur, satis probabiliter dicitur.

374. Secundum dubium sit: Quidnam ex parte susceptorum requiratur, ut spiritualis cognatio consurgat. Conveniunt Doctores, necessarium esse, ut puerum teneant, vel de sacro fonte suscipiant, dum baptisma confertur; hoc enim expresè habetur in juribus, in quibus leguntur hæc verba, *tenet*, *tangit*, *levat*, *suscipit &c.* quod tamen ita intelligendum est, ut non requiratur contactus immediatus; sed plura alia prætereundo, duo potissimùm examinare placet. Primò: Utrum cognatio spiritualis contrahatur, quando puer privatè domi baptizatur, & postea in Ecclesia supplentur cæremoniæ. Secundò: Utrum requiratur aliqua intentio præter externam baptizati susceptionem.

Ad primum: Censeo probabiliùs negativè; nam susceptorem interesse baptismo est tantùm ceremonia instituta ab Ecclesia pro ejusdem baptismi solemnitate, non necessitate; proinde, si etiam intersit baptismo privato, non est propriè susceptor, quod valet, etiamsi haberet intentionem obeundi propriè munus susceptoris; & ratio est, quia nulli liberum fit, munus illud constituere, quod non est ab Ecclesia constitutum; adesse autem susceptorem in baptismo privato Ecclesia non constituit; ergo. Ex quo disparem habes rationem, quare baptizans etiam privatè spiritualem contrahat cognationem; hæc enim contrahitur ratione Sacramenti, quod idem est, sive privatè, sive solemniter conferatur. Si verò baptismate jam privatè collato, supplentur postea cæremoniæ in Ecclesia, jam tunc baptismus non confertur; ergo nulla cognatio spiritualis contrahitur.

Ad secundum: Existimo, requiri intentionem munus illud exercendi, prout est ab Ecclesia institutum; non tamen desiderari, ut susceptor intendat illam cognationem contrahere; idcirco etiamsi intenderet illam non contrahere, adhuc reverà contraheret.

Ratio primæ partis est, quia secùs agendo, esset tantùm materialiter & impropriè susceptor, ex qua actione nulla obligatio potest consurgere, ut resolvitur

tur in l. *In omnibus negotiis* 56. ff. de action. & obligat., & manifestum est in voto, & matrimonio, quæ si fiant sine intentione, non obligant juxta magis veram sententiam; atque huc recurrunt ea, quæ in quinto Tomo dicta sunt de intentione Ministri.

Ratio secundæ partis est, quia adhibita superiori intentione, velit nolit qui illam adhibuit, necessariò cognatio illa progreditur, quemadmodùm affinitas ex copula carnali, & carnalis cognatio ex ejusdem sanguinis participatione absque alia intentione contrahitur. Manifestum hoc ampliùs fit, si desumatur paritas ab eo, qui baptizat, qui si baptizare intendat, velit nolit, contrahit cognationem; satis sit hoc unum dicere, nempè, cognationem istam non à propria voluntate, sed ab Ecclesiæ statuto descendere; statuit autem Ecclesia, hanc cognationem oriri, quotiescumque aliquis verè patrini munus exerceret.

375. Tertium dubium sit. A quo contrahatur cognatio, quando infans per Procuratorem è sacro fonte suscipitur; an ab ipso Procuratore, an verò à mandante.

Communis sententia est, à neutro contrahi, non à mandante, eò quia in juribus statutum est, ut baptizatus tangatur, teneatur, levetur, suscipiatur; quibus omnibus actio personalis ipsius patrini indicatur; & cum ex alia parte jus inducens impedimentum dirimens matrimonium, sit odiosum, strictè est intelligendum; proinde ad actionem veram & realem suscipientis est revocandum, nequaquàm ad moralem & ex juris fictione, quæ fiat per alterum nomine committentis. Hoc confirmari potest paritate cognationis carnalis, quę non contrahitur nisi per actum personalem; rursùs paritate committentis alteri baptismum ministrare, qui certè spirituali cognatione non tenetur. Ex istis patet, quomodo intelligendum sit illud ex regula juris in 6. *Qui per alium facit &c.* nempe hoc verum esse in iis, quæ solo consensu perficiuntur; non in iis, in quibus actio personalis à jure requiritur; per quod alia resolves, quæ obiici posse videntur.

Sed neque contrahi ab ipso Procuratore ex eo suadetur, quod ad eam contrahendam necessarius est animus obeundi munus patrini; hic autem animus deficit Procuratori, qui tantùm nomine alieno non proprio illud munus exercet; ergo. Adde nullum actum inducere posse obligationem, nisi animo obligandi exerceatur, ut notat glossa finalis clem. *Eos* de regular.

Neque dicas, commissarium deputatum ab altero, ut suo nomine puerum baptizet, verè contrahere cognationem spiritualem; ergo eo pari: siquidem lata disparitas est, quia, qui ab altero delegatus baptizat, non baptizat nomine delegantis, sed nomine Christi & nomine suo tanquàm minister Christi; unde reverà dicit: *Ego te baptizo*. Ille verò, qui tanquàm Procurator alium suscipit, alterius nomine & authoritate suscipit, non proprio nomine & authoritate agit; ideò &c.

Non me tamen latet, Pontium lib. 7. cap. 39. num. 10. asserere, cognationem hanc contrahi à mandante; pro qua re affert declarationem Cardinalium; atque hoc Romæ teneri, scribit Fagnan. in cap. *Veniens* de cognat. spirit. Ideò in praxi hanc potiùs sententiam servandam judico, nisi obstant Diœcesanæ Constitutiones.

Dixi, *qui tantùm nomine alieno non proprio illud munus exercet*; nam, si non se gereret tanquam merum Procuratorem, sed intentionem haberet suscipiendi animo proprio, tunc dici potest, spiritualem cognationem contrahere. Verùm in hisce rebus non diutiùs immorandum; sed eas fusiùs pertractandas Morali Theologiæ professoribus libenter relinquimus.

376. Quartum dubium sit. An cognatio hæc contrahi possit cum parenti-

bus

bus Infidelibus. Plures opiniones affert Sanchez lib. 7. disp. 60., sed resolutio est negativa. Ratio clarissima est, quia sicuti destitutus vita carnis, cognationis carnalis est incapax; ita destitutus vita spiritus, incapax est cognationis spiritualis. Præterea: Hæc per Ecclesiasticam legem est statuta, infideles autem legibus Ecclesiasticis non tenentur.

377. Quid verò dicendum esset, si proprius genitor, vel genitrix in casu necessitatis infantem baptizaret? contraheretur ne ista cognatio?

Resp. vel sermo est de filio ex legitimo matrimonio suscepto, vel ex copula fornicaria. Si in primo sensu, cognatio illa non contraheretur, quod declaravit Joann. VIII. apud Gratian. cau. 30. quæst. 1. cap. 7., ubi laudatur genitor, qui, ne infans suus perpetuo periret interitu, baptizavit; & concluditur: *Idcirco suæ uxori sibi jam legitimè sociatæ impunè, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob id aliquatenus separari debere*. Imò, quamvis aliquis ex malitia proprium filium baptizaret, ut à conjugis thoro separaretur, nullo pacto separandus esset, ut decrevit Alexand. III. cap. *Si vir* de cognat. spirit. neque enim fraus & dolus cuipiam patrocinari debet; in tali tamen statu se constitueret, ut debitum reddere deberet, petere non posset, ut in dictum caput affirmat Abbas num. 3.

Si verò in secundo sensu, sentiendum affirmativè, ut resolvit Fagnan. in cap. laudatum, quia textus Joannis procedit de legitimis conjugibus, ideò ut inter eos matrimonium contrahi posset, vel contractum valeret, petenda esset dispensatio. Quod diximus de baptismate, dicendum de confirmatione. Verùm contra dicta sic urgeri posset. Non confirmatus suscipiens confirmandum contraheret cum isto cognationem spiritualem; ergo etiam non baptizatus baptizans vel suscipiens baptizandum, contraheret &c. Sed dicas, non confirmatum esse membrum Ecclesiæ, ideò &c. non ita esse non baptizatum.

ARTICULUS VI.

Quid sentiendum de cognatione legali.

378. Cognatio legalis illa dicitur, quę ab adoptione consurgit, unde communiter definitur *propinquitas ex adoptione proveniens*; dicitur autem legalis, quia non natura, sed lege fuit introducta. Porrò adoptio juxta Jurisperitos aliud non est, quàm *actus legitimus, quo fit filius, aut nepos, qui non est, penè naturam imitans*; & clariùs juxta Theologos, est *extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio, seu electio*: dicitur, *extraneæ personæ*, idest illius, quæ nequaquàm est naturali jure in adoptantis potestate, *in filium vel nepotem, vel deinceps*; quibus verbis ab adoptione non excluduntur fœminæ, & innuitur neminem adoptari posse in fratrem, vel sororem, ut habetur in l. *Nec apud* C. de hæred. instit. *legitima*; quia cum sit per legem instituta, debent, ut valeat præscripta à lege servari.

379. Hujusmodi adoptio duplex est, una perfecta, quæ etiam appellatar arrogatio, quia in l. 2. ff. de adopt. is, *qui adoptat, interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse, & is, qui adoptatur; interrogatur, an id fieri patiatur*. Alia imperfecta, quæ communi nomine adoptio vocatur. Est autem hoc discrimen inter utramque, quod per arrogationem adoptatus transit statim in potestatem adoptantis tanquàm si esset ejus filius naturalis, & est ejus hæres necessarius ab intestato, ex testamento autem in quarta bonorum parte succedit, qua sine culpa sua privari non potest; per adoptionem verò simplicem & imperfectam adoptatus non transit

in

in potestatem adoptantis, nec est ejus hæres necessarius ex testamento, quamvis sit ab intestato. Præterea: Adoptari potest qui non est sui juris, ut est filius sub patris potestate constitutus; arrogari autem nequit, nisi qui sui juris est, emancipatus & liber. Denique adoptio fieri potest cujuslibet Judicis competentis facultate; arrogatio autem fit sola Principis authoritate.

380. Plures etiam conditiones requiruntur ex parte adoptantis. Prima, ut sit vir, fœminæ enim sicut nec carnales filios habent in sui potestate, ita nec alios habere possunt; ideò requiritur privilegium Principis l. *Mulierem* ff. de adopt. Secunda, ut sit juris sui & major vigintiquinque annis, aliter bona sua administrare non potest. Tertia, ut generare possit, vel si non potest, id non proveniat ex defectu naturali, sed ab extrinseco; ideò l. 2. ff. de adopt. excluduntur frigidi; è contrario non excluduntur eunuchi, quia facti sunt impotentes ex accidente; ratio hujus conditionis est, quia adoptio instituta est ad supplendum naturalium filiorum defectum; idcircò illis tantùm jus adoptandi conceditur, qui naturaliter generare possint. Quarta, ut ita adoptatum excedat ætate, ut possit ejus pater naturalis esse; imò decem & octo annis sit major.

381. Hisce breviter de adoptione præmissis, certum est cognationem legalem ortam ex adoptione perfecta esse impedimentum dirimens matrimonium, ut habetur in lege civili l. *Adoptivus* ff. de ritu nuptiar. & in lege canonica cap. *Ita diligere*, cap. *Per adoptionem* causa 30. quæst. 3. difficultas fit de cognatione, quæ oritur ex adoptione imperfecta. Sylvius in addit. ad 3. par. quæst. 57. art. 2., Sanchez lib. 7. disp. 63. num. 9. cum aliis ab ipso relatis negant. Communius autem affirmant alii cum Scoto dist. 42. Ratio horum est, quia si non distinguunt jura, neque à nobis debet distingui; porrò jura, in qubus statuitur cognatio legalis orta ex adoptione tanquam impedimentum dirimens, absque ulla distinctione loquuntur; ergo & nos ita loquamur oportet; unde etiam Glossa in cap. un. de cognat. legali sic habet: *Per decretalem istam, quæ indistinctè loquitur de adoptione, non distinguendo inter adoptatum & arrogatum introducta est cognatio legalis*. Præterea: Quamvis per adoptionem imperfectam non transeat adoptatus in potestatem adoptantis, acquirit tamen aliqua jura, ex quibus licet non sit proximum periculum fornicationis, ad quod evitandum introducta fuit jure positivo cognatio legalis, est tamen periculum grave; igitur &c. Atque ex hac ratione solvuntur argumenta, quæ afferuntur per sententia negativa.

382. Est autem adnotandum, hujus cognationis legalis esse tres species. Prima est quasi descendentium, & fit per lineam rectam, quæ reperitur inter adoptantem & adoptatum, necnon ejus filios, ac posteros. Secunda est quasi transversalis, & est inter adoptatum & filium naturalem vel filium adoptantis. Tertia est adinstar cujusdam affinitatis, quæ consurgit inter adoptatum & uxorem adoptantis, & inter adoptatum & uxorem adoptati.

Conveniunt Doctores primam speciem esse impedimentum dirimens, saltem usque ad quartum gradum; conveniunt pariter speciem secundam solùm dirimere matrimonium adoptati cum filiis carnalibus adoptantis, cum istæ personæ sint tantùm expressę in juribus. De tertia verò mentio fit in jure civili, non tamen in jure canonico; nihilominùs cum canonicum approbaverit in hac parte jus civile, dicendum, eam matrimonium dirimere.

A R-

ARTICULUS VII.

De impedimento criminis.

383. DE crimine, quod sit impedimentum dirimens, hìc agendum suscipimus; etenim de alio, quod sit impedimentum prohibens in sequenti quæstione sermonem instituemus. Porrò hujusmodi crimen duplex est, ut habetur ex cap. *Si quis vivente* causa 32. quæst. 1., & cap. *Significasti*, necnon cap. *Super hoc*. De eo qui duxit. Unum est occisio conjugis, ad quod tamen, ut sit præfatum impedimentum, aliquæ conditiones requiruntur. Primò requiritur, ut mors physicè ac re sequatur ex vi illius actionis, qua vel mulier mariti mortem pertentaverit, vel vir uxoris; hoc autem contingit, sive res peracta sit per se, sive per alium jubendo, consulendo &c. Secundò requiritur, ut mors pertentata fuerit ex fine matrimonium contrahendi; Unde si quis cum muliere conveniret, ut ejus maritum occideret ex odio & vindicta absque intentione mutuò nubendi, hujusmodi homicidium nequaquàm sequens matrimonium dirimeret. Tertiò requiritur ex Bonacina, ut vir & mulier, qui conjungi velint, ambo in mariti mortem conspiraverint; unde si unus eorum mortem intulerit absque alterius opere, impedimentum dirimens non consurgeret; dummodò tamen homicidio non fuisset conjunctum adulterium; Alii tamen Doctores inquiunt, sufficere unius tantùm machinationem; quia in cap. *Si quis vivente*, cùm imponatur impedimentum machinationi, sequitur eodem impedimento teneri etiam alium, cum quo ille intendebat contrahere; cum unum sine altero haberi non possit.

384. Aliud crimen est adulterii; non quia adulterium nudè acceptum matrimonium dirimat inter adulteros, cum dicat S. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 10. *Mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest verum connubium, cum quo prius adulterium fuit*. Sed quia adulterio aliæ conditiones esse debent annexæ, præsertim verò promissio matrimonii post mortem mariti, & hæc promissio sit explicitè vel implicitè acceptata; parùm autem refert, promissionem istam esse vel sinceram, vel fictam, cùm promissio ficta, quæ sincera creditur, æquè ad adulterium impellere possit; Ecclesia autem hoc impedimentum statuens ab adulterii scelere voluit deterrere fideles; & idem dicito de homicidio, quod sub tali promissione impiè patraretur.

Dixi: *Ecclesia hoc impedimentum statuens*, ut agnosceres, neque jure naturali, neque divino positivo hujusmodi impedimentum contrahi, sed tantùm jure Ecclesiastico; etenim David duxit Bethsabee, quam infami polluerat adulterio, & cujus virum gladio filiorum Ammon interfecit.

ARTICULUS VIII.

De impedimento cultus disparis.

385. PLura, quæ hic dici possent, exposita sunt quæst. 4. §. 1. art. 3., ubi de matrimonio inter infideles pertractatum est, paucis igitur rem hanc persolvemus, quę non reducitur ad fidei internæ diversitatem, sed ad fidei exterioris diversam professionem, ut optimè adnotat S. Thom. in 4. dist. 39. quæst. unica art. 1. ad 5., & ideò non dicitur fidei disparitas, sed cultus, qui actionem respicit exteriorem.

386. Disparitatem istam nullum reddere matrimonium certissimum est, sed quo pacto nullum reddat, satis difficilè probari potest; neque ad jus aliquod confugere possumus nisi ad Ecclesiasticum, cum neque jure naturali, neque divino matrimonia fidelium cum infidelibus irrita esse aliquo possit ostendi momento. Non quidem jure naturali,

rali, cum non opponantur omninò fini matrimonii, qualis est prolem suscipere, atque illam christiano more educare; imò in lege naturæ plura hujusmodi matrimonia inita esse nobis non desunt exempla. Jacob duxit filias Laban hominis Ethnici Gen. 29. Joseph Asenech filiam Putipharis Ægyptii Sacerdotis Heliopoleos Gen. 41., Moyses Sephoram filiam Jetro Sacerdotis Madian, Exodi 2. talia fuerunt etiam in lege scripta, Esther data fuit Assuero Persarum Regi. Est. 2. Salomon 3. Reg. 3. filias Pharaonis accepit, nec propterea à scriptura reprehenditur.

387. Sed neque jure divino invalida declarata fuisse, aliquis sacer textus potest afferri. Novi Exodi 34. dictum fuisse: *Ne uxorem de filiabus eorum accipias filiis suis*. Deuteron. 7. *Non sociabis cum eis conjugia*, quod & Reg. 3. cap. 11. ubi redditur ratio, *certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum*, & Esdra hujus divini præcepti interpres uxores alienigenas, quas in captivitate duxerant, à filiis Israel separavit. Verùm ex his probatur quidem, illa matrimonia illicita fuisse, non tamen invalida; istudque præceptum fuisse, ut inquiunt, inhibitorium non irritatorium; & quod factum fuit ab Esdra, si etiam quo ad vinculum separavit, id factum esse ex divina dispensatione, asserendum est.

388. Multò minùs ex testamento novo id colligere possumus. Quod enim dicat Paulus 1. ad Corinth. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino* & 2. cap. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, infertur matrimonium fidelis cum infideli illicitum esse, nequaquàm nullum; quod etiam observavit S. Augustinus lib. 1. de conjugiis adulter. cap. 25. ubi ait. *Non enim tempore revelati testamenti, in Evangelio, vel ullis Apostolicis litteris, sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrùm Dominus probibuerit, fideles infideli conjungi; quamvis Beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat, prostituere gentilibus membra Christi*. Imò præclarissimus Doctor lib. de fide & oper. cap. 19. asserit, hujusmodi matrimonia non fuisse suo tempore habita tanquàm peccata, dicens: *Quoniam reverà in novo testamento nihil inde præceptum sit, & ideò aut licerè creditum est, aut velut dubium esse derelictum*. Atque hoc procul dubio dicamus oportet, cum matrimonia fidelium cum infidelibus suo tempore fuisse frequentia scribat etiam S. Hieronym. lib. 1. in Jovinian. & exempla habeamus in S. Monica Augustini matre, quæ pagano nupsit, ut fatetur Sanctus Doctor lib. 9., nec non S. Clotilde Clodovæo Francorum Regi, & priùs S. Cæcilia Valeriano.

389. Hisce expositis superest dicamus per cultus disparitatem tantùm jure Ecclesiastico dirimi matrimonium. Si autem à me quæras quibus in testibus jus canonicum ita præscripserit; quatuor producere possum. Primus est in Concilio Nicæno 1. generali can. 67. ubi hæc leguntur: *Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, à communione fidelium separetur; quæ si pœnitentiam maleficii egerit, & eum virum, quem habere non poterat, idest infidelem, dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo, quo recipitur is, qui postquàm fidem negavit, ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere*. Secundus est in Concilio Chalced. act. 15. can. 14., ubi habetur: *Neque copulari debet nuptura Hæretico, aut Judæo, vel Pagano; nisi fortè persona orthodoxæ copulanda promittat, se ad orthodoxam fidem transferre*. Tertius in sexta Synodo can. 72. ubi dcitur: *Non licet, virum orthodoxum cum muliere Hæretica conjungi, neque verò orthodoxam cum viro Hæretico copulari. Sed etsi quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi &c.* Quar-

tus

tus colligitur ex can. *Videtur* 35. q. 6. ubi Celestinus I. statuit, non fore uxorem, quæ contra prohibitionem Ecclesiæ ducta est. Afferri etiam possent can. *Judæi* can. *Cave* can. *Non oportet* can. *Si quis Judaica* 28. q. 1.

390. Contendunt aliqui per istos canones irritum declarari matrimonium contractum inter dispares cultu, sed re vera ita non est, cum primus intelligi possit de separatione quo ad thorum & cohabitationem, quoad licitum contractum, non quoad validum; secundus nimis amplè loquatur, cum in eo sermo sit non tantùm de Judæis & Paganis, verum etiam de Hæreticis, cum quibus tamen matrimonium fidelium validum esse tàm Theologiæ quàm sacrorum canonum professores communiter affirmant; tertius nullius ponderis sit, cum conditus fuerit vel in Trullana Synodo, vel etiam probabiliùs à quibusdam extra Synodum; Quartus denique nimis probat, cum dicat, omnem actum contra Ecclesiæ prohibitionem factum irritum esse; quod est contra expressam sententiam Innoc. III. cap. *Ad Apostolic.* de regul. *Multa fieri prohibetur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*; atque ideo explicandus est de uxore quoad usum & actum, quo privantur illi, qui contra Ecclesiæ statutum uxorem ducunt; Simili modo explica alios canones, qui non sunt vel Summi Pontificis, vel Concilii plenarii; sed vel quorumdam Episcoporum, vel aliquorum Conciliorum Provincilium.

391. Ideò meliùs dicunt alii, quod impedimentum dirimens ex cultus disparitate progrediens, non ex aliqua Ecclesiastica lege scripta descendat, sed ex receptissimo usu, qui vim legis obtinuit; cujus quidem præ cæteris mentionem facit Tertull. in toto lib. 2. ad uxorem, quemque ab Apostolis originem duxisse demonstrat. Hujus consuetudinis causa repetenda est ex periculo ab orthodoxa fide resiliendi, à difficultate susceptam prolem ritè pieque educandi, ex perpetuæ discordiæ inter conjuges occasione.

392. Dum verò dico irritum esse matrimonium fidelis cum infideli, intelligo infidelem non baptizatum, etiamsi iste foret cathecumenus; ratio est, quia matrimonium in præsenti rerum ordine evectum est ad Sacramenti dignitatem; nullum autem Sacramentum suscipi potest, nisi baptismus præcedat, ut toties dictum fuit, & de istis procedunt sacri canones, præsertim can. *Cave* 28. q. 1.

393. Si enim sermo sit de matrimonio fidelis cum Hæretico; fuerunt quidem aliqui, existimantes id invalidum esse, cum Glos. in cap. *Final.* de condit. apposit. verbo *contra substantiam*. Nihilominùs sentiendum est, etsi illicitum sit ac prohibitum, attamen in sui valore nequaquàm deficere, quod docent omnes Scholast. in 4. dist. 29., & colligitur ex cap. *Decrevit* de Hæreticis, ubi Bonifac. VIII. statuit ut mulieres, quæ ex scientia cum Hæreticis contraxerint in delicti pœnam dote priventur, non decernit autem, ut separentur; imò illas appellat uxores; Ratio autem est; quia Hæretici isti supponuntur verè baptizati, nec ullus canon afferri potest, qui sit irritativus.

Dices tamen, omnia ea argumenta, quæ probant consuetudinem irritandi matrimonium fidelis cum infideli non baptizati, probant etiam irritari contractum inter fidelem, & Hæreticum; nam hic etiam est periculum subversionis, difficultas piè educandi filios, & dicordiarum occasio; igitur pari modo loqui debemus.

Fateor hasce rationes aliquo modo militare etiam in matrimonio fidelis baptizati cum Hæretico; attamen in Hæretico est aliquid, quod non est in non baptizato, & Ecclesia diversimodè statuit de uno ac de altero matrimonio, quod est unicum momentum, cui debemus insistere.

ARTICULUS IX.

De impedimentis consurgentibus ex vi, & ordine.

De istis nihil nobis dicendum superest, violentiam impedire & nullum reddere consensum ipsa ratio naturalis dictat, perpende tantùm quot modis haberi possit violentum, & metus incuti; atque omnia resoluta perspicies. De ordine etiam jam satis alibi dictum est, ubi de ordine egimus, Itaque.

ARTICULUS X.

De impedimentis ligaminis, & honestatis.

394. Ligaminis nomine impræsentiarum intelligimus vinculum matrimonii præcedentis cum conjuge adhuc superstite, sive matrimonium fuerit consummatum, sive etiam tantum ratum. Ut potiora, quæ dici possent, habeas resoluta, recole quæ dixi de polygamia, & de matrimonii indissolubilitate. Hic tantùm observa, quod ultra naturale ac divinum præceptum aliam uxorem non ducendi vivente priori, datur etiam Ecclesiasticum, ut apparet ex Alex. III. cap. *Licet* Innoc. III. cap. *Finali*. Gregorio IX.

395. Ut igitur validè matrimonium contrahatur, necesse est, priorem conjugem extremum diem obiisse, & alteri superstiti, qui velit iterùm nubere, inesse debet ejusdem mortis certitudo; Quod enim in antiquo civili jure permittebatur, nempe mulieres post quinquennalem maritorum absentiam ad alias nuptias posse convolare, correctum fuit à jure novo tàm civili, quàm canonico; ab illo quidem Authentica *Hodie* c. de repudiis, in hoc verò c. *In præsentia* de sponsal. & matrimonio. Verùm difficultas est, qualis & quanta debeat esse hujusmodi certitudo.

In citata authentica habetur, ut si vir fuerit militię adscriptus, uxor vel per se vel per alium ducem adeat, qui scripto cum juramento testetur, eum esse mortuum, & nonnisi post elapsum annum nubat, aliter ut adultera puniatur. Innoc. III, c. *Quoniam* §. *Porrò* statuit, *quod si de carnali conjugio sit agendum, tàm diu alter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur*. Ex quibus inferunt aliqui sufficere verisimilitudinem, seu probabilitatem.

396. Alii verò, & meliùs, moralem certitudinem exposcunt, ut habetur ex Clemente III. cap. *In præsentia* de sponsal. & Lucio III. cap. *Dominus*; prohibent enim secundas nuptias, donec certum nuncium de morte recipiatur, per certum autem nuncium non intelligitur unum testimonium, siquidem unus testis etiam cum juramento in judicio habetur ut nullus, nequaquàm sufficiens ad justam probationem faciendam, ut l. *Juris jurandi* cap. de testibus & c. *Licet de testibus*, sed intelligitur talis certitudo, ut auferatur quæcumque causa dubitationis; Hinc sola fama non sufficit, cum hæc sit communis existimatio ex suspicione proveniens, quippe quæ fere semper oritur ex vana ac fallaci vulgi opinione.

397. Adhibenda igitur est tanta diligentia, ac consilii maturitas, ut moraliter loquendo nullus dubitandi locus supersit; sint testes probatæ ac integerrimæ fidei, saltem duo; sint patentes litteræ subscriptione ac sigillo illorum firmatæ, ad quos spectat mortuorum catalogum texere ac custodire. Quod si hoc non obstante deprehenderetur post secundas nuptias, ad quas transire concessum fuerit, adhuc vivere priorem uxorem, vel priorem maritum, mulier à secundo marito recedat, & in prioris viri potestate sit; sicut & vir à secunda uxore divellatur, & prioris uxoris se maritum esse cognoscat. In cap. *Dominus* de secundis nuptiis sic legitur statutum. *Si post hoc de prioris conjugis vita con-*

constiterit, relictis adulterinis amplexibus, ad priorem conjugem revertetur. Dicuntur autem adulterina conjugia, non quia priùs fuissent hujusmodi, cum sine dolo adulterium non committatur, ut ait Cajus Jurisconsul. l. penult. ff. de adulter., sed quia posteà talia essent futura.

398. Quid igitur dicendum erit, si prior conjux reverà objerit, & contractum esset secundum matrimonium sine hac morali certitudine? esset ne matrimonium validum?

Respondeo, invalidum censendum esse; tum ex parte Ecclesiæ, quæ ideò hoc decrevit, ut evitarentur adulteria, quæ facilè committi possent, si moralis hæc certitudo non expectaretur; tum ex parte conjugis mortui, qui etiam mortuus habet jus præsumptum, ut quamdiù de sua morte certò juridicè non constat, nequeat superstes ad secundas nuptias pertransire. Quare si in ea hypothesi matrimonium contraheretur, esset posteà per verba de præsenti novus præstandus consensus.

399. Adversùs hæc videntur esse nonnulla, 1. quia Ecclesia non præscribit hanc moralem certitudinem tanquàm conditionem ita necessariam, ut ipsa deficiente matrimonium sit irritum; nullum enim est verbum irritatorium. 2. quia standum semper est pro validitate contractus, quando de opposito expresse non constat. 3. quia Lucius III. laudato cap. *Dominus* decernit, *Si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum*; hoc autem dici non potuisset, si matrimonium fuisset invalidum, quandoquidem neque reddere fuisset permissum.

400. Dicendum tamen, primum non haberi quidem per expressa verba, colligi tamen ex fine, quo certitudinem istam moralem præscripsit Ecclesia; & ex jure, quod præsumptivè perseverat in conjuge quamvis defuncto, ut dictum est. Ad secundum, valet illa regula, quando de contractus invaliditate aliundè non constet oppositum; constat autem in nostro casu. Neque obstat, matrimonium inter res favorabiles recenseri; etenim agitur de valore secundi matrimonii in præjudicium primi, quod cum sit in possessione debet illi pævalere. Ad 3. pluribus responsionibus non caremus; primò dici potest, ibi sermonem esse de dubio, quod exoriatur post contractum secundum matrimonium; secundò, loqui Pontificem de eo, qui antequàm ad secundas nuptias transiret, esset juris ignarus, quo casu nequaquam sic contrahens adulter appellari potest, dicente August. lib. de fide & operi. cap. 7. *Si Virgo nesciens viro nupserit alieno, hoc si semper nesciat, nunquàm ex hoc erit adultera*.

401. Quia verò textus Innoc. III. cap. *Quoniam* adductus num. 395., videtur innuere sufficere probabilitatem, cum habeantur illa verba, *donec de ejus obitu verisimiliter præsumatur*, debet à nobis explicari, ne dicamus opponi alteri tenui relato num. 396. in quo certum nuncium præscribitur: est porrò intelligendus de verisimilitudinibus, quæ appellantur violentæ, ex quibus simul cum tempore, quod expectari debet, habetur plena probatio; & ideò violentæ dicuntur, quia vim inferunt intellectui moralem ad præbendum assensum; Voluit autem Pontifex verisimilitudinis uti vocabulo, non ut eam à morali distingueret certitudine, sed ab evidenti cognitione, quæ nec semper haberi potest, nec est necessaria. Quod verò in authentica laudata dicatur, unum annum expectandum esse, non tenet; quia in jure canonico, cui in causis matrimonialibus standum est, de hoc nihil præscribitur.

402. Superest, ut modo de impedimento publicæ honestatis aliqua proferamus. Eam definivit S. Th. in 4. dis. 41. q. unica art. 1. quæstiun. 4. in corpo-

corpore, esse *propinquitatem provenientem ex sponsalibus* (idem dicito de matrimonio rato, non consummato) *ex Ecclesiæ institutione propter honestatem ejus*. Appellatur *propinquitas* ut denotetur aliquam affinitatis speciem præseferre, *ex sponsalibus* vel matrimonio rato proveniens, ut afferatur discrimen inter publicam honestatem, & affinitatem; hæc enim oritur tantùm vel ex carnali copula quomodocumque habita, vel ex matrimonio consummato; *Ex Ecclesiæ institutione* quia hocce impedimentum dumtaxat jure Ecclesiastico inductum est; ejus autem habetur mentio in cap. *Litteras* de desponsat. impuber. c. *Juvenis* c. *Veniens* cap. *Ad audientiam*. Tandem *propter honestatem ejus*, ut indicetur causa, ob quam Ecclesia ita decrevit; æquum enim & consonum honestati Ecclesiæ est, ut propter inchoationem matrimonii, quæ reperitur in sponsalibus consanguineis utriusque sponsi interdicitur matrimonium cum altero, ut adnotavit Jurisconsult. l. *Sique* §. 1. & l. *Semper* ff. de ritu nuptiarum. Hinc habeas, impedimentum hoc ex matrimonio rato, vel ex sponsalibus infidelium non oriri, cum ii nulli Ecclesiasticæ legi subjaceant; debuisset tamen expositæ definitioni addi impedimentum hoc tantùm se extendere ad *consanguineos personæ desponsatæ*, quia nequaquàm affines comprehendit, & ideò sponsus mortuæ sponsæ hujus affini copulari posset.

403. Inspecto jure antiquo usque ad quartum gradum consanguinitatis honestas publica protendebatur, quod docuerunt antiquiores Theologi; verùm per jus novum in Tridentino Concilio sess. 24. cap. 3. ad primum tantummodò contracta est tàm in linea recta, quàm transversa. Verba Concilii sunt ista: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsùs tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat*. Ex quibus compertum habes, quod si contractus invalidus quavis ratione fuerit, publica honestas non officit.

404. Si autem sponsalia priùs valida mutuo fuerint dissoluta consensu, adhuc remanet impedimentum; sicuti remanet, quamvis sponsus vel sponsa moriatur, ut habetur cap. *Sponsam*, cap. *Si quis desponsaverit*, cap. *Si quis uxorem*; ratio est, quia licet ista sponsalia dissoluta sint, & nulla, valida tamen fuerunt; atque hanc fuisse mentem Congregationis Cardinalium, cujus judicium probavit Alex. VII. testatur Fagnan. in cap. *Ad audientiam* n. 29. de sponsalibus.

405. Si tamen honestas publica non oriatur ex solis sponsalibus, sed ex matrimonio rato, adhuc viget antiquum jus, & ideo usque ad quartum gradum matrimonium dirimit cum consanguineis; unde per Tridentinum non fuit in hac parte correctum, quod manifestè declaravit Pius V. in motu proprio, qui incipit: *Ad Romanum spectat*, ubi sic statuit: *Authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus & definimus, Decretum Concilii hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut præfertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum Decretum Concilii introductum erat.*

ARTICULUS XI.

De impedimento affinitatis.

406. Affines illi dicuntur, quorum unus trahitur ad fines alterius, ut dixit Tullius Orat. 4. in Catilinam; quemadmodùm enim agri dicuntur affines, quandò finis unius proximus est fini alterius; ut ex Jurisconsulto l. *Non facilè* ff. de gradibus affinitatis; ita consanguinei alterutrius conjugis affi-

affines fiunt alteri conjugi, quando duę cognationes inter se diversæ per nuptias copulantur, & altera ad alterius fines accedit; Ratio est, quia cùm vir & uxor efficiantur una caro, sanguis unius alterius sanguinem attingere dicitur, & propterea unius consanguinei ad quamdam alterius cognationem, quę affinitas appellatur, trahuntur; qua in re S. Gregor. relatus cap. *Fraternitatis* cau. 35. quæst. 10. ait: *Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri?*

407. Est autem affinitas ex Glos. 35. quæst. 5. in arbore affinitatis; & Scholasticis in 4. dist. 41. *propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela*. *Propinquitas* inquam, & sic convenit cùm cognatione carnali, *ex carnali copula*, ut hujusce propinquitatis causa proferatur; atque adnotandum est, affinitatem non solùm oriri ex copula licita, sed etiam ex fornicaria & illicita; quod immeritò negatum fuit à paucis quibusdam Doctoribus, quos refert Archidiacon. cap. unico num. 6. de sponsalib. in 6. Manifestè enim habetur contrarium in cap. *Discretionem*. *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ*. Et novissimè ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 4., quod affinitatem ex fornicaria copula contractam ad secundum gradum restringit, cujus verba infra afferemus. Debet autem ista copula esse perfecta sufficiens ad generationem; alioquin erit tantùm affinitas inchoata & imperfecta; quod dico, ad innuendum, affinitatem imperfectam contrahi etiam per matrimonium ratum, ut docet S. Th. in 4. dist. 41. quæst. unica art. 1.

408. Olim triplex affinitatis genus distinguebatur, v. g. Si Anna fratri meo erat conjuncta, erat mihi affinis in primo gradu; si fratre meo defuncto, Anna nupsisset Antonio Xaverio, hic fiebat mihi affinis in secundo genere; si verò Anna defuncta, Antonius Xaverius nupsisset Catharinæ, hæc mihi in tertio genere fiebat affinis. Nunc verò post Concilium Lateranense IV. sub Innocent. III. an. 1215. tantùm primum affinitatis genus retentum est can. 50.

409. Affinitas igitur, quæ matrimonii impedimentum est, contrahitur tantùm inter fœminam & consanguineos viri, & vice versa inter virum & consanguineos fœminæ; vir autem & fœmina non sunt affines, quia sunt duo in carne una; sed sunt veluti stipes, unde sumitur affinitatis exordium; hac de re inter consanguineos fœminæ, & illos viri nulla consurgit affinitas; & ideo pater & filius possunt ducere matrem & filiam; duæ sorores nubere possunt cum duobus fratribus; frater & soror cum fratre & sorore; filius uxoris cum filio viri; ratio desumitur ex illo communi: *Affinitas non parit affinitatem*.

410. Si autem quæras, quo pacto gradus affinitatis computandi sint; dico, affinitatem proprios gradus non habere, sed desumendos esse à gradibus consanguinitatis, ita ut quot gradibus quis distat in consanguinitate à viro, tot gradibus in affinitate distet à fœmina, & quot gradibus distat in consanguinitate à fœmina, tot in affinitate distat à viro; hoc tam in linea recta, quàm in collaterali, v. g. Si pater meus secundo nuberet cum Anna, hæc mihi fieret affinis in primo gradu lineę rectę; si frater meus nuberet cum Catharina, hæc mihi affinis fieret in primo gradu lineæ collateralis; & sic loquendo de reliquis.

411. Sed jam videndum superest, in quonam gradu affinitas dirimat matrimonium; & quo jure.

Quantum ad primum distinguenda est affinitas in linea recta ab affinitate in linea transversa; Si de prima fiat sermo, nullum est matrimonium inter socerum & nurum; socrum & generum; privignum & novercam & vitricum. Si

verò

verò de secunda, olim usque ad septimum gradum prohibitum erat; at Concilium Lateran. IV. ad quartum revocavit, sicut de consanguinitate dictum fuit. Hoc quidem de affinitate orta ex copula licita & conjugali; at affinitas progrediens ex copula illicita & fornicaria matrimonium tantùm dirimit intra primum gradum & secundum. *Sancta Synodus*, legitur in sess.24. Concilii Tridentini cap. 4. *impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit. In ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere*, quod & confirmavit Pius V. in quadam sua Constitutione, quam refert Pyrrhus Corradus lib. 7. cap. 1.

412. Quantum ad secundum, difficultas est de affinitate ex matrimonio consurgente; siquidem tanquàm certum ab omnibus existimatur dempto uno vel altero, inter quos etiam S. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 11. §. 1. affinitatem ortam ex fornicatione solo jure Ecclesiastico inductam fuisse; In hoc puncto non defuerunt, qui dicerent, jure naturali irritum ac nullum esse matrimonium inter affines in recta linea ascendentium ac descendentium in infinitum; atque eædem sunt rationes, quæ prolatæ sunt, dum de consanguinitate fuit sermo. Aliqui verò docuerunt, hoc in primo gradu lineæ rectæ affirmandum esse, in qua sunt socer & nurus; socrus & gener; privignus & noverca; privigna & vitricus. Eorum fundamentum est, quia ii sunt loco parentum, quibus reverentia & subjectio debita est; & revera à nulla ratione hujusmodi matrimonia fuerunt unquam admissa, sed semper ut naturæ contraria reprobata; quod & habetur in l. *Non facilè* ff. de gradus affinit., confirmaturque ex eo, quod nunquàm legitur in hoc gradu fuisse à Summis Pontificibus factam dispensationem. Validius etiam argumentum colligitur ex epist. S. Pauli 1. ad Corinth. 5., ubi sic ait: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*. Constat autem gentiles dumtaxat legi naturali fuisse subjectos. Additur etiam, Levit. 18. & 20. hæc matrimonia fuisse prohibita, in quibus capitibus ea tantùm interdicta videntur, quæ juri naturali adversantur. Hinc Jacob morti proximus Gen. 49. maledixit Ruben primogenito suo, quia paternum thalamum maculaverit cubans cum sui patris uxore, quam tamen aliis filiis, quamvis gravissimis sceleribus coinquinati forent, non intulit.

413. Hanc posteriorem sententiam defendunt plùres, & quidem gravioris notæ Theologi, quos affert Sanchez lib. 7. disp. 56. num. 6., atque eam valdè probabilem esse nemo potest inficiari. Nihilo tamen minùs probabilius censeo, affinitatem ex matrimonio ortam naturali jure in nullo gradu lineæ rectę invalidum reddere matrimonium; quod docuisse videtur S.Th. 2.2. q.154. art. 9. ad 1., & apertè sustinent Sanchez, Pontius, aliique penes ipsos. Ratio est, quia hujusmodi matrimonia non opponuntur neque fini primario, neque secundario, neque ulla datur naturalis superioritas unius respectu alterius, sed tantùm extrinseca & moralis, quæ reperitur etiam inter pupillam & tutorem; illa enim fundatur in esse naturali, quod per generationem recipitur. Si igitur demus jus Ecclesiasticum, illicitum quidem erit, privignum ducere novercam, vel vitricum privignam, cum quædam indecentia appareat, quæ nonnisi justa ex causa cohonestari potest, non tamen erit invalidum. Hæc omnia, ut arbitror perpenderunt nonnulla Concilia, præsertim Agathen. can. 61., & Epannense can. 30., in quibus statuitur, quod licet prohibitum sit matrimonium in-

inter privignum & novercam; attamen *si ante prohibitionem contractum fuerit, non dissolvatur*.

414. Neque momenta in oppositum producta multi facienda sunt; etenim ad primum dicendum, eos impropriè esse loco parentum, cum non succedant communicantes esse naturale, ex quo consurgit naturalis reverentia & subjectio; & falsum est, talia matrimonia ab omnibus fuisse tanquàm naturæ contraria rejecta, siquidem Valerius Maximus lib. 5. cap. 7. & Plutarc. in vita Demetrii referunt, Seleucum Regem Antiocho filio suo ex alia uxore genito Stratonicam propriam uxorem in matrimonium tradidisse, & 3. Regum 2. Adonias filius David Abisag Sunamitidem in uxorem petiit, quam tamen fuisse David uxorem legitur 2. Regum cap. ult.; & quamvis etiam res ita esset, sicut in argumento proponitur, inde non inferretur, naturali jure irrita esse, plura enim esse possunt naturali rationi dissentanea, quæ improbentur ut illicita, nec tamen damnentur ut irrita. Ad legem citatam, & alia jura, quæ àfferri possunt, in quibus videtur, ita ratiocinandum esse de affinitate, sunt de consanguinitate, dicas, esse quamdam similitudinem genericam, non specificam; & ita jure Ecclesiastico affinitatem impedire, sicuti jure naturæ impedit consanguinitas. Neque movere debet, nusquam legi in hocce gradu affinitatis Pontificem aliquem dispensasse, nam ideò hoc evenit; quia in hac re nullus supplex libellus ad Sanctam Sedem delatus fuit, vel Pontifices noluisse annuere petitioni; quia etsi jure naturali matrimonium fuisset validum, attamen naturali juri fuisset valdè inconveniens. Paulus in eo textu loquitur de uxore patris adhuc viventis, ut Cajet. & Sedulius cum aliis non paucis in eum locum observant, atque Sancti Anselmus, & Thomas hoc colligunt ex illis verbis 2. ad Corinth. 7. *Etsi scripsi vobis, non præter eum, qui fecit injuriam, nec præter eum, qui passus est*. Injuria autem non fit viro mortuo, soluto enim matrimonio, habet mulier sui corporis potestatem. Quod verò in eo sensu loquatur Apostolus, manifestum est, cum dicat, hoc inter gentes auditum non esse, quod esset falsum, ut dixi superius. Ex illa Levitici lege nihil colligitur, siquidem in ea prohibita erant matrimonia etiam in primo & secundo gradu affinitatis transversæ, quæ tamen jure naturæ irrita non sunt, ut infra statuam, & communissimè receptum est. Denique Ruben maledictus fuit à patre, non quia incestum commiserit, sed quia adulterii scelere gravissimam patri tulit injuriam.

415. Hoc tanquam probabilius dixi, quod modo subdo, tanquàm certum pronuntio; nempè in nullo grudu lineæ transversæ matrimonium jure naturæ irritum esse. Legimus Gen. 29. Jacobum virum sanctissimum Liam & Rachelem sorores duxisse, & Deuter. 27. præcipitur, ut frater ducat uxorem fratris sui sine liberis defuncti, hoc autem factum non esset, si contrarium juri naturæ fuisset. Aptius tamen momentum in hac re afferri non potest, quàm plura exempla, in quibus Romanos Pontifices etiam in primo gradu affinitatis transversæ dispensasse compertum est. Producere possem plura antiquiora, qualia sunt Innocent. III. qui dispensationem fecit cum Livionensibus, ut constat ex cap. *De divortiis*. Martini V. qui cum alio viro nobili, ut ex Archidiacono refert Sylvester. Alexand. VI. qui cum Emmanuele Lusitaniæ Rege, ut duceret sororem uxoris defunctæ. Julii II. qui cum Henrico VIII. Angliæ Rege, ut nuberet Catharinæ uxori fratris sui defuncti, quam dispensationem, cum Henricus alterius amore captus tanquàm nullam esse contenderet, Clemens VII. celebrioribus ex totius Orbis Academiis consultis Theologis validam ac licitam fuisse declaravit. Sed sufficiant recentiora in Francisco Far-

nesio, & D. Odescalco. Ille duxit Dorotheam à Neoburg prius uxorem fratris sui Odoardi, iste defuncta una Burghesia alteri ejusdem sorori se junxit.

416. Non me fugit aliquos fuisse, qui existimantes, omnes gradus Levitici 18. recensitos ad jus naturæ pertinere, dixerunt affinitatem in linea transversa naturali jure matrimonium nullum efficere; sed de hac re satis suo loco dictum est. Interim nonnulla alia producunt. Primò: Quia inter fratrem & sororem jure naturæ irritum est matrimonium; uxor autem fratris reputatur tanquam soror, quia cum fratre est una caro. 2. Quia in cap. *De infidelibus* de consanguin. decernitur, non esse infideles ad fidem conversos separandos, qui secundum legis veteris instituta matrimonium contraxerunt; igitur è contrario separandi erant, si contra illius legis præcepta contraxissent; & in cap. *Gaudemus* de divortiis statuitur, infideles conjunctos in secundo gradu separandos non esse; ergo conjuncti in primo separandi sunt. Denique, cur Joannes Baptista Matth. 14. reprehendisset Herodem, eo quia fratris sui Philippi duxerat uxorem?

417. Sed contra. In primis major argumenti est falsa juxta ea, quæ diximus de impedimento cognationis per plures numeros; deinde minor est vera de unitate lata & impropria, non propria & vera. Ad 2. argumentum ibi è contrario non tenet, cum Pontifex sibi factæ respondeat interrogationi; sed de hoc satis dictum alibi. Præterea sermo erat de gradibus consanguinitatis, non affinitatis. Ad postremum: Philippus Herodis frater adhuc vivebat, ut scribunt Josephus lib. 18. antiquit. cap. 1. Beda in cap. 6. Marci, & S.Th. in illum locum Matth. Quod si velis, mortuum fuisse, ut scribit Chrysost. hom. 41. in Matth., aut saltem ambiguum esse, utrùm viveret, ut ait S. August. de fide & operibus cap. 19., dicam, Herodem cujusdam Judæi filium fuisse, qui proinde lege Mosaica tenebatur. Breviùs me expediam, dicendo, illud fuisse illicitum, proinde reprehensione dignum, non verò invalidum, & reverà dicebat Joannes: *Non licet tibi habere fratris tui Philippi uxorem.*

ARTICULUS XII.

De impedimento impotentiæ.

418. Libenti animo punctum hoc præterirem; video enim de eo pertractari non posse, quin de pluribus, quæ turpia sunt, & innocentis animi offendiculum, sermo contingat. Quantùm potero modestè me geram. Ut integra mente à me hęc scripta sunt, ita à te legi exopto; sin minùs, oculos averte, istasque prætervola paginas.

Impedimentum impotentiæ naturale est, cum matrimonii finis nullo pacto possit servari. Multiplex porrò recenseri potest impotentia. Alia est naturalis & intrinseca orta ex nimia frigiditate, qua fit ut nec copula haberi possit, nec semen emitti. Alia est accidentalis & extrinseca orta à maleficio, vel quavis alia extima causa. Rursùs: Alia est perpetua, quæ nullo remedio saltem licito superari potest; & alia est certo tempore præfinita. Præterea: Alia est absoluta respectu cujuscumque, alia respectiva per ordinem ad unam vel alteram personam. Quamvis verò impedimentum hoc ex parte viri progredi etiam possit ex nimio calore, quo fit, retineri non posse virile semen usque ad naturalis vasis penetrationem; attamen hujusce mentio non fit, quia ut notavit S. Th. in 4. dist. 34. quæst. unica art. 2. ad 2. superflua caliditas vix potest esse impedimentum perpetuum, cum frigescente ætate desinere soleat; cæterum si etiam hæc perpetua foret nullum redderet matrimonium. Hisce expositis nonnullas assertiones stabiliam.

Af-

419. Assertio 1. Impotentia perpetua vel ad penetrandum vas, vel ad seminandum intra, non solum jure Ecclesiastico, sed etiam naturali nullum reddit matrimonium; dummodò tamen antecedens; etenim si superveniat matrimonio jam contracto, sive consummatum sit, sive etiam tantummodo ratum; sicut matrimonium validum fuit, ita in suo valore perseverat, cum utrumque ex suis intrinsecis indissolubile sit ex dictis in proprio loco. Si autem dubitatio excitaretur, utrum impotentia hæc matrimonium præcesserit, vel posterior fuerit, quamvis dixerint aliqui, præsumendam esse posteriorem, proinde valere matrimonium; attamen communius sentiunt Doctores oppositum.

Quod verò hujusmodi impotentia perpetua sit impedimentum dirimens jure naturali, ex eo manifestum fit, quod finis primarius matrimonii est per se ad gignendam prolem, & quamvis actualis copula ad ejus essentiam non pertineat, ut dictum est in proprio loco; attamen esse non potest sine mutua conjugum obligatione ad maritale debitum reddendum, cum essentia illius consistat in mutua corporum traditione, ex qua necessario sequitur obligatio reddendi debitum; fieri autem non potest, ut in perpetua laborans impotentia possit se ad tale debitum reddendum obstringere, sicuti in contractu emptionis ille non est idoneus, qui impotens est ad pretium pro re solvendum; ergo. Atque per hoc patet, matrimonium etiam reddi nullum per impotentiam perpetuam seminandi intra vas; quia sine mutua seminis & sanguinis commixtione non habetur principium ad gignendos filios idoneum; atque est ea ratio, quam profert Cœlestinus Papa III. cap. *Laudabilem* de frigidis.

Quod verò attinet ad jus Ecclesiasticum habetur ex cap. 2. 3. & ferme toto titulo de frigidis.

420. Si ita est inquies, matrimonium inter senes, atque steriles nullum erit; etenim senes inhabiles sunt ad copulam, & steriles ad generationem; & tamen hujusmodi matrimonium validum existimatur.

Quantùm ad senes lex *Papia Poppæa* interdixit viris sexagenariis, & fœminis quinquagenariis nuptias, verùm legem istam, tanquàm iniquam, priùs abrogavit Claudius Cæsar ex Suetonio in ejus vita; deinde Justinianus l. penult. C. de nuptiis; & procul dubio tenendum est, matrimonium senum validum esse; quamvis enim isti careant proxima & expedita generandi facultate, possunt tamen habere perfectum actum conjugalem, & verè intra vas seminare; quod sufficit ad essentialem matrimonii notionem; atque ideo Ecclesia nullum senem à matrimonio repellit. Si tamen senex adeo viribus exhaustus esset, ut omninò impotens ad copulam foret, tunc ejus matrimonium nullum esset; quia ad nullum matrimonii finem, nempe neque ad habendos filios, neque ad libidinem sedandam esset institutum.

421. Quantùm ad steriles eadem ratione dicendum est; ipsorum matrimonium validum esse, ut constat ex usu Ecclesiæ, quæ nunquàm sterilitatis causa aliquod conjugium legitur dissolvisse; Certè inter Zachariam & Elisabeth verum erat matrimonium, & tamen hæc erat sterilis, Luc. 2.

Fuerunt tamen aliqui oppositum arbitrantes, pluribusque momentis ducuntur. 1. Quia si impotentia ad copulam irritat matrimonium, à fortiori sterilitas, ex qua sequitur impotentia ad generandam sobolem, quæ est finis conjugii, quo desinente esse nequit voluntas efficax conjugii, quod se habet ut medium, absque autem conjugii voluntate conjugium esse non potest. 2. Quia hoc decisum videtur cap. 1. de frigidis & malefic. iis verbis: *Si mulier proclamaverit, dicens, volo esse mater,*

volo filios procreare. 3. Quia hoc docet S. August. lib. de bono conjug. cap. 5. citatus in cap. *Solet* 32. quæst. 2., ubi dicitur, verum matrimonium non esse, ubi spes sobolis omninò deest.

422. Ut vides, hæc militant etiam contra matrimonium, quod à senibus contrahitur. Quid primo dicendum sit, jam tenes, ideo enim impotentia ad copulam matrimonium irritat, quia ea existente nec habetur primarius, nec finis secundarius matrimonii; sterilitas autem impedit illum, non istum; atque ideo adhuc servatur voluntas efficax conjugii, quod est medium non solùm ad procreandos filios, sed etiam ad libidinis ardorem sedandum. Ad secundum optimè respondent S. Thom. in 4. dist. 33. necnon S. Bonavent. Magistri litteram exponentes, sensum illorum verborum esse, *volo cognosci à viro*. Illo autem pacto Patres loquuti sunt, ut magis fœmineus pudor servetur. Ad 3. illud intelligendum est, si ad vitandam sobolem sterilitas in matrimonii partem deducatur; nempe si quis diceret, te duco in uxorem, dummodò sis sterilis. Quod si aliqui Doctores asserunt, nullum esse matrimonium, si matrix fœminæ destructa sit, hoc intellige, si ita destructa esset, ut nullo modo semen recipere posset.

423. Alia etiam afferri possunt, quibus videtur, impotentiam ad copulam non esse impedimentum dirimens. Lucius III. cap. *Consultationis de frigidis & malefic.* ait, ut in casu quo viri duxerint uxores ad copulam impotentes, *eas tanquàm sorores habeant, quas uxores habere non possunt*. Similia habet Gregor. cap. *Requisisti*: *Si non potest*, inquit, *ea uti pro uxore, habeat ut sororem; quod si retinaculum conjugale voluerint rescindere, maneant utrique innupti*; supponit igitur inter eas esse vinculum conjugale. Idem asserit Cœlestinus III. cap. *Laudabilem*.

424. Non est tamen judicandum, arbitratos esse istos Summos Pontifices, illa fuisse vera matrimonia, sed tantùm dixerunt, non esse virum & fœminam cogendos ad separationem, sed si voluerint, posse simul cohabitare, & ita castè vivere, sicuti si essent frater & soror. Hoc inferiùs magis ostendam, ubi inquiram, quid agendum sit in casu, quo hæc impotentia deprehendatur. Interim sufficiat id, quod idem Gregorius ait, nempe: *Si mulier, quæ potens est, velit secundas nuptias contrahere, possit; vir autem, qui frigidæ est naturæ, maneat sine conjuge*. Nec movere debent illa verba, *si retinaculum conjugale voluerint rescindere*; nam intelligi nequit vinculum proprium; hoc enim si fuisset, rescindi nequaquàm posset; sed sermo est de mutua cohabitatione, & de apparenti, putatoque conjugio.

425. Assertio 2. Impotentia temporanea matrimonium non dirimit. Hoc habetur expressè in cap. *Fraternitatis* de frigidis, siquidem in jure conceditur tempus, quo dignosci possit, utrùm impotentia sit perpetua, vel temporanea; & præcipitur restaurari matrimonium jam dissolutum, si postea compertum fiat, impotentiam illam perpetuam non fuisse. Ratio assertionis est, quia cum impotentia temporanea haberi potest finis matrimonii, cujus lex est adinstar præceptorum, quæ affirmativa sunt, obligantia quidem semper, sed non pro semper; & quemadmodum, qui perpetuò non est impotens ad solvendum, obligare se ad solvendum potest; ita qui perpetuò non est impotens ad copulam, tradere potest suum corpus ad eam pro tempore, quo potens efficietur.

426. Excipe tamen impotentiam temporalem, quæ oritur ex ætatis defectu; hæc enim jure Ecclesiastico matrimonium dirimit; ut statutum est per plura capita sub titulo *de desponsat.* ubi præscribitur, ne pueri ante pubertatem matrimonium contrahere possint, scilicet masculus ante annos quatuordecim, & fœmina ante annos duodecim;

cim; nisi malitia suppleat ætatem, idest nisi reperiantur habiles ad copulam cum seminis emissione, ut explicant Doctores cap. *Puberes*, & cap. ultimum *de desponsatione impuberum*.

427. Quod dictum fuit de impotentia perpetua absoluta, dicendum etiam de impotentia perpetua respectiva, quocumque ex capite progrediatur; & tantùm inter absolutam & respectivam hoc discrimen reperitur, quod impotentia absoluta, cùm ad omnes detur, ita matrimonium dirimit cum una, ut alteri conjungi prohibeatur; respectiva è contra, cum detur respectu hujus, vel illius, non omnium; cum hac vel illa dirimit, nequaquàm cum omni. Fieri potest, v. g. &c.

428. Assertio 3. Carentia utriusque testis ex natura sua matrimonium dirimit, proinde matrimonium perfectè eunuchorum nullum est; dixi utriusque testis, quia si unico præditus esset eunuchus, procul dubio matrimonium valeret; quia virtus generativa ipsi nequaquàm deesset; sicuti unicum habenti oculum virtus visiva non deficit: traditur hoc in l. *Si serva* 40. §. *Si spadoni* ff. *de jure dotium*. Fuerunt tamen qui dicerent, carentes utroque testiculo validè matrimonium contrahere posse; quia licet eorum matrimonium finem non habeat primarium generandi filios, assequitur tamen finem secundarium, qualis est libidini tam suæ quàm mulieris satisfacere, quod ad valorem sufficit, ut manifestum est in senibus ac sterilibus; afferuntque alia momenta vel desumpta ex Arist. qui lib. 1. de generat. animal. c.4. refert, quemdam taurum recens spadonem effectum cum vacca coeuntem illam prægnantem reddidisse, vel ex Gen. 37. ubi Putiphar appellatur eunuchus Pharaonis; qui tamen genuit filiam, quæ fuit uxor Josephi, ex quibus inferunt, eunuchos virtute generandi destitutos non esse; & reverà serpentes ac pisces coeunt & generant, nec tamen sunt testiculis præditi.

429. Certissimum tamen est, quod in assertione exposui; & quamvis potuisset prioribus temporibus in dubium revocari propter aliquos Doctores; attamen post constitutionem Sixti V. in quodam motu proprio edito anno 1587. omnis est ablata dubitatio. Summi Pontificis verba sunt ista: *Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, ut conjugia per dictos, & alios quoscumque eunuchos, & spadones utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum istum sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas; eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate nostra declares; & tàm locorum ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, & invalida esse decernas*. Ex hisce posterioribus habes, etiam ante hanc constitutionem nulla fuisse talia matrimonia; alioquin potuisset quidem Pontifex invalida reddere futura, non tamen invalida declarare præterita. Ratio autem est, quia licet Eunuchi copulam habere possint cum fœmina; attamen verum ac substantiale semen non emittunt, sed tantùm quemdam humorem aqueum, qui ex natura sua ad generationem non ordinatur; contrarium autem evenit in senibus, ac in sterilibus; quibus etsi ex accidente generatio non conveniat, attamen verum semen specie non diversum ab illo juvenum & fœcundorum emittunt; copula autem, quæ in matrimonio desideratur, non est qualiscumque, sed illa, quæ ex intrinsecis suis ita libidini satisfacit, ut ad generationem ordinetur, ex quo respondeas primo argumento.

Ad 2. si illud docuit Aristoteles, contrarium etiam docuit; etenim in problematis sect. 11. probl. 16. spadones vocat seminis expertes; in animalibus autem saltem perfectis sine semine haberi non posse generationem, perpetuo

tuo docuerunt Hyppocrates & Galenus Aphorif. 28. Quod si admittis id, quod de tauro illo narratur, hoc ex alio oriri non potuit, nisi ex semine ante recentem testiculorum recisionem deciso.

Pro eo, quod ex scriptura adducit, dicas, eunuchi nomen in ea pro Regis ministro usurpari; sic Gen. 40. pincerna & pistor Regis appellantur eunuchi; quam explicationem exhibent Cajet., Abulen., & Pereira.

430. Hæc dicta sunt de impotentia ex parte viri; superest, aliquid proferamus de impotentia ex parte fœminæ, quæ si contingit, plerumque evenit ex quo vas fœmineum adeo perstrictum sit, ut virile membrum nequeat penetrare. Quæritur autem; utrum hæc impotentia matrimonium dirimat, an verò teneatur ad incisionem sustinendam.

Communis sententia est contra Basilium Pontium lib. 7. cap. 26. teneri; dummodò non immineat periculum mortis, vel grave incommodum. Ratio prioris partis est, quia per consensum conjugalem transtulit corpus suum in iis omnibus, quæ ad copulam necessaria sunt; ex alia parte se in hæc sua culpa conjecit discrimina, quia ante nuptias debuisset, sibi prospicere, & si ob aliquam aliam infirmitatem tollendam hujusmodi se subjecisset incisioni, potiori jure ad honestum actum exercendum, qualis est actus conjugalis, debet se subjicere. Hoc dico ne mihi reponas, videri contra honestatem, quod mulier incidi patiatur; etenim hoc est omninò falsum, quando natura ita adjuvatur per artem, ut actio honesta inde consurgat; atque hoc quidem apertè deducitur ex sacris canonibus cap. *Ex litteris* & cap. *Fraternitatis* de frigidis & maleficiatis, in quibus illa dicitur impotentia perpetua, quæ medicorum ope auferri non potest.

Ratio posterioris est, quia cum tanta jactura ad copulam conjugalem nunquam se obligavit.

431. Sed hic alia dubitatio consurgit; utrum, quando sola virginitas est in causa, ut vir ob debilitatem suam nequeat sibi nuptam carnaliter cognoscere, teneatur Virgo ad illa remedia admittenda, quibus fracto virginitatis sigillo possit à viro cognosci. Certum est, non teneri, si dubitari possit, an adhuc vir copulam possit habere; sed si certum sit, posse non Virginem, sed defloratam cognoscere, affirmant S.Th. in 4. dist. 34. q. unica art. 2. ad 5., Sot., Sylvest., Sanch., aliique, quorum sententiam probabiliorem existimo, atque evincitur ex iisdem momentis, quæ adduximus num. antecedenti, cum virginitas sit causa impotentiæ, quæ absque vitæ periculo, & gravi incommodo auferri potest per artis medicamenta; igitur est causa impotentiæ temporaneæ juxta canonum definitiones, ex alia parte cum matrimonium validum censeatur, nullum jus ad virginitatem in fœmina permanet; imò præponderant jus ad matrimonium, nec non periculum incontinentiæ; cum perpetuo tanquam veri conjuges debeant cohabitare.

432. Sed alia similia prætereamus, & tantummodò addam, quid faciendum sit, cum unus conjux de alterius conqueritur impotentia; debet juxta canones trium annorum spatium concedi ad impotentiæ probationem; & si elapso illo tempore post adhibita omnia licita atque honesta media impotentia perseverat, dissolvi potest matrimonium. Ecce verba Cœlestini III. tit. *De frigidis* cap. *Laudabilem*. *Requisivisti quantùm temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ conjugalis, Nos præsenti consultatione sentimus, ut à tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium*; ex quibus habes, etiam ante triennium dirimi posse matrimonium, si impotentia tàm certa sit, ut in dubium revocari non possit.

AR-

ARTICULUS XIII.

De impedimento, quod clandestinitas appellatur.

433. De matrimonio clandestino impræsentiarum agendum suscipimus, quod ita appellatum fuit, quia clam & occultè absque ullo teste, quo comprobari posset, contrahebatur. Pluribus autem de causis erat hujusmodi; primò propter testium defectum; secundò propter defectum denuntiationum; tertiò propter defectum consensus parentum; quartò propter defectum præsentiæ Parochi; quintò propter defectum benedictionis, aliarumve solemnitatum, quas ab antiquo Ecclesia semper solita fuit observare; nunc verò post Concilium Tridentinum, illud propriè sic nuncupatur, cui deest præsentia Parochi & testium; quare impedimentum, de quo noster sermo, ad hanc tantummodò revocatur. Verba Concilii sunt ista sess.24. c.1. *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit; prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

434. Si dumtaxat prohibitionem istorum matrimoniorum spectaremus, non esset cur laudatum Concilium in medium produceremus; Siquidem in jure canonico plura pro hac re Pontificum & Conciliorum testimonia recitantur; præsertim Evaristi Papæ can. *Aliter* 30. q. 5. in quo dicitur hoc à Patribus acceptum, & Sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum inveniri; idcircò Tridentinum loco citato dicit: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Istæ justissimæ causæ erant gravissima mala & scandala, quæ inde sequebantur sive matrimonii fidem, sive prolis bonum, sive Sacramenti dignitatem inspiciamus. Si nullum matrimonii contracti afferri possit testimonium, si nulla probatio, facillimè violatur fides, & partes vel mutuo consensu à se recedentes, vel unus alium impunè deserere poterit. Si prolem ex legitimo matrimonio susceptam fuisse probari non possit, qualis erit ejus conditio? ejus status erit semper incertus, & dubius. Quo pacto denique Sacramenti servabitur dignitas, cum neglectis Ecclesiæ legibus in statu peccati mortalis perciperetur, & facile relicta uxore clam ducta, alia in facie Ecclesiæ duci posset, quàm ut legitimam ipsa Ecclesia approbaret, utpote quæ de occultis non judicat; atque hoc pacto perpetuis adulteriis pateret aditus & occasio? Adde honorem, pacem, tranquillitatem familiarum ac regnorum, quæ permissis matrimoniis clandestinis penitùs tollerentur.

435. Hæc considerantes nonnulli Doctores fuerunt, qui dixerint, hujusmodi matrimonia esse prohibita & illicita non solùm jure positivo, sed etiam naturali; quod si affirmare non placet propter alios id negantes, attamen valde consonum naturæ esse, ne dicta matrimonia fiant, nemo prudens poterit inficiari.

Sed quantùm pertinet ad eorum invaliditatem Pontius lib.2. c.1. §. *Quid dicendum jure veteri Ecclesiæ*, totis viribus contendit, invalida fuisse à tempore Apostolorum usque ad Hormisdam Papam, qui Petri sedem tenuit ann. 514. vel etiam usque ad Pelagium sive primum, qui ann.555. sive secundum, qui ann.577.; affertque decretum Evaristi, in quo illa conjugia appellantur adulteria, contubernia, stupra, fornicationes; quod quidem decretum renovari exoptavit Concil. Colonien. ann. 1536. sub Paulo III. De hoc alibi à nobis dictum est, atque ut certa tantummodò promamus, procul dubio post Tridentinum

num præfata matrimonia nullius esse valoris, censendum est; ut constat ex ejusdem verbis adductis quod tamen pro illis locis intellige, in quibus Concilium hoc receptum est. Quomodò autem potuerit Ecclesia reddere invalida hæc matrimonia alibi dictum fuit.

436. Inter plura, quæ inquiri possent, pro quibus consule Sanchez lib. 3. disp. 2. nec non Pontium lib. 5. cap. 5. unum dumtaxat placet proponere; videlicet, an dari possit aliquis casus, in quo matrimonium clandestinum validum sit, puta quando absque gravi damno vel in mortis articulo, vel extra omitti non possit, vel differri.

Non levia sunt momenta, quibus id affirmandum videtur; primò quia lex positiva cum gravi incommodo obligationem non infert; ut patet in præcepto audiendi sacrum, jejunandi &c. judicandum enim est in necessitatis casibus noluisse Ecclesiam obligare; præsertim cum in mortis periculo cesset finis, quo ad irrita reddenda matrimonia clandestina inducta fuit; imò potiùs qui clandestinè contraheret, benè se gereret; quia animæ suæ saluti consuleret, mulieris existimationem servaret, filiosque ex illa susceptos legitimos redderet; ita argumentantur Sotus, & Grassius.

Nihilominùs oppositum asserendum est; quia Tridentinum absque aliqua limitatione irritat matrimonia absque parocho, & testibus celebrata, redditque personas ad contrahendum inhabiles; quare sicuti in nullo casu validum est matrimonium contractum inter consanguineos; ita in nullo validum est contractum absque parocho, & testibus.

Ut verò respondeas argumento adducto observa; aliud esse, urgentem necessitatem ab obligatione legis positivè aliquid præcipientis vel prohibentis excusare, & aliud esse reddere validum contractum, qui lege irritante nullus est; primum concedimus, secundum negamus; aliter urgens necessitas etiam inter consanguineos validum redderet matrimonium, & quamvis motivum legis, nempè periculum transeundi ad alias nupias, & concubinatus tunc cesset; adhuc tamen lex in sui vigore perseverat; quia contra omnes clandestinos contractus lata est, præscribendo formam, & conditiones contractus in omni casu, nullam faciens exceptionem; neque tanti ponderis est aut mulieris existimatio, aut legitimatio, pro lis, ut Ecclesiasticæ legi formam essentialem conjugii inter fideles præscribenti infringendæ, sufficiat. Quod vero dicitur de salute animæ alia via, nempe per contritionem, vel Sacramentalem Confessionem potest servari.

437. Ut alia quæ, ne matrimonium sit essentialiter clandestinum, requiruntur, intelligas; Inquiro primo, quinam sit Parochus, qui debet matrimonio assistere: Ratio dubitandi est, quia Tridentinum statuit, necessariam esse præsentiam Parochi, & duorum vel trium Testium, ex quo videtur, quod sicuti sufficiunt testes quicumque ii sint ita sufficiet quicumque sit Parochus, & cum hoc sit jus novum derogans juri antiquo, ad valorem matrimonii necessarium non est dicendum, nisi quod expressis verbis est præscriptum, in decreto autem Tridentini mentio fit Parochi, non tamen *proprii*.

Respondeo, certissimum esse, requiri proprium Parochum; vel alium Sacerdotem de proprii Parochi vel ordinarii licentia; quamvis enim in illis verbis expressè appositum non sit vocabulum *proprii*, attamen ex antecedentibus, & consequentibus manifestè colligitur; Statuitur primò denuntiationes à proprio Parocho faciendas esse, quibus peractis ad celebrationem matrimonii in Ecclesię facie deveniendum sit viro ac muliere interrogatis, eorumque mutuo consensu intellecto. Statuitur secundò, benedictionem sacerdotalem non nisi à proprio Parocho recipien-

piendam esse; idem autem est, qui benedictionem elargitur, & qui matrimonio conjungit. Statuitur tertiò pœna suspensionis, si quis alius Parochus, aut Sacerdos sine licentia illius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, sponsos audeat aut matrimonio conjungere, aut benedicere; quæ omnia servari non possent, nisi certus Parochus, proinde proprius requireretur. Quod si in Bulla Cruciatæ conceditur facultas suscipiendi Sacramenta à quovis Sacerdote, excipiendum est Sacramentum matrimonii; cùm Pontifices Decretis Conciliorum generalium derogare non soleant, nisi ejus Decreti, quod derogatur, expressa fiat mentio, ut declaravit Pius IV. in motu proprio, qui incipit: *Principis Apostolorum*, & habetur in cap. *Ex parte* de capellis Monachorum.

438. Sed quia proprius Parochus alius esse potest originis, alius domicilii; quæritur 2. quisnam esse debeat.

Resp. esse debere Parochum domicilii. Hoc primò evincitur ex Concilio Tridentino, quod cap. 7. assignans Parochum, qui vagabundorum matrimoniis adesse debeat, non assignat Parochum originis, qui quocumque alio certior esset; sed loci, in quo commorantur, ad quem spectat diligenter inquirere, ac rem ad Ordinarium deferre, ut ab eo licentiam obtineat. Hoc secundò expressiùs habetur in declaratione Cardinalium Concilii interpretum, in qua hæc leguntur: *Proprius autem Parochus esse intelligitur, in cujus Parochia habitant eo tempore, quo matrimonium contrahunt.* Quod si reponas, pro Ordinibus conferendis sufficere Episcopum originis; ergo etiam pro matrimonio celebrando sufficere Parochum originis; illatio falsa est; etenim pro Ordinibus habemus hoc expressè statutum à Bonifacio VIII. in cap. *Cum nullus* de temp. ordinat. in 6.; hoc autem non habemus pro matrimonio. Ratio autem nostræ responsionis est, quia ille Parochus interesse debet matrimonio, ad quem spectat bannorum denuntiationes proclamare; Iste autem est Parochus domicilii, utpote qui faciliùs deprehendere potest, si quod impedimentum sit inter contrahentes; ergo. Sive autem sit Parochus illius loci, in quo habitat vir, sive illius, in quo mulier, parùm interest; quamvis obtinuerit usus, ut celebretur matrimonium coram Parocho mulieris de licentia Parochi viri.

439. Quæritur 3. quid sentiendum sit de illis matrimoniis, quæ contrahentur coram Parocho suspenso, excommunicato, irregulari, aut verum non habente titulum, sed solùm intruso.

Respondeo, valere matrimonium celebratum coram Parocho suspenso, excommunicato, & irregulari; nullo enim juris decreto irritum declaratur; ex alia parte Tridentinum absque aliqua limitatione Parochi præsentiam præscribit; In hac re circumfertur etiam quædam Cardinalium responsio an. 1593.

Si verò Parochus non sit propriè & in re Parochus, ratum erit matrimonium coram illo contractum, si habeat titulum, quem coloratum appellant; videlicet si ex communi errore existimetur tanquam verus Parochus; error enim communis facit jus, & Ecclesia in hisce casibus ejusmodi Parocho sufficientem tribuit jurisdictionem.

440. Quæritur denique, quid dicendum sit de matrimoniis, quæ contrahuntur in iis locis, ubi non sunt Parochi, v. g. in Anglia, Zelandia &c.

Ut huic respondeam afferam Decretum Cardinalium hisce verbis expressum: *Ubi hoc Decretum Tridentinum nondùm est publicatum in Parochia, valet matrimonium contractum absque observatione formæ à Concilio præscriptæ; publicatio autem Decreti facta præsumitur, ubi Decretum ipsum fuit aliquo tempore in Parochia tanquam* De-

Decretum Concilii observatum. Haeretici, in quorum Parochia dictum Decretum fuit publicatum, tenentur praescriptam formam observare, & propterea ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro Haeretico, vel Magistratu loci contracta, sunt nulla. Si verò Parochia, in qua fuit aliquandò observatum Decretum, proprio Parocho careat, & Cathedralis item Episcopo & Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi aut Episcopi suppleat; matrimonium valet absque praesentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe exhibitis saltem duobus testibus. Si verò extant quidem Parochus & Episcopus; sed, nullo constituto Vicario, uterque metu Haereticorum lateat; ita ut verè ignoretur ubi sit, vel eodem metu à Dioecesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus; validum est matrimonium contractum absque Parocho, adhibitis tamen duobus testibus.

Alia, quae desiderari possunt, habes ex iis, quae diximus de Matrimonii Ministro.

ARTICULUS XIV.

De impedimento raptus.

441. DEfinitur communiter raptus, *violenta honestae foeminae de loco ad locum libidinis causa traductio. Violenta*, etenim raptus ultra luxuriae malitiam includit etiam injustitiam vel contra ipsam raptam, vel contra ejus parentes, aut eos, quorum custodiae commissa est; atque ideò ad raptum sufficit, sive resistant parentes quamvis rapta consentiat; sive resistat rapta quamvis annuant parentes; neque necesse est violentiam istam physicè inferri; sed satis est si moraliter, *quia*, ut habetur l. unica c. *de raptu virginis, hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur; nisi enim illam sollicitaverit, nisi dolosis artibus circumvenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere*. Unde apud plures raptus duplex assignatur, unus violentiae cùm mulier invita & reluctans abducitur; alter seductionis seu subornationis, cum blanditiis, precibus, ac donis seducta, consentiens sequitur raptorem. *Honestae foeminae*, etenim in laudato capite dicitur: *Raptores virginum honestarum, vel ingenuarum, sive jam desponsatae fuerint, sive non, vel quarumlibet viduarum foeminarum*. Idcircò raptus poenas non incurreret, qui meretricem traduceret juxta id quod habetur in l. *Verum est* 40. ff. *de furtis. Si meretricem alienam ancillam rapuerit quis, non esse furtum*. Hoc tamen limitandum est. Primò, nisi meretrix sit conjugata, nec ejus vir sit leno; quia tunc marito per raptum inferretur injuria; Secundò, nisi vitae anteactae poenitens honestam vitam agere coepisset. Tertiò, nisi meretrix justam haberet causam renitendi, putà propter consanguinitatem, vel affinitatem cum raptore. *De loco ad locum traductio*, unde raptus non esset, si mulier violentia adhibita in eodem loco carnaliter cognosceretur; imò neque esset hujusmodi, si deficeret animus abducendi, & tantùm de loco ad locum traduceretur, ut ea commodiùs quis abuteretur, ut notant Jurisperiti apud Sanchez. *Libidinis causa*, quare si ad alium quemcumque finem mulier traducatur, raptus non committitur; imò neque committeretur, si praecessisset tractatus de matrimonio ineundo, & puella volens parentibus licet reclamantibus à sponso extraheretur, cum in jure canonico per quod corrigitur l. unica C. *de raptu virg.* cap. penultimo de raptoribus legatur: *Cum ibi raptus videatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm*

quàm cognoverit; *licet parentes reclamarent, à quibus dicitur eam rapuisse.* Debet inquam fieri libidinis causa, nam raptus propriè est luxuriæ species; unde S. Isidorus lib. 5. Ethymol. c.26. & S. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 7. inquiunt: *Raptum esse illicitum coitum à corrumpendo dictum; quia qui raptu potitur, stupro fruitur.* Quid verò dicendum esset, si raptor carnaliter non cognosceret? Aliqui cum Cepola, Decio, Boerio &c. adhuc committi raptum affirmant. Aliqui cum Baldo l. *Si quis*, Paulo l. penult. n. 5., Bossio &c. negant. Ego tamen distinguerem cum Julio Claro lib. 5. receptarum §. *Raptus* num. 4. Menochio de arbitrariis lib.2. centuria 4. Covar., Deciano &c. Vel raptor non cognovit, quia non potuit, & tunc est vera prior sententia; vel quia delicti pœnitens, noluit, & tunc vera est secunda; & ideò pœnis ordinariis non erit obnoxius, sed tantùm extraordinariis. Excipe tamen, si rapta esset Monialis; tunc enim quacumque ex causa copula secuta non fuerit, raptus committetur. Ex quibus omnibus habes, quæ conditiones ad verum raptum requirantur.

442. Sed jam deveniendum est ad pœnas, quæ raptoribus statutæ sunt: In l. unica C. *de raptu virg.* decernitur, 1. Pœna mortis. 2. Ut bona raptoris, & opem illi ferentium statim transeant ad dominium raptæ. 3. Gregor. II. in Synodo Romana, ut habetur cap. *Si quis virginem* 36. quæst. 2. excommunicationi subduntur. 4. Legem tulerunt Constantinus Magnus, & inde Justinianus lib. 9. cod. Theodosiani tit. 13. *ne sit facultas raptæ virgini vel viduæ, vel cuilibet mulieri, raptorem suum sibi maritum exposcere, sed cui parentes voluerint, excepto raptore, eam legitimo copulent matrimonio*; quod & factum fuit lib. 6. capitularium, quæ tribuuntur Carolo Magno cap. 96., necnon à Concilio Aquisgranensi citato à Gratiano causa 36. quæst. 2. Denique Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. una tantùm mutatione facta sic definivit: *Decernit sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, ut in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

443. Hisce expositis, inquiritur 1. An raptus puellæ factus non ad finem contrahendi cum ea matrimonium, sed explendi libidinem, sit impedimentum dirimens matrimonium. Bonacina qu.4. puncto 18., Emanuel sà cum aliis affirmant. Quia Tridentinum generaliter & absque aliqua limitatione de raptoribus loquitur; sed qui ita rapit puellam est verè raptor; ergo cum ea matrimonium inire non potest. Præterea hujusmodi raptus adimit in rapta libertatem ad matrimonium requisitam; igitur dirimit; Denique in Concilii decreto comprehenduntur etiam Clerici rapientes. Sed isti non rapiunt, ut matrimonium contrahant, sed tantùm ut libidini satisfaciant; ergo.

Negant Sanch. Diana, Reginald. Coninch., cum aliis, atque horum sententia apparet mihi probabilior. Ratio desumitur ex scopo, quem Concilium habuit in sic definiendo; non alius fuit quam libertatem servare ad matrimonium requisitam; qui autem fœminam rapit, non ut matrimonium contrahat, sed ut libidinem expleat, non aufert libertatem ad matrimonium requisitam; ergo. Hinc falsum est, Tridentinum absolutè loqui, & sine aliqua limitatione, ut dicebatur in priori argumento;

& hujusmodi raptus adimit in rapta libertatem si fiat ex intentione matrimonii; non si alio fine; quo pacto enim auferre potest libertatem pro matrimonio si matrimonii intentio non habetur? Ad ultimum: Si comprenduntur Clerici, vel est quia,& ipsi nondum in sacris constituti contrahere possunt; vel quia puniuntur non ut propriè raptores, sed ut factores.

444. Inquiritur 2. An raptus fœminæ consentientis invitis tamen ac resistentibus parentibus sit impedimentum dirimens.

Responsio est negativa, propter rationem superius expositam; ille enim raptus ex mente Concilii matrimonium dirimit, qui matrimonii opponitur libertati; sed quod sint inviti ac resistentes parentes, non opponitur matrimonii libertati; quia eorum consensus necessario non desideratur; ergo. Hanc assertionem sustinent doctores, de quibus supra.

445. Inquiritur 3. An eas pœnas, quas incurrit vir rapiens fœminam incurrat etiam fœmina si rapiat virum. Negant Bonacina, Sanchez, Tancred. Coninchius, aliique. Fundamentum eorum est, quia Tridentini decretum factum est contra raptorem tantùm non contra raptricem; & cum sit odiosum & pœnale non est extendendum nisi ad eos, qui in eo exprimuntur, præsertim quod cum magis fœminis, ne cogantur, favere debeamus, quam viris.

Mihi tamen magis placet sententia opposita, quam tradunt Henriquez, Vega, Aversa, Brancatus &c. cum eadem ratio militet tam pro viris, quam pro fœminis; nec minùs ex parte viri necessaria sit libertas ad contrahendum, quam ex parte mulieris; quare si ad servandam libertatem, raptus est impedimentum, æqualibus pœnis subjicietur si quæ fœmina rapiat virum, ac vir rapiens mulierem. Quod si in decreto sit tantum mentio raptoris, nequaquàm raptricis, id non est, quia raptrix in eo non comprehendatur; sed quia raro contingit, virum à muliere rapi; frequentius vero mulierem à viro; Neque obstat, decretum illud esse correctorium, & pœnale proinde ultra proprios terminos non esse extendendum; etenim cum matrimonii causa favorabilis sit pro ejus libertate præsumendum est. Ultimum, quod additur, fœminis nimis indulget; ratio spectanda est, non sexus, aliter fœmina, quæ raro ad raptum alterius fœminæ adjumentum afferret, iisdem pœnis non subjiceretur, quibus subduntur adjutores ut factores; quod non dicis.

Ex iis, quæ dicta sunt, plura alia tu ipse inferes consectaria.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De impedimentis prohibentibus in particulari.

Post examen eorum, quæ matrimonium dirimunt, breviter etiam perpendenda sunt illa, quæ matrimonium prohibent, & impediunt, quamvis, si contrahatur, irritum illud non reddant; jam versiculos adduximus, in quibus ea continentur, cum tamen sit aliquod crimen, quod impedit tantùm, nec hujus in illis mentio facta est; ideò de hoc prius pertractabimus.

ARTICULUS I.

De impedimento criminis Matrimonium prohibentis.

446. CRimen, quod impedire dicitur matrimonium, septem delicta sub se continet, quæ hisce carminibus explicari solent.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis.
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem.
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Primò certum est, incestum commissum à viro cum consanguineis uxoris suæ, impedire matrimonium cum quacumque alia persona, ut habetur in cap. *Transmissæ. De eo, qui cognovit consanguin.* Hoc inquit S. Th. in 4. dist. 34. qu. unica art. 5. in argumentorum solutione, non tam propter culpam, quam propter affinitatem contractam, pro venire, juxta quod dicit Cajetan., quod cum incestuosus sibi conjugem affinem facere ausus sit, prohibet sibi aliud matrimonium cum quacumque alia persona contrahere; & eodem pacto interdicitur etiam matrimonium consanguineis conjugis cùm quibus alter conjux incestum perpatravit. Lex statuitur in cap. 1. *De eo qui cognovit. Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit; nec filiastra, nec ille ullo unquam tempore alii se poterunt matrimonio copulare.* Nota particulam illam *Scienter*; nam si affinis cognosceretur persona extranea, impedimentum nullum esset; ignorantia enim quæ excusat à culpa, excusat etiam à pœna; Insuper observa quod sicuti affinitas orta ex fornicatione se extendit tantum ad secundum gradum, ut diximus ex Concilio Tridentino; ita hoc impedimentum non consurgit nisi ex copula habita cum consanguineis uxoris in secundo gradu. Quod dicimus de viro per respectum ad consanguineos uxoris, dicendum de uxore per respectum ad consanguineos viri.

447. Imò impedimentum istud orietur, & quidem perpetuum, quamvis nullum foret matrimonium, & esset incestus cum affini. Hoc apertè decernitur in cap. *Si quis cum Matre* 34. qu. 2. ubi sic legitur: *Si quis cum Matre, & Filia fornicatus fuerit ignorante Matre de Filia, & Filia de Matre; ille nunquam accipiat uxorem: Illæ vero si voluerint, accipiant Maritos. Si autem hoc scierint, ipsæ fœminæ absque Maritis perpetua maneant.* Et cap. *Si quis viduam* 32. qu. 7. Concilium Moguntinum sic statuit: *Si quis cum duabus sororibus, vel si qua cum duabus fratribus &c. eos disjungi, & ulterius nunquam in conjugio copulari præcipimus.*

Quid-

448. Quidquid autem de impedimento ex incestu progrediente dici potest, pluribus modis à doctoribus limitari solet. Primò incestum scienter commissum esse, ut superius dixi. 2. foeminam à mariti consanguineo violenter non esse cognitam; sicut enim culpam nullam patravit, ita in nullam incidit poenam, sed poenam tantum incurret qui violenter oppressit. 3. incestum esse consummatum. 4. commissum esse cum consanguineis conjugis vivente conjuge; quod tamen non approbo, cum nihil referat, sive conjux vivat, sive obierit, ut clarè apparet in c. *Transmissæ De eo, qui cognovit*. 5. Incestum occultum non esse; quod pariter rejicio, cum nullo jure id probari possit; & si necesse foret ad impedimentum afferendum, incestum occultum non esse, fere nunquam huic impedimento locus esset; cum incestus sit talis naturæ, ut semper occultè committatur. 6. tunc impedire, quandò præcesserit sententia judicis, quod propter rationem mox adductam falsum existimo.

449. Potior difficultas in hac re in eo versatur quo inquiritur; utrum incestus cum propriis consanguineis, matrimonium cum quacumque persona impediat. Affirmant plures, quos refert Sanchez lib. 7. disputat. 15. numero 15. & ratio videtur esse, quia major est incestus cum propriis consanguineis, quam cum affinibus; si ergo iste impedit, etiam ille. Valde probabiliter hoc afferitur; Communiùs tamen & probabilius est oppositum; quia ut dixi num. 446. ex S. Th. incestus non infert impedimentum propter culpam, sed propter affinitatem; & de hoc loquuntur jura; neque, licet sit gravior patratus cum consanguineis, tantam infert injuriam matrimonio; quia ex illo affinitas non oritur; ex alia parte cum impedimentum sit poena, restringendum est tantum ad id, quod habetur expressum in jure.

450. Secundum crimen matrimonium impediens est raptus alienæ sponsæ; per quem fit, ut nec raptor contrahere possit validè cum rapta, neque licite cum quavis alia; & idem dicendum est de sponsa, si consensum raptui præbuerit. Impedimentum hoc habetur in cap. *Statutum* 27. q. 21. & ideò inductum fuit, quia qui alienum matrimonium perturbare ausus est meritò prohiberi debet à proprio cum quavis alia persona contrahendo. Utrum verò nomine sponsæ intelligi debeant sponsalia de præsenti post contractum matrimonium, an verò etiam sponsalia de futuro, non est una Doctorum assertio. Sanch. Conic. Filliucius primum affirmant, Rebell., Bonac. Aversa aliique etiam secundum defendunt; atque hoc videtur magis consonum textui, & rationi; nam etiam rapiens sponsam de futuro alienum matrimonium perturbat.

451. Tertium crimen ad uxoricidium revocatur; non quidem animo ad alias nuptias transeundi facto; sic enim dictum fuit, esse impedimentum dirimens; sed patrato ex ira, odio, vindicta, vel quocumque alio fine. Qui igitur propriam uxorem interficit non potest matrimonium cum alia contrahere, ut statutum est in cap. *Admonere* 33. quæst. 2. ubi Stephanus V. Pontifex Astulphum reprehendens, quod uxorem occidisset, ait: *Uxorem nunquam ducere audeas*, & cap. *Quicumque* 33. quæst. 2. dicitur: *Quicumque propriam uxorem absque lege, vel sine causa, vel certa probatione interfecerit, aliamque duxerit uxorem, publicam agat poenitentiam*.

452. Ex hoc existimarunt, occisionem uxoris non inferre aliquod impedimentum, si facta sit, quando mulier tanquam adultera deprehenditur; quia licet sine culpa non fiat; attamen impune à lege permittitur; sed contrarium afferendum est, quia leges civiles id quidem absque aliqua civili poena permittunt; leges tamen Ecclesiasticæ tale delictum puniunt, nec ullus textus repe-

reperietur, in quo impedimentum non esse, declaretur. Utique impedimentum non erit, si vir uxorem adulteram Judicis sibi authoritate traditam interficiat; quia sicuti interfectio immunis erit à culpa, ita etiam à pœna; & hoc probant illa verba capitis *Quicumque: absque lege, vel sine causa, vel certa probatione*. Quamvis autem jus canonicum non tradat adulteram viro puniendam; attamen hoc à jure civili est dispositum, nec jus canonicum contradicit.

453. Dubitant aliqui, an sicuti occisio uxoris à viro facta, matrimonium aliud impedit; ita etiam occisio viri facta ab uxore. Sanchez & Bonacina id negant, eisdem ducti principiis, quibus asserebant pœnas raptoris ad raptricem se non extendere. Nos verò è contrario idem affirmamus, cum militet eadem prorsus ratio; imò major, cum gravius delictum sit, si uxor virum interficiat, quàm si vir uxorem; plus enim reverentiæ & subjectionis debet uxor viro, quàm vir uxori. Traditur hoc etiam c. 1. *de divortiis*, ex quo deducitur, quod mulier insidiatrix mortis mariti absque spe conjugii sit pœnitentiæ subjecta. En verba canonis: *Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis insidiata fuerit, & ipse aliquem illorum se defendendo occiderit, potest ipse post mortem uxoris, si voluerit aliam ducere; ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ, absque spe conjugii, sit subjecta*. Si hoc de muliere attentante necem mariti, quantò magis de muliere maritum occidente?

454. Quartum crimen est occisio Presbyteri, quem occidens matrimonii jure privatur ex cap. 2. de pœn. & remiss. Hoc autem statutum esse judico, quia cùm Sacerdotis officium sit assistere matrimonio, atque huic benedictionem impertiri; qui Sacerdotem occidit, injuriam matrimonio facit, & ideò ab eo contrahendo prohibetur. Ut hoc impedimentum sit, desiderat Navarrus cum Panormitano, homicidam de tali delicto esse convictum; & colligitur ex laudato capite, ubi sic legitur: *Qui Presbyterum occiderit, convictus usque ad ultimum vitæ suæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe conjugii careat*.

455. Quintum crimen est susceptio propriæ prolis in baptismo ex can. *De eo* 30. quæst. 1. Hæc, si fiat ex malo animo, nempè; ut contrahendo spiritualem cognationem cum altero conjuge, debito conjugali reddendo non teneatur; aliud matrimonium post mortem primi conjugis prohibet; atque hoc in pœnam fraudis adversùs usum matrimonii proprii. Quod autem dicitur de susceptione propriæ prolis in baptismo; dicendum etiam in confirmatione juxta principia nostra alibi stabilita. Verba canonis ista sunt: *Si conjuges legitimi unus, aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent; si innupti permanere voluerint, bonum est: Sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, & simul maneant, & si prævaricator conjugii supervixerit, acerrima pœnitentia mulctetur, & sine spe conjugii maneat*.

456. Sextum impedimentum prohibens oriebatur ex publica pœnitentia, qua durante non poterat pœnitens conjugale debitum petere, nec defuncta conjuge ad aliud transire matrimonium. Statuitur hoc in can. *De his*, & cap. ultimo 33. quæst. 2. Nunc verò, cum publicæ pœnitentiæ in usu amplius non sint, hocce impedimentum cessavit.

457. Postremum crimen, matrimonium pertentare cum Moniali, quæ professionem emiserit. Hoc enim non solùm in se nullum esset, atque irritum; sed etiam quodcumque aliud prohiberet, ut statuitur in can. *Hi ergo* 27. q. 1. ex Concilio Triburiensi cap. 6. ubi sic legitur: *Qui Sanctimonialibus scientes matrimonio ad injuriam Christi copulati sunt, juxta sensum zeli Christi separentur*.

tur, & nunquàm eis concedatur conjugali vinculo religari, sed in pœnitentiæ lamentis se vehementer, dum vivunt, afficiant. Huic sceleri aliæ pœnæ in jure canonico decretæ sunt; ut excommunicatio, necnon jure civili pœna capitis, in l. enim *Si quis* C. de Episcopis & Clericis hæc habentur: *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantùm jungendi causa matrimonii, Sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.*

ARTICULUS II.

De Ecclesiæ vetito, & tempore feriato.

458. PRO Ecclesiæ vetito intelligitur interdictum. Nomen hoc in sensu magis amplo usurpari potest; sed impræsentiarum sumitur pro Ecclesiæ prohibitione, qua alicui nuptiæ impediuntur ob temporalem aliquam causam, videlicet vel ad evitandum scandalum, vel ad effugiendas contentiones & rixas, quæ oriri possent, vel ad indagandam veritatem circa aliquod impedimentum, de quo dubitatio excitata sit. Hujusmodi impedimentum tempore limitatur; & si quæratur, cujus sit illud apponere, dicendum est, id convenire Episcopis in propriis Diœcesibus, & Summo Pontifici in toto Orbe. Utrum verò etiam Parochis hoc concessum sit, negarunt aliqui eum Gofredo in sum. tit. de matrim. contracto contra interdictum Ecclesiæ, hoc tribuentes tantùm Judici Ecclesiastico, ad quem spectat de causis matrimonialibus ferre judicium; Sed tenendum est, Parochis etiam talem potestatem inesse; non quidem ut judicent, sed ut ad Ordinarium deferant, quod manifestè habetur in cap. *finali* de clandestin. desponsat. ubi legitur: *Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec quod fieri debeat super eo, manifestis consliterit documentis.* Quod si Innocent. in dicto capite refert illorum sententiam, qui dicebant, ad Ordinarios pertinere interdicere, nec eam improbat, eo quod sit actus jurisdictionis; dicas, id verum esse de interdicto judiciali, non extra judiciali, quod est sine actu jurisdictionis. Porrò hoc Parochis tribuimus, non illud; novimus enim in cap. 1. de consanguinit. dictum esse: *Non sunt causæ matrimoniales tractandæ per quoslibet, sed per Judices, qui potestatem habeant,*

459. Est autem observandum, interdictum Summi Pontificis duplex esse posse; unum simplex & sine ulla clausula irritante; alterum verò cum clausula. Primum illicitum reddit matrimonium, nequaquàm invalidum; Secundum etiam invalidum juxta sensum & expressionem ejusdem clausulæ. Utriusque habemus declarationem factam ab Alexandro III. Unius quidem in appendice Concilii Lateranen. par. 3. cap. 28., & in lib. 4. Decret. tit. 16. *Licet*, ubi sic legitur: *Licet contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit; conveniens non videtur, ut ob id solùm Sacramentum conjugii dissolvatur; alia enim pœna debebat eis imponi, quod contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Alterius verò in cap. *Tua fraternitas. De sponsa duorum*, ubi sic: *De his verò, qui coram te super desponsatione facta per consensum mutuum de præsenti controversiam movent, & appellatione pendente, quam ante sententiam vel cognitionem causæ ad Sedem Apostolicam interponunt, accipiunt alias uxores; hoc arbitramur agendum, ut si amodò in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè interdicas, ne ante decisionem causæ aliud contrahant matrimonium; & si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, matrimonium tam præsumptuosè factum poteris irritare.*

460. Quando autem apponatur hæc irritans clausula; & quo pacto id possit in-

intelligi plures regulas Doctores assignant. Aliqui dicunt, tunc solummodò per Pontificis prohibitionem matrimonium irritum fieri quandò prohibitioni annexum est impedimentum dirimens; quia cum matrimonium sit juris naturalis & divini, cuicumque Pontificio prævalet interdicto. Aliqui, irritari matrimonium per prohibitionem, cujus objectum sit causa perpetua; quia super cap. *Tua fraternitas*, *De sponsa duorum* ait Gloss. verbo *Poterit*, hoc intelligendum esse de interdicto propter causam perpetuam. Aliqui, si interdictum fiat adinstar constitutionis, & legis scriptæ, non si tantùm adinstar præcepti, & vocalis expressionis. Aliqui per specialem prohibitionem, non generalem. Aliqui, ultra prohibitionem speciale requiri etiam decretum irritans.

461. Hæc omnia mihi non satisfaciunt. Non primum, quia eo dato Pontifex nullo interdicto posset aliquod matrimonium irritum facere, neque posset aliquod impedimentum dirimens statuere, & aliquam personam ad contrahendum inhabilem reddere; sed tantùm inhabilem declarare, quæ jure naturali ac divino inhabilis esset: atque ut occurram rationi productæ, jam notum est, jus naturale & divinum matrimonii non esse præceptivum absolutè, & in particulari obligans; sed solùm permissivum, subordinatum Pontifici per respectum ad bonum commune, & salutem animarum. Non secundum: quia habere causam perpetuam convenit etiam multis, quę sunt dumtaxat impedimenta prohibentia, non dirimentia; ut patet in voto simplici perpetuæ castitatis, & incestu cum consanguinea uxoris; qui licet perpetuo impediat incestuosum, ne uxore etiam defuncta possit cum alia contrahere, ex cap. ex lit. *de eo qui cognovit*. Attamen matrimonium contractum validum est. Non tertiùm: siquidem illud parùm refert, non solùm quia multa sunt adinstar constitutionis sancita, quæ tamen tantùm impediunt; sed etiam quia non minor est potestas Papę præcipientis ac loquentis, quàm legem ac statutum scripto demandantis. Non quartum: etenim prohibitio esse potest specialis, & tamen esse tantùm impediens; ut constat in illa facta cuidam, qui contractis sponsalibus cum una, inire volens matrimonium cum alia, fuit specialiter interdictus; ne priusquàm causa examinaretur ad secunda vota transiret; & tamen eo ad illa transeunte, judicatum fuit à Pontifice, tale matrimonium contra expressum Ecclesiæ interdictum initum validum esse, ut diximus ex cap. *Licet*. Alexandri III. Non ultimum: quia ultra specialem prohibitionem, esse posset decretum irritans; quin tamen irritum fieret matrimonium.

462. Existimo igitur, hanc regulam velut certiorem stabiliri posse: Vel speciale decretum irritans respicit tanquam objectum primarium matrimonium, v. g. si Pontifex diceret: *Matrimonium, donec examinetur causa, non contrahatur, & si contrahetur, nullum sit*, vel habet pro objecto primario aliquid præter matrimonium, v. g. si diceret: *Matrimonium non contrahatur, donec examinetur causa, & si contrahetur, quidquid fiet, irritum sit*. Si primum, tunc censendum est, matrimonium factum irritum esse; si secundum, adhuc erit validum; & ratio est, quia matrimonii vinculum est strictissimum: unde irritari non præsumitur per aliquid, quod de alio, quam de matrimonio intelligi possit; proinde necessaria est clausula specialis, & determinatè irritans.

463. Quidquid autem dicatur; res ita se habet, ut quandiù causa de matrimonii valore examinatur, conjuges separandi sint; nec ad alias nuptias transire possint; quod si contra Judicis præscriptum, causa adhuc pendente ad secundas nuptias transierint, puniendi sunt

sunt ex cap. penult. de despensat. impub., & si post examinatam causam primum matrimonium inventum fuerit invalidum, secundum validum erit; si è contra, cogendi erunt ad primum redire.

464. Nunc de tempore feriato aliqua exponenda sunt. Feriatum tempus est certa anni pars, qua Ecclesia matrimonia celebrari vetat. Non eadem circa hoc fuit semper in Ecclesia disciplina. Gratianus causa 33. quæst. 4. affert varia Concilia & Patres, à quibus statutum fuerat, hoc incipere ab Adventu usque ad Epiphaniam; à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ; à diebus Rogationum ad Octavam Pentecoste; & tribus hebdomadis ante festivitatem S. Joannis Baptistæ; cujus quidem temporis etiam mentionem facit Clemens III., aliàs Cœlestin. cap. *Capellanus de feriis*. Quare autem ita præceperit Ecclesia, rationem affert S. Thom. in 4. dist. 31. quæst. unica art. 5. quæstiunc. 4. in corp.; quia nimirùm tunc fideles in illis solemnitatibus ad communionem sumendam obligabantur; solemnitates autem nuptiarum animos à spiritualibus avocant, & ad carnalia pertrahunt. Adde, in iis præcipua nostræ fidei mysteria celebrari, quæ nuptiarum concessione absque debito devotionis fervore fideles recoluissent.

465. At Concilium Tridentinum veterem disciplinam temperavit; & feriatum tempus contraxit ab Adventu usque in diem Epiphaniæ, & à Feria 4. Cinerum, usque in Octavam Paschatis inclusivè. En illius verba sess. 24. c. 10. *Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque ad diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit. In aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut ea, qua decet modestia fiant curabunt, sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.*

466. Quia verò hujusmodi prohibitionem irridebant, ut impiè solent & condemnabant Hæretici; can. 11. ejusdem sessionis ita definivit: *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.*

467. Ex superiori Tridentini doctrina jam tenes, iis temporibus non esse matrimonium absolutè prohibitum, sed solùm cum solemnitate, quod etiam declaravit Sac. Cardinalium Congregatio, quæ sic habet: *Quocumque tempore potest matrimonium contrahi coram Parocho; sed nuptiarum solemnitates, convivia, traductio ad domum, & carnalis copula certis temporibus prohibentur.* Utrum verò ante Tridentinum fuissent prohibitæ etiam nuptiæ simpliciter, quidam affirmarunt propter cap. *Nec uxorem ducere* 33. quæst. 4. ubi Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum inquit: *Nec uxorem ducere, nec convivia facere quadragesimali tempore convenire posse arbitramur*. Et cap. *Non oportet*, quod est Concilii Ilerdensis legitur: *Non oportet à Septuagesima &c. nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur*. Expressiùs verò id statutum invenimus in Concilio Toletano sub Sixto IV. Verum existimo, hæc omnia intelligenda esse de nuptiis, quibus annexæ sint solemnitates.

468. Dubitatur autem, utrum feriarum tempore prohibitum sit matrimonium consummare. Olim affirmarunt quidam, sed non sunt audiendi; si enim illicitum non est consummare matrimonia ante inita; quare erit, consummare matrimonium tunc contractum? neque aliquis textus afferri potest, ex quo hujusmodi prohibitio colligatur; cum in iis sermo tantùm habeatur de traductione sponsæ, & aliis solemnitatibus. Duo tantùm urgere vi-

videntur. Unum est, quod Concilium feriarum tempore prohibet matrimonium celebrari cum nuptiali benedictione, matrimonium autem consummare absque tali benedictione sess. 24. cap. 1. illicitum judicatur; ergo. Alterum est desumptum ex Congregatione Cardinalium superiori num. adducta.

Verùm dicendum est; Concilium id non præcipere, sed tantùm adhortari, & ad summum erit venialis culpa, si nulla sit causa consummandi; Eodem pacto explicato Cardinalium declarationem; ita ut sit consultiva, non præceptiva, nisi in casu, quo nuptiæ cum solemnitatibus celebratæ essent.

469. Hac de re inquies ultimò, quodnam peccatum committeret, qui hisce diebus nuptias cum solemnitatibus contraheret. Quidquid dixerint alii, hoc modo contrahentem à culpa lethali non excusarem; incipit enim Concilium: *Solemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus observari sancta Synodus præcipit*. In hac igitur re habetur præceptum; ergo ejus transgressio peccatum lethale est; cum ex modo loquendi sit in re gravi.

ARTICULUS III.

De impedimentis Catechismi, Sponsalium, & Voti.

470. Cathechismus est illa instructio fidei quæ fit baptizando ante fores Ecclesiæ; dum Sacerdoti interroganti datur responsio non quidem ab eo, qui susceptor est, sed ab alio. De hoc impedimento, quod olim viguisse, non potest in dubium revocari ex Constitutione Bonifacii VIII. in 6. tit. de cognat. spirituali, nihil dicam, cùm per Concilium Tridentinum prorsùs sublatum esse pro certo habeam; atque si hoc ostendero, satis faciam; quin plures difficultates, quas Doctores excitant, in medium producam. Rem autem ita se habere ex eo colligo, quod Tridentinum sess. 24. cap. 2. recensitis omnibus personis, inter quas aliqua spiritualis cognatio contrahitur, hanc aufert ab omnibus, præter eos, quos adduximus artic. 5. præcedentis Quæstionis; inter eos autem non continetur ille, qui in rebus fidei instructorem agit; ergo. Et certè hæc spiritualis cognatio propter baptismum contrahebatur, sublatis igitur à baptismo omnibus personis præter suscipientem & susceptum, patrem & matrem suscepti, necnon baptizantem & baptizatum, patremque ac matrem baptizati; omnes aliæ censeri debent sublatæ; Quod si dicas, mentem Concilii fuisse auferre impedimenta dirimentia, non sic solùm prohibentia; hoc verum est immediatè & formaliter, falsum mediatè & illativè; cum enim unum oritur ex alio, quotiescumque aufertur unum censetur & aliud auferri, præsertim cum habetur particula exceptiva *tantùm*, ut in nostro casu; in Decreto autem Tridentini à præcitis illis verbis recedendum non esse, decrevit Pius V. in motu proprio edito quarto Kalendas Decemb. an. 1566.

471. Pariter de sponsalibus nihil dicendum superest, cum de istis in prioribus hujusce libri quæstionibus actum sit. Res igitur talis est, ut si quis desponsatus fuerit, idest futuri matrimonii fidem dederit alteri, non possit cum altera matrimonium contrahere nisi priora sponsalia vel mutuo consensu, vel Ecclesiæ sententia fuerint soluta ut constat ex cap. *Ex literis* De sponsalibus.

472. Quæ denique de voto, tanquam impedimento prohibente hic occurrunt, ad votum simplex referuntur diximus enim in art. 3. præcedentis quæstionis, votum solemne non solùm matrimonium prohibere, sed irritum omninò efficere. Quomodo autem differant votum solemne, & simplex ibidem determinatum est. Porrò per votum simplex non dirimi, sed matrimonium illicitum fieri habetur ex cap. *Con-*

fuluit, cap. *Meminimus*, cap. *Veniens*, titulo, *Qui Clerici vel voventes*. Et S. Auguſt. epiſc. 120. culpæ reprehendit Comitem Bonifacium; quia poſt caſtitatis votum uxorem duxerat; quod factum non eſſet, ſi matrimonium invalidum fuiſſet.

473. Hic duo dubia promovere placet. Primum eſt, an habens votum caſtitatis poſſit licitè matrimonium inire cum animo firmiſſimo ingrediendi religionem præſertim ſi ante voti emiſſionem ſponſalia juraverit.

Reſpondeo, per ſe loquendo licitè non poſſe: Quis enim manifeſtum periculum non videt cui ſic contrahens ſe exponit animum mutandi, violandique votum? Quo pacto etiam ſervari poteſt aliquam injuriam non fieri dignitati voti ac religionis? Imo rectæ rationi repugnat, alteri ſui corporis facultatem tribuere, atq; ad id ſe obligare quod intendit non adimplere. Sed quod potiſſimùm exiſtimo, eſt Sacramenti illuſio, & notabilis injuria facta puellæ cui nuberet; cogeret enim illam abſque nuptiis eſſe donec profeſſionem emitteret, & emiſſa profeſſione difficilè alii nubere poſſet cum facilè quis in animum induceret ſuum, ob aliquod vitium fuiſſe relictam & ut paucis dicam, in re gravi decepta fuiſſet; igitur, qui caſtitatem priùs vovit, licitè matrimonium contrahere non poteſt, animo firmiſſimo religionem ingrediendi.

Dixi *per ſe loquendo*. Non enim inficior, aliquas contingere poſſe circumſtantias, in quibus id licite fieri poſſit, v. g. ſi eſſet notabilis metus vel amittendæ vitæ, vel famæ; ſi voto adſtrictus alio modo religionem ingredi non poſſet, puta, quia teneretur incluſus, niſi nuberet.

474. Secundum dubium eſt. Utrum liceat matrimonium ſuadere voto caſtitatis obſtricto, ſi tentationibus immundis vexatus frequenter ſuccumbat; neque ulla media ipſi prodeſſe poſſint. Dixi, *neque ulla media*, quia ſi alia via non deeſſet, procul dubio illicitum foret id illi ſuadere.

Pendet reſponſio ex eo, quod ſtatuatur, utrùm liceat minus malum conſulere illi, qui majus malum patrare animo efficaci conſtituit; qua in re pro utraque ſententia ſunt plures doctores quorum nomina, & momenta afferre non placet, ne in rebus, quæ ad inſtitutum meum referre non videntur prolixius me geram. Pars tamen affirmativa mihi magis arridet; cùm, & Sanctorum Patrum teſtimoniis inſinuetur; ac ſimul etiam rationi ſit valdè conſentanea. Ex Sanctis Patribus præteribo Auguſtinum, qui cuidam qui decreverat uxorem occidere, ut aliam duceret ita loquitur lib. 2. de adulterin. conjugiis cap. 15. *Si facturus eſt quod non licet; jam faciat adulterium, & non faciat homicidium, ut vivente uxore ſua alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat*. Audiatur S. Epiphanius lib. 2. contra hæreſes hæreſi 61. dicens: *Melius eſt unum peccatum habere, & non plura; melius eſt lapſum palam ſibi uxorem ſumere, quàm quotidie ocultis jaculis ſauciari*; cui addo S. Gregorium lib. 32. moralium cap. 18. *Si omnino nullus ſine peccato evadendi aditus patet, minora ſemper eligantur*. Non deeſſet Chryſoſtom., qui hom. 27. ad populum Antioch. docet, quod ſi quis aſſuetus eſt jurare per Deum, ipſi conſilium demus, ut juret per caput ſuum; & tamen hoc eſſe peccatum conſtat ex illo Matth. 5. *Neque per caput tuum juraveris*. Quare hoc? niſi quia minus malum eſt iſtud, quàm illud; Denique Sancti Ambroſius, Auguſtinus, & Thomas excuſant Loth. quod ſodomitis libidine furentibus proprias filias ſtuprandas exhibuerit, ut ſic expleta libidine à priori ſodomiæ ſcelere abſtinerent, nec iis quos hoſpitio exceperat, ferrent injuriam, ſi ergo majus malum evitari non poſſit, niſi ſuadendo minus, licitum erit hoc ſuadere, & proinde in re noſtra, ſi quis caſtitatis votum quotidia-

tidianis pollutionibus aut fornicationibus violat, nec ullo modo cohiberi potest; licitè poterit ad matrimonium adhortari. Ratio autem esse potest, quia in hoc casu qui consulit minus malum non consulit ut fiat illud minus malum, sed tantùm minoris mali præelectionem, quæ est objectum bonum; neque per hoc consilium ille ad peccandum inducitur, sed ad minuendum peccatum. Certè si quis vallet furari ut occideret, nec ullo pacto impediri posset, justissimum esset, illum ad furandum tantùm inducere, atque juxta sensum nostrum explicant doctores, præsertim Sotus in cap. 3. Epist. ad Romanos illa verba: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*. Sed de hoc satis, & qui majora desiderat, legat caput Innoc. *Super eo* de usuris, aliosque ibidem. Sed quantum ad dubium propositum, omnia evitari possunt petendo voti dispensationem.

QUÆSTIO VIII.

De Dispensationibus ab impedimentis.

475. Postquam de impedimentis breviter res peracta est; non incongruum videtur ad dispensationes ab iis sermonem nostrum protrahamus. Methodum tamen aliorum doctorum nequaquàm sequemur; ita enim ii se gerunt, ut agentes de dispensationibus quæstiones suas ad quamlibet materiam extendant; Nos verò iis tantùm, quæ ad matrimonium pertinent, nostras perstringemus.

Priusquàm verò ad aliquid inquirendum, resolvendumve deveniamus, observandum est dispensationem differre ab interpretatione, irritatione, & abrogatione legis. Tunc interpretatio contingit, quando datur aliquis eventus in quo declaratur, legem non habere vim obligandi. Tunc irritatio, quando lex est constituta, sed impeditur ne vim obligandi habeat v. g. Si principis confirmatione indigeret, nec vellet Princeps confirmare. Tunc abrogatio, quando jam vim habuit obligandi, & deinde tali vi privatur; dispensatio verò, quando ex justa causa per gratiam relaxatur legis obligatio, qua relaxatione seclusà verè lex in eo eventu obligeret; Hinc dispensatio generatim definitur; *Juris relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo qui potestatem habet relaxandi*. Hisce præmissis.

ARTICULUS I.

An solus Pontifex dispensare possit in impedimentis solo jure Ecclesiastico dirimentibus.

476. Romanum Pontificem dispensare non posse in iis quæ sunt juris naturalis, & absolute divini tanquam certum existimo, & de hac re dixi in 6. tomo, ubi de consecratione sub utraque specie; posse è contrario in iis, quæ sunt solo jure Ecclesiastico certissimum est: tùm ex praxi tùm ex ratione; nam qui legem tulit, illam potest vel abrogare, si expediens judicaverit, vel in illa dispensationem ferre; Si igitur Summus Pontifex facultatem habet impedimenta constituendi; habebit etiam in impedimentis dispensandi; quæ est doctrina Concilii Tridentini sess. 24. can. 3. ubi statuit: *Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Eccle-*

Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant, & dirimant; anathema sit. Difficultas est ergo; utrum alteri à Summo Pontifice hujusmodi facultas conveniat.

477. Dicendum: In impedimentis solo jure Ecclesiastico dirimentibus solus Romanus Pontifex potest per se dispensare.

Assertionem hanc ex nullo canonico instituto probari posse, affirmant nonnulli; atque in Concilio Tridentino agitatam quidem fuisse, non tamen definitam concludunt. Attamen si non formaliter, & expresse, saltem illativè eam statutam esse non est ambigendum etenim omnia illa impedimenta jure communi vel à Summis Pontificibus immediate, vel à plenariis Conciliis sunt inducta; in iis autem, quæ tali modo inducta sunt, Episcopi nullam habent per se facultatem, cum in lege superioris nihil possit inferior cap. *Inferior* dist. 21. Clem. *De Romani* De electione; ergo. Adde usum ita invaluisse ut pro hujusmodi obtinendis dispensationibus Pontifex Maximus adiri debeat.

478. Quod dicimus de Episcopis etiam de Legatis à Latere sentiendum est; siquidem etiam Legatus à Latere id tantum potest in provincia sibi demandata quod Episcopus in propria Diœcesi. Quod si aliquibus in locis datur talis specialis consuetudo, qua Episcopi hanc sibi vindicant auctoritatem ut super aliquibus impedimentis dirimentibus dispensent, ea certè aut ex Pontificis privilegio utuntur, aut eo non inscio, & non improbante id faciunt.

479. Dixi *per se*; etenim in casu gravis necessitatis existimo Episcopos posse gratiam dispensationis impertiri quidquid in oppositum dicant Sot. lib. 1. de justit. quæst. 7. art. 3., & Corduba in summ. quæst. 45.: Gravis autem ista necessitas oriri debet ex sequentibus circumstantiis. 1. Matrimonium esse publicum, impedimentum verò occultum. 2. Sine scandalo separationem fieri non posse. 3. Ex aliqua justa causa aditum ad Pontificem non patere; quam assertionem docent Bald. l. *Omnes populi* ff. de just. & jure num. 8., Gratian. regula 433. num. 8. Lambertin. de jure patronatus lib. 2. par. 1. quæst. 7. art. 19., aliique plures. Ratio est, quia nisi Pontifex sibi reservet, quod iste potest in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi; non est autem vero simile in casu urgentis necessitatis Papam id sibi reservasse; cum reservatio sit ob charitatem, & optimam Ecclesiæ gubernationem, quæ profecto non servarentur, si non dispensante Episcopo scandala ac peccata non tollerentur.

480. Hoc tamen etiam negandum erit, si habentes impedimentum dirimens, mala fide contraxerint; quia in hoc casu censeri debet, Pontificem nolle iniquitati, & perversæ contrahentium audaciæ favere, nec non sub hac spe contemptis impedimentis dirimentibus matrimoniis locum dare. Hoc est quod statuit Concilium Tridentinum sess. 24. de matrimonio cap. 5., ubi dicit: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter in id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit eisdem subjiciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta contempsit.* Ex qua doctrina duo inferuntur. Unum: Scientiam impedimenti non relinquere facultatem in Episcopo dispensandi. Alterum: Ignorantiam non suffragari, si solemnitates neglectæ fuerint, ac contemptæ.

481. Quod superius dictum est, sic vellem intelligi, ut nequaquàm affirmari possit, si non difficilis sit aditus

tus ad Nuntium Pontificium, qui potestatem habeat à Papa in rebus similibus dispensandi; etenim, eo dato, jam cessat necessitas, in cujus tantùm circumstantia potest Episcopus ferre dispensationem; & quemadmodùm, quia simplex Sacerdos absolvere tantùm potest in casu necessitatis; si haberi potest absolutio ab aliquo approbato; nulla est prioris facultas; ita in casu, si &c.

482. Hic autem quæri potest utrum Vicarius Generalis Episcopi dispensare possit in illis impedimentis, in quibus juxta dicta potest Episcopus. Videtur affirmandum, quia in reliquis potest Vicarius Generalis, in quibus potest Episcopus. Contrarium tamen tenendum est; quia ea tantum sub generali potestate censentur Vicario Generali communicata, quæ ex ordinaria facultate Episcopo conveniunt, non quæ ex tacita Pontificis commissione illi conceduntur. Rationem affert Glos. in cap. *Quæ de causa* 2. quæst. 5. quia dispensatio se habet adinstar restitutionis in integrum, quæ in generali mandato non continetur, ex l. Illud ff. *De minor.* & juxta hæc Innoc. III. scripsit Legato suo in Sicilia significans, non fuisse illi concessa sub generali mandato, quæ Pontifici sunt specialiter reservata; ergo cùm dispensatio in dictis impedimentis sit specialiter reservata Pontifici; nec nisi ex tacita commissione Episcopo concessa ad evitanda scandala, & peccata; sequitur Vicarium Generalem exvi muneris sui in illis dispensare non posse.

ARTICULUS II.

An Pontifex dispensare possit in radice Matrimonii.

483. Sensus quæstionis est; utrum matrimonium, quod ab initio propter aliquod impedimentum invalidum fuit, eo per legis abrogationem sublato, fiat validum & ratum quoad omnes effectus, tanquam si lex illud impedimentum inducens nunquam viguisset; ita ut Pontificia dispensatio retrotrahatur ad illud tempus, quo matrimonium invalidè contractum fuit; atque hoc pacto proles nata ex illegitimo matrimonio fiat legitima, & omnia jura acquirat, quæ habuisset, si legitimum ortum duxisset. Non est autem quæstio de dispensatione in radice matrimonii invalidi propter aliquod impedimentum dirimens vel jure naturali, vel jure absolutè divino, siquidem, pluries dictum, in hisce impedimentis nullam apud Pontificem esse auctoritatem; sed tantùm inquiritur de matrimonio invalido propter impedimentum Ecclesiastica lege constitutum.

484. Negant Anton. cap. *Per venerabilem*. Navar. lib. 4. consil. tit. *Qui filii sint legitimi* consf. 2., Molina tom. 3. de justit. tract. 2. disp. 624., Coninch. disp. 33. dubio 4., aliique asserentes, posse quidem Papam illam prolem legitimam efficere, quantum ad effectus Ecclesiasticos, non tamen quantum ad civiles, puta in successione, in hæreditate paterna, non solùm directè, sed neque indirectè. Affirmant è contra Panormit. cap. *Per venerabilem*. *Qui filii sint legitimi*. Angelus verbo *Legitimatio*, & verbo *Papa*, Covar. 4. Decret. cap. 8. §. 8. num. 23., Sanchez lib. 3. disp. 7., aliique.

485. Posteriorem sententiam amplector, & dico: Summum Pontificem in radice matrimonii cum impedimento humano jure inducto invalidè contracti dispensare posse, ac prolem ex eo susceptam legitimam facere quoad omnes effectus tàm ecclesiasticos, quàm civiles, tanquam si lex nulla fuisset lata, aut priùs fuisset dispensatum in eo impedimento.

Hujusce assertionis rationem desumo, quia prolem illam fuisse ex illegitimo matrimonio, proinde subjectam

da-

damnis tàm ecclesiasticis, quàm civilibus, ex eo oritur, quod per legem ecclesiasticam illud matrimonium fuit nullum; quod utique validum legitimumque fuisset, si lex ecclesiastica impedimenta non apposuisset; atqui Papa potest efficere, ut lex illa lata nullam vim habeat non solùm quantum ad effectus futuros, sed etiam præteritos, tanquàm si lata non fuisset; ergo. Prob. mi. primò, quia si Pontifex potuit hanc potestatem à Deo cum tanta amplitudine recipere; ut non solùm se extenderet ad irritandam legem præsentem cum omnibus effectibus futuris; sed etiam ad revocandam legem præteritam cum omnibus effectibus jam productis, credibile est illam recepisse; cum hoc ad Christianæ Reipublicæ bonum maximè conferre videatur; sed si illam recepit, potest efficere, ut lex illa lata nullam vim habeat non solùm quantum ad effectus futuros, sed etiam quantum ad præteritos, tanquàm si lata non fuisset; ergo. Secundò probatur eadem minor ex Clement. unica de immunit. ecclesiast., ubi Clemens V. revocat quasdam Constitutiones prædecessorum Pontificum etiam quantum ad effectus jam productos, & ita statuit: *Quidquid ex eis sequutum est, vel ob eas, penitùs revocamus, & eas haberi volumus pro infectis*; ex quibus apparet, non solùm facultatem illam, de qua superiùs, Pontificem recepisse; sed etiam ad praxim revocasse. Hanc assertionem nostram in Prætorio Granatensi definitam esse testatur Sanchez lib. 8. disp. 7. num. 4., imò ita decisum esse in Rota refert Jacobus de Puteo decis. 483.

486. Ex istis jam sequitur; prolem exortam ex illo matrimonio, quod priùs invalidum fuit, deinde accedente novo contrahentium consensu, & Pontificis dispensatione validum effectum est, factam esse legitimam; atque omne jus acquisiisse, tanquàm si validum ac legitimum semper fuisset, etiam quantum ad effectus civiles, non solùm quoad ecclesiasticos: Et si loquamur de iis, qui civiliter etiam subjecti sunt Romano Pontifici, nullum dubium excitari potest; sed tantùm de iis, qui aliis Principibus sæcularibus subduntur, videtur esse difficultas; quia aliorum Principum leges à Pontificia dispositione non dependent. Verùm respondendum est, quod in præsenti materia Papa dispensans in lege ecclesiastica indirectè etiam dispensaret in lege civili; quia cum in hoc res civilis fundamentum habeat in lege ecclesiastica, hac abrogata necesse est & illam corruere; legem autem civilem fundamentum habere in lege ecclesiastica ex eo patet; quia ideò lex civilis privat successione ad bona paterna, quia proles nata est ex matrimonio illegitimo; sed ideò fuit illegitimum matrimonium, quia erat illud impedimentum ecclesiastica lege inductum, quo non existente, vel cujus obtenta dispensatione fuisset legitimum; ergo.

487. Hoc quod diximus non solùm valet, dum parentes adhuc vivunt, & per novum consensum revalidare possunt matrimonium; sed etiam si superstites ampliùs non essent; ut sustinent Navar. lib. 4. consiliorum tit. de sponſ. conſ. 3., Ancharan. conſ. 409. num. 4., Molina lib. 3. de primogenit. cap. 2., Sayr. tom. 1. thesaur. casuum lib. 6. cap. 11. Nihilo tamen minus videtur hoc satis durum, si damnum tertii inde sequatur; nempe si auferretur hæreditas aliis agnatis, qui in eam successerant, & possessionem apprehenderant, Quare Angelus & Sylvester id à Pontifice fieri posse inficiantur: Sanchez tamen cum aliis, quos ipse non præterit, absolutè id affirmat: Vel enim ante mortem parentes petierunt, aut jusserunt peti dispensationem, & tunc juxta doctrinam Bartoli aliorumque l. *Gallus* §. *Et quid si tantùm* ff. de liber. & posth. dispensatio à Pontifice concedi potest etiam in præjudicium tertii; vel parentum consensus & petitio non præcessit,

& adhuc

& adhuc diſpenſari poterit; quia licet non præceſſerit matrimonium in re, præceſſit tamen in figura & affectu. quæ multùm valent, l. 3. ff. de donat. inter virum & uxorem, cap. *Plerumque*, & cap. *Nuper* de bigamia: Sicut igitur lex canonica fuit cauſa irritandi matrimonium, quo factum eſt, ut hæreditas deferretur, ac devolveretur in alios ſucceſſores, ita poterit Pontifex jus acquiſitum auferre, eam legem revocando quo ad effectus jam productos. Utrum autem aliquando id Papa facturus eſſet, potiùs negarem; ſed nunc quæro, quid poſſit agere, non quid acturus eſſet.

488. Ex iſtis alia plura confectaria colliges, quæ ego prætereo. Interim oppoſitæ ſententiæ potiora ſubjiciam fundamenta. 1. Non poteſt Summus Pontifex efficere, ut matrimonium, quod invalidum fuit, non fuerit invalidum, ergo neque poteſt efficere, ut proles ex eo ſuſcepta non fuerit illegitima; proinde non contraxerit inhabilitatem ad omnes dignitates tàm Sæculares, quàm Eccleſiaſticas; ant. oſtenditur, quia ad præteritum nulla datur potentia. Hoc potiori ratione aſſerendum eſt, ſi ſermo ſit de regionibus, quæ temporali Pontificis juriſdictioni ſubjectæ non ſint, quia ſicut Principes ſæculares non poſſunt prolem legitimam reddere per reſpectum ad eccleſiaſtica, quia carent eccleſiaſtica juriſdictione; ita Papa non poteſt prolem legitimam efficere per reſpectum ad ſæcularia; quia caret juriſdictione ſæculari. Præterea: Admiſſa noſtra ſententia poſſet Pontifex auferre etiam effectus exortos exiſtente impedimento ex jure naturali & divino; etenim, quod v. g. benedictio rei per ſe vendi non poſſit, & fideles ſint per ſe Sacramenti capaces eſt de jure divino; & tamen utrumque poteſt à Pontifice tolli, tum concedendo facultatem rem benedictam vendendi, tum efficiendo perſonas inhabiles ad contrahendum matrimonium, proinde ad Sacramentum. Denique: Quemadmodum Papa deſtruendo legem, per quam invalidum fuit matrimonium, non poteſt auferre peccatum, & pœnam æternam inde provenientem; ita non poterit auferre alios effectus exortos ex illo matrimonio. Hinc Navar. loco laudato refert, talem diſpenſationem fuiſſe à Gregor. XIII. negatam, & dixiſſe, non poſſe ſic ſe diſpenſare. Cætera argumenta in idem recidunt, quod primò objectum eſt.

489. Ad primum. Veriſſimum eſt antecedens; neque enim factum infectum reddi poteſt, non ſolùm per pontificiam auctoritatem, ſed neque per divinam; unde probaretur, neque Deum in matrimonii radice, diſpenſare poſſe; quod à Doctoribus contrariis affirmari non puto; Quod à nobis aſſeritur, eſt hoc dumtaxat; quod matrimonium illud, quod erat invalidum, non perſeverat invalidum, nec proles, quæ erat illegitima ſit ampliùs illegitima; quod non eſt efficere ut talia non fuerint, ſeu abrogare in præteritum; ſed tantùm efficere ut præterita vim non habeant inferendi damna, quæ lege non abrogata intuliſſent. Ad additum argumenti jam reſponſum eſt, neque ita loqui poſſumus de ſæculari Principum poteſtate, quæ nulla eſt per reſpectum ad eccleſiaſtica, ſicut de eccleſiaſtica Summi Pontificis auctoritate per reſpectum ad ſæcularia, in quæ, ſi non directè, ſaltem indirectè ſe extendit; deinde in re noſtra lex ſæcularis fundatur in eccleſiaſtica, qua propterea abrogata, cenſetur & illa tanquam nulla.

Ad ſecundum. Si id admittamus, magis roboratur aſſertio noſtra; dicimus tamen, Pontificem indirectè poſſe impedire aliquos effectus progredientes ex lege naturali & divina; non quidem abrogando legem, ex qua immediatè progrediuntur; ſed aliquid apponendo, ex quo lex naturalis & divina locum non habeat, ex. ca. efficiendo invalidum illum contractum, qui juxta legem naturalem & divinam validum eſſet,

esset, nisi tales conditiones à Pontifice essent appositæ. Et certè plura indirectè, & per quamdam consequentiam fieri possunt, quæ directè & principaliter non possunt; sic jus patronatus absque simoniæ labe per se & directè vendi non potest, & tamen vendito fundo per consequentiam & indirectè venditur, ut habetur in cap. *Ex litteris* de jurepatron.

Ad ultimum: peccatum, & per consequens pœna æterna, oritur ex transgressione legis, & hoc dependet à voluntate Dei, in quam nulla est in Papa facultas; non ita effectus, qui sequuntur ex matrimonio jure tantùm ecclesiastico invalido. Quod demum additur ex Gregor. XIII. vel probat, id dictum esse à Pontifice juxta probabilem oppositam sententiam; vel non posse licitè sine justa causa, quam tunc defuisse, ipse judicavit; quamvis enim plura possimus, non tamen omnia expediunt, ut ait Apostolus.

ARTICULUS III.

Quid requiratur, ne dispensatio in Matrimonio irrita sit, ac surreptitia.

490. Requiri justam ac legitimam causam, ut dispensatio licitè concedatur, tanquàm certum existimandum est, unde Bernardus lib. 3. de consider. cap. 4. ad Eugenium sic scribit: *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico, communis, non propria; nam cum nihil horum est, non plenè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Quænam autem sint justæ causæ assignant communiter Theologi ac Canonistæ; easque revocant ad sequentes. 1. Ad dotis incompetentiam: 2. Ad magnæ litis extinctionem: 3. Ad angustiam loci, si nempe incolæ penè omnes affines sint, aut consanguinei. 4. Si agatur de discordiarum vel præsentium, vel imminentium compositione: 5. Si de conservatione pinguis patrimonii in eadem familia: 6. Si de matrimonii malè contracti diuturnitate: 7. Si de copula cum affine vel consanguinea; dummodò eo fine habita non sit, ut faciliùs dispensatio obtineretur: 8. Si fuerit summæ egestatis discrimen, ac pudicitiæ periculum: 9. Si scandalum grave vel peccatum præcavendum: Denique attendenda est etiam excellentia meritorum. Nota tamen, quod etiamsi fuerint hujuscemodi causæ; attamen dispensatio concedenda non est, nisi in tertio & quarto consanguinitatis gradu, nisi de magnis Principibus, & Optimatibus sermo sit; ut declaravit Sacra Cardinalium Congregatio, cui Tridentini Concilii explicatio commissa est.

491. Porrò aliquandò contingit dispensationem obtinendam irritam esse ac surreptitiam. Hoc evenit vel suppressione alicujus veritatis, vel alicujus falsitatis expressione; aufertur enim dispensantis voluntas, dum vera causa celatur, qua movetur ad legem relaxandam; & extorquetur dispensatio, dum falsa causa in petitione proponitur. Qua in re adnotandum est primò, duplicem esse causam, qua dispensans moveri potest ad gratiam concedendam; Una finalis, altera impulsiva. Illa ea est, quam dispensans præcipuè spectat, & sine qua nullo modo, vel non nisi sub quibusdam conditionibus gratiam largiretur. Secunda verò ea est, ob quam faciliùs petita concederentur, absolutè tamen sine ea concederentur. Rursus præter causam finalem, quæ in hac re est causa intrinseca; dantur etiam causæ extrinsecæ à jure requisitæ, vel legitima consuetudine introductæ, vel stylo Romanæ Curiæ præscriptæ. Hisce expositis.

492. Redditur primò irrita ac surreptitia dispensatio, ut dictum est, vel si omittatur causa finalis, vel si hæc falsò repræsentetur, non ita si vel desit causa impulsiva, vel hæc cum falsitate exhi-

exhibeatur; Item irrita est, si supprimatur quælibet ex dictis causis extrinsecis; quia dum Pontifex dispensationem concedit, præsumitur illam concedere sub tacita conditione, si quæ servanda sunt, servata sint. Oppositum concludendum est, si gratia motu proprio concedatur; tunc enim mera concedentis liberalitas est perpendenda.

493. Sed deveniendo ad particularia; certum est 1. dispensationem per errorem datam pro gradu superioris loco inferioris, valere, non è contrario; quia inferior in superiori includitur, & minùs urgentes causas exposcit; non verò superior includitur in inferiori, & magis arduam reddit dispensationem, cum causas desideret graviores. Non ita verò sentiendum, si proponatur gradus superior, & reticeatur inferior, qui sit diversæ rationis, nec in illo includatur, v. g. si loco affinitatis proponeretur gradus consanguinitatis; quia cum sint impedimenta diversa, nec unum in alio contineatur; ex quo dispensatio concedatur in majori non censetur in minori concessa; & quamvis concessa in majori, Pontifex in minori concessurus fuisset; attamen concedentis voluntas non habuit pro termino & objecto minorem, quod ad dispensationis valorem requiritur.

494. Certum est 2. quod, si pro dispensatione obtinenda explicanda sit copula habita cum fœmina, necessariò non est numerus exprimendus. Ratio est, quia multiplicatio copulæ respectu ejusdem non addit diversum impedimentum, nec petitionis variat substantiam; est autem tantùm exprimenda copula, quæ fuerit incestus non cum quacumque, sed cum sola consanguinea vel affine ducenda; cujus dumtaxat meminit Congregatio Cardinalium in declarat. dubii circa cap. 5. sess. 14. Concilii Tridentini.

495. Certum est 3. exprimendum non esse in supplicatione gradum propinquiorem, sed sufficere remotiorem; dummodò non agatur de primo gradu, quando contracturi inæqualiter à stipite distant in gradibus consanguinitatis vel affinitatis. Exigebat quidem Pius IV. ut propinquioris gradus mentio fieret, sed Bullam hanc revocavit Pius V. in alia, quæ incipit: *Sanctissimus* an. 1566. die 20. Augusti, ubi tantùm præcipit, obtinendas esse postea super propinquiore litteras declaratorias. Hoc quod asserimus, magis confirmat responsum in hac re Clementis VIII. an. 1599. die 13. Januarii; cum enim huic Summo Pontifici relatum esset, quosdam impetrasse dispensationem proponendo se tertio consanguinitatis gradu esse conjunctos; cum tamen essent in secundo cum tertio, ita rescribit: *Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs etiam si litteris præfatis jam tibi præsentatis, ad illarum executionem propter hoc procedere distuleris, seu recusaveris, nihilominùs negotium ejusmodi reassumens, ipsasque litteras valere dicta auctoritate decernens, ad earumdem litterarum executionem, servata alias earum forma procedas, ac cum eisdem N. & N. super impedimento tertii consanguinitatis gradu hujusmodi eadem auctoritate dispenses. Distantiam verò secundi gradus præfati eis non obstare declares in omnibus ac per omnia, perinde ac si in dictis litteris ipsos secundo ac tertio consanguinitatis gradibus à communi stipite provenientibus, invicem esse conjunctos expressum fuisset.*

496. Cum verò dictum sit, obtinendas esse postea super propinquiore litteras declaratorias, dubitari jure meriro potest, ad quid hujusmodi litteræ necessariæ sint. Vel enim se habent tanquam conditio ad valorem matrimonii, vel tantum velut quædam admonitio, si primum; ergo dispensatio non erit valida, donec illæ obtineantur: si secundum, cui usui deputabuntur? Dicendum tamen est, neque se habere tanquam conditionem, neque admonitionem, sed necessarias esse pro fora

foro externo ad tollendum scandalum, quippe quod aliqui esse possent, qui videntes in propinquiori gradu non esse dispensatum, existimarent; illud matrimonium irritum esse. Ita Covar. 2. par. Decret. cap. 6. §. 10. num. 12. aliique apud Sanchez & Pontium; ex quibus inferes matrimonium irritum virtute dispensationis solo gradu remotiori expresso, utique validum esse futurum, etiamsi illæ litteræ declaratoriæ non essent obtentæ; & idem dico, si nullum periculum scandali immineret, nec res ad forum contentiosum esset delata; tunc enim non solùm sine talibus litteris matrimonium esset validum, sed etiam licitum, ut opinor.

497. Dixi, dummodò non agatur de primo gradu; etenim si hoc contingeret, gradus propinquior reticendus non est; ne dispensatio surreptitia sit, ac censeatur. Unde in casu quo quis ducere vellet filiam fratris sui, aut filiam filii illius, aut nepotis; iste distat à primo stipite in primo gradu; à filia fratris, in primo cum secundo; à nepte fratris, in primo cum tertio; à pronepte fratris, in primo cum quarto; & ita si solùm in petitione fiat mentio remotioris gradus non explicata distantia alterius contrahentis à stipite in primo gradu, dispensatio nulla erit; Hoc clarè deducitur ex motu proprio superius laudato Pii V., ubi declarans litteras non posse surreptione notari defectu expressionis gradus propinquioris vel affinitatis, addit: *Dummodò primum quoquo modo non attingant; cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat.*

498. Alia plura prætereundo inquiro; an quando plura sunt simul impedimenta, omnia simul debeant in petitione exprimi, vel satis sit, si in diversis petitionibus exprimantur. Videtur affirmativè sentiendum, si diversa momenta inspiciamus. Quod enim jus afferri potest exigens, pro impetratione dispensationis unius impedimenti, alterius etiam fieri mentionem? & si potest obtineri absolutio ab una excommunicatione, alia, qua idem tenetur, non producta; cur non poterit obtineri dispensatio unius impedimenti, alio, quo idem obstringitur, in supplicatione prætermisso? Præterea: potest impetrari venia unius criminis, v. g. furti, seorsim à venia alterius, v. g. homicidii; igitur à pari; Et si aliter dicamus, deberet quis jacturam facere tum propriæ, tum alienæ famæ, explicando ex. gr. incestum occultum cum sorore consanguineæ suæ, quam ducere vult; & ligatus voto castitatis volens nubere consanguineæ, non posset priùs dispensationem voti impetrare, deinde consanguinitatis; utrumque autem falsum est. Tandem: hunc esse stylum Curiæ Romanæ, ut dispensatio in uno impedimento impetretur non facta alterius mentione, testatur Navar. lib. 4. consiliorum tit. de consanguin. cons. 1. num. 2. & alibi. Sententiam hanc tuentur plures apud Sanchez lib. 8. disp. 23.

499. Nihilo tamen minùs probabilius censeo contrarium per se loquendo; quia, ne dispensatio surreptionis vitium incurrat, exprimenda sunt omnia, quæ de jure exponi debent; quodlibet autem impedimentum dirimens de jure debet exponi; & quamvis conceptis verbis non habeatur, exponi debere simul; attamen jura præcipiunt, nihil reticendum esse ex iis, quæ ad dispensationem intrinsecè conferunt; si autem altero suppresso unum exponeretur, affirmari jure merito posset, supprimi veritatem intrinsecè ad dispensationem conferentem. Ratio ex eo desumi potest, quod unum impedimentum sejunctum ab alio, diversam omninò reddit causam finalem dispensationis, & impedimenta simul conjuncta constituunt vinculum longè strictius, ac difficilioris dispensationis, ut constat ex cap. *Ex tuarum* de auctorit. & usu pallii; atque ex illo principio physico; *Virtus unita fortior*. Profectò, quod

quod concedit Pontifex unius tantùm impedimenti conscius, non concederet si alia ipsi nota essent; aut saltem maturius perpenderet, utrum dispensatio foret expediens, & merito dici posset in hac re deceptus; proinde &c.

500. Dixi per se loquendo; non enim inficior aliquam circumstantiam dari posse, in qua non omnia debeant exprimi impedimenta. Primò, si unum impedimentum in alio contineatur, sic ex. ca. quia in petitione dispensationis cum uxore mei consanguinei defuncti in ipso impedimento affinitatis includitur impedimentum publicæ honestatis contractum ex sponsalibus sive de futuro, sive de præsenti, expressa hujus mentio non est facienda; quia verò in petitione dispensationis pro Anna mihi affine, non includitur impedimentum publicæ honestatis, cum possit mihi affinis esse ex fornicatione; necessariò exprimendum erit impedimentum publicæ honestatis, si illud aliunde habeatur. Secundò, si alterum impedimentum sit occultum, ac talis naturæ, ut ex ipsius manifestatione sequatur infamia; tunc enim satis est Summo Pontifici proponere publicum impedimentum, ut in foro externo dispenset; occultum verò sacræ Pœnitentiariæ explicato quoque impedimento publico, in quo Pontifex dispensavit. Tertiò, si unum impedimentum indigeat dispensatione, alterum verò alia via tolli potest. Alios casus facilè resolves.

501. Ad argumenta pro priori sententia prolata. Primum, quàm falsum sit, dictum est. In secundo desumpto ab excommunicatione dispar est ratio, quia ad dispensationis valorem jura petunt omnia impedimenta exprimi, ad valorem verò absolutionis ab excommunicatione nihil aliud requiritur, nisi ut causa illa explicetur, propter quam excommunicatio contracta est; imò evenire potest, aliquem ab excommunicatione absolvi, etiamsi causa non exprimatur, quando nimirùm, quis illius esset oblitus. Quod si daretur aliquis effectus, ad quem quis non esset idoneus; nisi omni excommunicatione sublata, tunc dicerem, nihil prodesse auferri unam, alia remanente. Ita autem se res habet in casu; ut cum matrimonium sit unus ac indivisibilis effectus, ad quem refertur dispensatio, hæc nulla est, si fiat in uno impedimento, nequaquàm in alio; Atque ex hoc habes, quare possit obtineri venia unius criminis, quin obtineatur alterius, quia impetratio illius veniæ tendit ad fines diversos, & una ab altera non dependet; Quod dicitur de jactura facienda propriæ vel alienæ famæ, jam superiori numero rejectum est; quod verò additur de voto ita res definiri debet, ut possit quis illius dispensationem petere seorsim, si nulla fiat mentio matrimonii ineundi; etenim dispensatio non peteretur, ut illius virtute liceat ducere fœminam, erga quam est speciale impedimentum; Si verò non obtenta voti dispensatione velit inire matrimonium cum consanguinea, vel alia, cum qua habeat impedimentum dirimens, debet in eadem petitione explicare Pontifici tum votum, tum impedimentum; Denique quod dictum est de stylo Curiæ Romanæ tenet, quando alterum impedimentum occultum est, ut superiùs prænotavi.

ARTICULUS IV.

Quædam alia ad dispensationem spectantia.

502. QUæres 1. An temporibus antiquis consueverit Ecclesia in hisce impedimentis dispensare.

De eo, quod successu temporis in Ecclesia Christi factum est, nulla quæstio; etenim pluries dispensatum esse, alibi diximus, & fermè quotidie videmus. Respondendo autem postulato dico: Ecclesiam in dispensationibus con-

concedendis pro matrimonio contrahendo difficilem se præstitisse; volebat enim canones à se constitutos strictè servari. Narrat in hac re Christianus Lupus in notis ad can. 11. Concilii Rhemensis, Gregorium VI. & Galliæ Episcopos Ecclesiastico interdicto subjecisse Robertum Regem, eo quia nupserit Berthæ commatri suæ, cujus filium è sacro fonte susceperat, nec dispensationem potuerit obtinere. De Othone IV. ita scribit Arnoldus Abbas in Chronico Sclavorum: *Post Philippi cædem lucidum erat Othonis jus, verùm Philippi filia obviabat: Hinc omnibus pacificandis Othonis cum ista filia conjugium convenire censuerunt imperii proceres ac Episcopi; quin & ipsi Apostolicæ Sedis Cardinales Legati; sed obstabat quartus consanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius imperialis Cleri & Populi preces dispensavit Innocentius III., ea tamen lege, ut duo amplissima Monasteria Otho fundaret; omneque imperium largis eleemosynis & ferventibus orationibus istud Ecclesiasticæ disciplinæ vulnus compensaret.*

503. Quæres 2. An hujusmodi dispensationes expediant.

Aptius respondere non possum, quam doctrinam Concilii Tridentini sess. 23. de reform. cap. 18. in medium afferendo. Verba sunt ista: *Sicut expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat, sic frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs, quam certa personarum rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos: Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate atque gratis, à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* & sess. 22. cap. 5. hæc habet: *Dispensationes quacumque auctoritate concedendæ, si extra Curiam Romanam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint: Eæ verò, quæ gratiosè conceduntur; suum non sortiantur effectum nisi priùs ab iisdem summatim tantùm, & extra judicialiter cognoscatur expressas preces subreptionis, & obreptionis vitio non subjacere.* Præterea sess. 24. cap. 5. circa impedimenta matrimonii hæc præscribit: *In contrahendis matrimoniis vel nulla detur omninò dispensatio, vel rarò idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquàm dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

504. Ex his jam tenes, duplici modo concedi posse dispensationem, scilicet in forma commissaria, & in forma, quam gratiosam appellant. Hæc propriè dispensatio est; Illa verò non tam dispensatio dici debet, quam mandatum pro dispensatione ferenda; in utraque autem Ordinarii suam debent ferre sententiam, utrum causæ pro ea obtinenda adductæ justæ sint ac legitimæ; præsertim verò si agatur de dispensatione in forma commissaria? Non ita ratiocinandum de illis dispensationibus, quæ in foro conscientiæ conceduntur à magno Pœnitentiario, non enim diriguntur litteræ dispensationis ad Episcopum, vel Vicarium Generalem loci; sed ad quemcumque voluerit Orator, dummodò sit ab Ordinario loci approbatus, & gradum Doctoris vel in sacra Theologia, vel jure Canonico obtinuerit.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

De mutuo Conjugum debito.

ARTICULUS I.

An actus conjugalis sit ex genere suo bonus, & cadat sub præcepto.

505. De illis Hæreticis, nempe Execratitis Manichæis, ac Priscillianistis, qui dicebant nuptias illicitas esse, jam diximus in suo loco, ubi de nuptiarum honestate pertractavimus; quæ doctrina etiam in hoc puncto adhiberi debet. Cum tamen etiam nonnulli ex Catholicis Doctoribus, quos suppresso nomine affert S. Bonavent. in 4. dist. 31. quæst. 1. art. 2., & præsertim Hugo cap. *Vir cum propria* 33. qu. 4. dixerint, actum conjugalem saltem sine Veniali culpa nunquam exerceri posse, ideo priorem tituli partem hic exposui.

Procul dubio autem tenendum est, conjugalem actum secundum se seu ex genere suo bonum esse, atque honestum; imò si debito modo fiat, valdè meritorium, & oppositum asserere est in fidei dogmate errare. *Crescite*, inquit Deus, *& multiplicamini*, & ne dicas, hoc verum fuisse pro statu innocentiæ si perseverasset, audi Paulum ad hebr. 7. dicentem *Honorabile connubium, thorus immaculatus*. Certè si quid mali esset, hoc tribuendum Deo, qui fuit author ac institutor, voluitque servari matrimonium etiam in natura lapsa, imò in hoc statu ad sacramenti dignitatem illud evexit. Duas pro assertione nostra rationes affert Scot. in 4. dist. 26. quæst. unica. Primò quia in actu conjugali exercetur actus virtutis justitiæ cum reddatur debitum ex pacto matrimoniali contractum. Secundò quia finis ejusdem optimus, atque honestissimus est; nimirùm procreare sobolem ad cultum Dei; speciemque conservare, ad quod ipsa ratio, & propensio naturalis inclinat.

506. Ampliora dicerem id confirmaturus, nec non etiam plura opponerem, si de hac re in quæst. 1. art. 2. satis dictum non esset: Hic tantum proferam aliqua ex sanctis Patribus, qui videntur nobis oppositum docuisse: Isti autem sunt Augustinns, & Origenes. Primum affert S. Gregorius Papa, & refertur cap. *Vir cum propria* ita autem dicit, *Vir cum propria conjuge dormiens, nisi lotus aqua, intrare Ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet*. Secundus verò hom. 6. in Num. negat; in coitu esse spiritum sanctum; existimarunt igitur, actum conjugalem saltem à veniali culpa separari non posse.

Explicet tamen seipsum Gregorius, & apparebit ibi sermonem non esse de aliqua culpa, quæ in matrimonii actu committatur; sed de quadam naturali indecentia ac turpitudine propter quam ab Ecclesiæ ingressu solebant conjugati se religiose abstinere, sicut & modo plures faciunt, qui communionem velint accipere: Generatim autem Patres innuunt, ex accidente quodam scilicet ex nimio concupiscentiæ ardore, & effrænata intensaque appetitus sensitivi delectatione interdum esse venialem culpam conjunctam, quod nostræ assertioni non obest. Quantùm attinet ad Origenem qui citatur can. *Connubia* 32. quæst 2. dic cum Bellarmino aliisque, in coitu non esse Spiritum Sanctum auxilio quodam

dam speciali, quia ad opera naturaliter tantùm bona, quale est actus conjugalis, specialis Spiritus Sancti gratia non requiritur.

507. Devenio mòdò ad id, quod secundo loco in titulo quærebatur: Suppono autem in ratione petendi ac reddendi debitum conjuges æquales esse, cum dicat Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 7. neque virum sui corporis potestatem habere, sed uxorem nec sui uxorem, sed virum. Quod ad petitionem spectat, hæc nulli subest præcepto, nisi moraliter necessaria judicaretur ad vitandum periculum incontinentiæ vel in se, vel in conjuge suo. Ratio primi est, quia petitio debiti est in favorem petentis inducta, nullus autem tenetur uti jure suo, sed potest illi cedere, cap. *Ad Apostolicam* de regular. & cap. *Si terra* de privileg. Ratio secundi est, quia tenetur unusquisque ad exhibendum tàm sibi, quàm proximo de propria salute periclitanti remedium opportunum, si hoc commodè possit haberi.

508. Non ita sentiendum de reddendo debito; hoc enim ex præcepto justitiæ obligat, cum sit solutio rei Domino justè petenti. Vi enim contractus matrimonialis corpus unius quoad usum maritalem est sub alterius potestate; atque hoc intelligi debet, sive expressè, sive tacitè ac interpretativè fiat petitio; cum nihil referat sive verbis, sive factis voluntas exprimatur, l. *De quibus* ff. de legibus: Hoc disertè docet S. Th. in 4. dis. 32. q. unica art. 2. & omnes consentiunt. Porrò hujusmodi tacita ac interpretativa petitio ut plurimum contingit in uxoribus, quæ ex proprii sexus natura verecundæ sunt, nec nisi aliquibus signis percipi potest, voluntatem petendi in ipsis esse; quare si de viro loquamur, existimo, licitum esse uxori expectare expressam ipsius petitionem; quia cum virum minimè pudeat expressis verbis debitum exigere, merito ac jure optimo potest mulier præsumere, illum expressè non petentem, minimè id velle; quod valet per se ac regulariter; nam si vir aut nimiùm timidus esset, aut verecundus, quod de viro dicitur per respectum ad mulierem, concludendum de muliere per respectum ad virum; cum in ratione petendi ac reddendi par sit utriusque conditio.

509. Hoc, quod asserimus, cum aliquibus limitationibus usurpandum est; contingere potest primo, conjugale debitum non peti ex stricto jure justitiæ, sed amicitiæ ac benevolentiæ; cum utroque titulo inter se conjuges obstringantur: Certum autem est amicitiæ titulum sub lethali non obligare, nisi ex ejus violatione diffidia timerentur, aut nisi incontinentiæ periculum immineret. Contingere potest secundò, conjugem nimis frequentem esse in petitione, rationisque limites excedere cum alterius sanitatis discrimine, vel etiam conceptæ prolis detrimento; & tunc nullo præcepto ad reddendum tenetur; præsertim vir, qui fit in dies impotentior, & per nimiam spermatis amissionem citò senescit, ut notat Arist. cap. ult. de longitudine, & brevit. vitæ. Alias circumstantias excusantes quisque judicet, dummodò prudenter judicare velit.

ARTICULUS II.

An in actu conjugali facto ad evitandam propriam incontinentiam sit aliqua culpa saltem venialis.

510. Duplicem esse finem matrimonii, videlicet ad prolem suscipiendam, & incontinentiæ peccatum evitandum, constans est omnium sententia. Difficultas instituitur, utrum omisso fine illo primario, qui est ad suscipiendam prolem, & propter quam amplexus carnales tantùm licitos esse asserit Augustinus, & retento duntaxat fine secundario, qui est ad incontinentiam evitandam, conjugalis actus aliqua culpa saltem veniali reddatur infectus.

511. Conveniunt Doctores, licitum

tum esse petere debitum ad evitandum in altero conjuge incontinentiæ periculum, quod tradidit S. August. Ep. 119. ad Ediciam, & legitur cap. *Secundum verba* 33. q. 5., ratio autem est, quia in hac circumstantia potius est redditio debiti, quam petitio, atque in eo bonum fidei servatur; & quemadmodùm tenemur ad evitandum periculum peccandi in proximo, quando sine magno incommodo ac detrimento illud possumus evitare; ita si unus ex conjugibus præsentit periculum incontinentiæ, seu pollutionis in alio, tenetur ad illud præcavendum non solùm reddendo, sed etiam petendo, & hoc pacto nullum erit peccatum ad hunc finem conjugalem actum exercere, sed erit actus honestus pertinens ad virtutem sive charitatis, sive justitiæ. Quæstio igitur fit de usu conjugii principaliter ab finem vitandi in se ipso periculum incontinentiæ.

512. Triplicem lego in hac re Theologorum sententiam: Prima asserit, culpam venialem esse: Hæc tribuitur Magistro in 4. dis. 31., S. Th. ibidem q. 2. art. 2. ad 2., S. Bonavent., Scoto, aliisque, & ex Canonistis Glos. in can. *Quidquid* v. adulter. q. 2., Gratian., Hostien., Butrio &c. Secunda docet, nullum peccatum committi, dummodò alius finis positivè non excludatur, patronos habet Durandum, Majorem, Almaja: Philiarchum, Ledesmam, & ex jurisperitis Tiraquel. lib. 5. connubiali num. 111., Navar. in Sum. cap. 16. num. 32., Stephan. Gaetam, Ugolinum &c. Tertiam affert P. Sanchez dicens, hanc petitionem debiti vitandæ incontinentiæ causa tunc culpa vacare, quando adhibitis aliis mediis nequeunt carnis stimuli sedari, secùs, si possint; pro qua refert plures Doctores. Aliqui etiam distinguunt, asserentes, quod si nulla sit spes concipiendæ prolis, liceat usus matrimonii ad solam incontinentiam evitandam, non si è contra. Verum absolutè,

513. Dico, nullum esse peccatum in actu conjugali, etiamsi nullus alius finis intendatur, præter incontinentiæ evitationem.

Hoc in primis suadeo, quia matrimonium in statu naturæ corruptæ non solum est in officium, ut ait Scotus, sed etiam in remedium; igitur illud intendere ad finem remedii concupiscentiæ, est unum ejusdem finem intendere, quamvis minùs principalem, sine tamen principalioris positiva exclusione; nulla autem lex præcipit, in actionibus nostris positivè intendendum esse finem magis principalem; proinde &c. Hoc magis confirmo ex iis, quæ juxta omnes Doctores dixi num. 507., si enim propter vitandam alterius conjugis incontinentiam licitus est actus conjugalis, cur licitus non erit ad evitandam propriam & in se ipso? Numquid aliquis plus alteri debet ex charitate, quam sibi ipsi? Quod si juxta Sanchez lib. 9. disp. 8. num. 10., aliosque, quos ibi citat, possunt parentes inopes licitè saltem absque mortali culpa uti conjugio optando, ut filii non nascantur, dummodò nihil efficiant, quod generationem impediat; multo magis licitum erit, proinde etiam sine culpa veniali actum maritalem habere absque actuali vel virtuali desiderio non habendi prolem, ut incontinentiæ peccatum evitetur.

514. Neque dicas, hujusmodi incontinentiam aliis mediis superari posse, putà orationibus, jejuniis, aliisque spiritualibus exercitationibus. Hoc enim approbo tanquàm bonum ac meritorium, opusque virtutis; Aliud tamen non reprobetur tanquàm malum, ac demeritorium, opusque peccati actualis; sed agnoscatur tanquam ex genere suo honestum, atque à Deo tanquàm de secundario institutum. Noverint, neminem teneri ad evitandum peccatum per media perfectiora, sed sufficere, evitari per medium ex se honestum. Adde instantiam adductam probare, neque licitum esse actum conjugalem ad

vincendos concupiſcentiæ motus in iis, qui nullam habent ſpem prolis, quia & iſti per adducta media poterunt ab incontinentiæ periculo ſe liberare; & rursùs ſeparandos eſſe à thoro, qui vel prolem conceptam habent, vel nullam ſuſcipere poſſunt; quia etiam hæc ſeparatio eſſet unum ex remediis evitandi periculum incontinentiæ, ac petendi occaſionem; quod tamen non affirmabis, niſi innumeris ſcrupulis conjugatos velis obſtringere ac vexare.

515. Quod autem aſſeruimus, ac ratione probavimus, fundamentum ſuum habet in Pauli doctrina. Scribit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum.* Et infra, cum perſuaſum eſſe vellet conjugibus aliquando orationi vacare, & communi conſenſu à conjugio abſtinere, ſubdit: *Iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram*; quibus verbis manifeſtè oſtendit conjugalem actum ad vitandæ fornicationis finem licitum eſſe ac laudabilem; nec enim id permiſiſſet, aut ſuaſiſſet, ſi culpa venialis contrahi debuiſſet; non enim minus malum majoris vitandi cauſa fieri debet, ſi utrumque vitari poteſt.

516. Quod ſi inſtes, id à Paulo dictum eſſe ſecundum indulgentiam, ut patet ex verbis, quæ ſtatim addit; ex hoc ne inferas, indicari aliquam culpam, aliter nec permitti, nec multò minùs ſuaderi poſſet; ſed tantùm innui minus bonum ac perfectum per reſpectum ad abſtinentiam à copula; eo modo quo dixit etiam, *Et ſi nupſerit Virgo non peccavit*; *Ego autem vobis parco* nec tamen ſignificare voluit, culpam aliquam in nuptiis reperiri; ſed ſolùm minorem in ipſis eſſe perfectionem, quàm in cœlibatu, ſicut diximus in proprio loco, & omnes Catholici fatentur.

517. Opp. 1. Vel actus ille fit per impulſum concupiſcentiæ, & ita eſt culpa venialis; vel fit ſine tali impulſu, & ita eſt deordinatio, cum adhibeatur medium, cujus nulla eſt indigentia, & fiat ob ſolam delectationem.

Reſp. Vel ſermo eſt de impulſu concupiſcentiæ rationis judicium aliquo modo prævertente, & hoc pacto culpam venialem hujuſmodi impulſum eſſe, non inficior; nego tamen, quando dumtaxat ſic impellit, ut ſecundum rationis limites eligatur medium licitum, ut illicitum præcaveatur; Quanquam in hac re obſervandum eſt, impulſum concupiſcentiæ non imperare actum conjugalem ad illum ſedandum, ſed tantùm præbere cauſam, ut actus conjugalis eligatur; & ideo fortaſſe concupiſcentiæ impulſus in ſe malus eſt, non præbet tamen alteri cauſam mali. Quod dicitur de delectatione infra reſolvetur.

518. Op. 2. Finis ille ad evitandam incontinentiam in ſe ipſo non ſpectat ad bonum fidei, quod reſpicit tantùm reddere alteri conjugi, & abſtinere à concubitu alieno, non verò petere, ut evitetur concubitus alienus; ergo excuſari non poteſt à culpa.

Reſp. etſi propriè ac per ſe primò non pertineat ad bonum fidei; ad hoc tamen ſpectat reductivè; etenim conjux concupiſcentiæ ſtimulis percitus illud eligit medium, quo fidem uxori ſervet, nec ad alienum concubitum pertrahatur.

519. Quod validiùs adverſus nos probare videtur, verocatur ad Sanctos Patres, & præſertim ad S. Auguſtinum, qui explicans verba Pauli juxta dictanum. 516., cap. 10. de bono conjugali, ait abſurdiſſimè dici eos non peccare, quibus venia conceditur; indulgentia enim non datur, ubi culpa non eſt; & præ aliis hæc habet: *Conjugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam; concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge propter thori fidem, habet culpam venialem.* In eundem ſenſum devenerunt etiam S. Gregor. ut habetur in can. *Verùm fine* diſ. 13. S. Anſelm. & S. Th.

Sed

Sed jam quo pacto intelligendus sit Paulus, explicavimus, nostraque explicatio traditur à Lyrano, Cajetano, cæterisque expositoribus communius. Quamvis verò Sanchez candidè fateatur, Sanctum Augustinum aliosque Patres, præ singulari castitatis amore, quo affecti erant, in ea fuisse sententia; id tamen ego tam facilè non concedam, sed illos arbitror intelligendos, vel quando habetur expressa exclusio finis primarii, nempe prolis generationis; vel quando immoderatè exercetur; vel quando alia facillima remedia adversùs concupiscentiam non desunt; atque ita censeo loquutum esse Sanchez cum aliis, quos in tertia fuisse sententia num. 512. prænotavi.

520. Cum verò dictum sit, exclusionem, seu explicitum desiderium non habendi prolem in ipso actu conjugali, non esse semper peccatum, dummodò nihil fiat, quod generationem impediat; videndum breviter, utrum hoc verum sit, & sentio affirmativè cum S. Antonino 3.p. tit.1.cap.20. §. 6., Paludano in 4. dis. 31. q. 2. art. 3. Filliuc. tract. 10. cap. 9., aliisque: etenim cum hoc desideret inops, eo quod non habeat, quo pacto filios alere possit, motivum hoc honestissimum est; proinde de tale desiderium justum ac legitimum reddit, ex alia parte excludere per intentionem finem illum, ad quem ex sui natura conjugalis actus dirigitur, culpæ verti non potest, quia finis præcepti sub præcepto non cadit, ut loquuntur communiter.

ARTICULUS III.

Utrum actus conjugalis propter solam delectationem sit illicitus.

521. Multiplex esse potest propositæ sensus difficultatis. Potest quis conjugalem actum ita exercere propter solam delectationem, ut dum accedit ad alterum conjugem, paratus sit ad accedendum, etiamsi suus non esset; & in hoc casu, certum est quod peccatum mortale committit, quia habet animum fornicandi: debet autem esse paratus non solùm habitu, sed actu, quia non in habitibus, sed in actibus consistit meritum vel demeritum. Potest insuper quis ita carnaliter conjungi, ut delectatio conjugalis sit dumtaxat finis impulsivus, seu applicativus ad actum; principaliter verò intendat prolem, aut aliud bonum intrinsecum matrimonii; & hoc pacto indubitatum existimo, nullam esse culpam aut mortalem, aut venialem: Siquidem nulla sequitur debiti finis deordinatio, & ex alia parte delectatio illa tali actui annexa fuit ab ipsa natura, seu ab authore naturæ, veluti quoddam condimentum, quo promptius & avidius homines iis vacarent operibus, quæ vel ad individui, vel speciei conservationem sunt instituta; ut patet in delectatione gustus ex cibis, quam indidit natura, ut homo nutriretur, atque conservaretur.

522. Ex hac doctrina sequitur; quod, si delectatio in rebus apposita est tanquam condimentum & aliquid accessorium, non verò tanquam finis per se ac principaliter intentus; ille, qui per se ac principaliter in actione delectationem intenderet, inordinatè operaretur, & consectariè peccaret; in quo sensu loquuntur ii Sancti Patres, qui dicunt usum conjugii propter solam delectationem peccatum esse. Inter Patres Hieronymum præcipue recensebo, qui in can. *Liberorum* 32. q. 4. citatur dicens: *Liberorum in matrimonio opera concessa sunt, voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ sunt*. Et can. *Origo* ibidem *Adulter est in suam uxorem amator ardentior*; quod quidem prius dictum fuerat ab Angelo Tobiæ juniori, respuenti nuptias cum Sara, Job. 6. *Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus &* *mulus*,

mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.

523. Hoc tamen ita dictum volo, ut delectatio sit ita per se ac principaliter intenta, ut formaliter & expressè excludantur alii fines intrinseci in matrimonio; nam si istorum intentio virtualiter maneat, vel expressè intendatur delectatio tanquam finis principalis, & pariter expressè reliqua tanquam finis secundarius, in hoc sita est Theologorum controversia. Qua in re,

Non desunt Doctores, & quidem graves, censentes, nullam esse culpam neque venialem. Pluribus momentis non carent. 1. quia juxta Arist. 10. Ethic. cap. 8. *Delectatio talis est, quale opus, de quo est*, atqui usus conjugii bonus est; igitur & bona est delectatio, quæ ex illo consequitur; atque, ut cum Arist. prosequamur, *non omnis aliquid ob voluptatem efficiens, est incontinens, sed ubi ea est turpis*: certum autem existimari debet, delectationem in matrimonio turpem non esse. Præterea: Unusquisque ad libitum uti potest re sua; uxor autem est viri, sicut & vir est uxoris; ergo. Rursus: Quamvis actus conjugalis fiat ob solam delectationem; attamen alios fines prorsus non excludendo, in eo invenitur bonum Sacramenti; quia supponitur, conjugem ad eam delectationem accedere propter matrimonii vinculum, sine quo nullo modo accederet; ergo. His similia sunt alia argumenta, quæ propterea prætereo.

524. Verùm si hoc affirmetur, nescio, quo pacto servari possint dicta Sanctorum Patrum; præsertim S. Augustini, quem attuli num. 519. Sanctique Gregorii, cujus in cap. *Vir cum propria* 33. quæst. 4. affertur hoc dictum: *Cum non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent etiam ipsi conjuges in sua commixtione quod defleant.* Denique damnatam lego hanc propositionem ab Innoc. XI.

525. In hoc igitur actu culpam saltem venialem contrahi, inficiari non possumus: pro qua sententia affert Sanchez quadragintatres primæ notæ Doctores, quibus alios ego addere possem; Ratio autem est, quia ordinem pervertere, idque efficere finem, quod à natura ejusdemque authore institutum est tanquàm medium, culpa vacare non potest; delectatio autem in actu conjugali instituta est à natura ejusdemque authore tanquàm medium ad habendam prolem; & speciei conservationem veluti finis; ergo talis delectatio hoc modo præfixa absque culpa agnosci non potest. Certè actus non est propter delectationem, sed delectatio est propter actum; & bonum delectabile, quod naturæ sensitivæ consonum est, rectè esse non potest finis operationis humanæ, sed iste situs est in bono honesto, quod est naturæ rationali conforme.

526. Argumenta igitur num. 523. producta ad summum probant, non esse peccatum lethale; quod indicat etiam testimonium illud Augustini; quodve ego libenter affirmo, cum neque delectatio illa excedat limites matrimonii, neque fiat extra Sacramentum. Illis autem respondendum est, omnia ea vera esse si debitus ordo servetur, non si è contrario; quod manifestum est etiam in eo, qui rem suam comedit, in qua actione, si delectatio intendatur ut finis præcipuus, procul dubio peccatum saltem veniale committitur; at cum in re nostra finis primarius generationis non excludatur, quia supponitur, nihil effici, quod sit ejus impeditivum, sequitur mortale peccatum non patrari; quia præceptum naturale matrimonii non obligat ad finem matrimonii intendendum, sed tantùm ad obstaculum non apponendum.

527. Collige, uti cibis calidis, aliisque mediis ad excitandam libidinem, & accendendam magis voluptatem, ut quis in coitu potentior sit, & frequentiorem copulam habere possit, esse pec-

ca-

catum mortale, si excludatur finis præcipuus matrimonii, esse veniale, si fiat modo dicto superius, nullo verò modo culpæ tribui posse, si fiat ad rectum finem; atque ex istis reliqua resolve, de quibus effuso calamo plures authores pertractant, nempe an sit peccatum exercere actum conjugalem ob fines extraneos matrimonio, puta causa lucri, & mercedis, vel hæreditatis, ab altero conjuge promissæ, vel ob recuperandam, servandamque sanitatem.

ARTICULUS IV.

Quomodo usus conjugalis sit illicitus ratione loci.

528. Conjugalis actus juxta suam naturam licitus, etiam ratione loci illicitus fieri potest; duæ autem sunt circumstantiæ, in quibus hujusmodi reddi potest. Prima, si in publico fieret, secunda, si in loco sacro.

Primum ex eo manifestum est, quod talis actus modestiæ ac honestati humanæ graviter opponitur; postquam enim primi parentis peccatum ad omnes posteros derivavit, ea omnes afficiuntur verecundia, ut naturali instinctu generationis instrumenta abscondant & tegant; & si olim Lycurgi lege statutum erat, ut viri nisi clam legitimis uxoribus uterentur, ut refert Plutarch., tum Romanorum præcepto sancitum, ut vir primo sponsam non cognosceret nisi secretè & in tenebris; quanto magis id apud Christianos servandum erit? Quod verò in se & absolutè malum est, si in publico fieret, pejus respectivè redderetur; cum enim homines ad carnis vitia proclives sint, quænam peccandi occasio, & quæ ruinę spiritualis via non panderetur? Totum hoc communissimè docent Theologi, id addentes etiam de osculis, tactibus, & amplexibus; imò peccare putant maritum, si ab uxore petat debitum in loco, in quo soli reperirentur, fore tamen periculum, alios esse superventuros, qui illos detegerent ac aspicerent.

529. Videtur hoc magis dicendum, si id in loco sacro contingeret; nihilo tamen minùs non una est mens Doctorum atque sententia. Sunt, qui carnalem copulam habitam in Ecclesia inter conjugatos nullum esse peccatum defendunt, etiamsi fiat absque aliqua necessitate, dummodò periculum scandali non intersit: ita Basilius Pontius lib. 10. cap. 10. num. 13., Hurtad., Perez, Rosella verbo *Consecratio*. Alii sunt, qui absque aliqua limitatione, sed absolutè sentiunt, eam esse peccatum lethale & sacrilegium, non solùm ex parte petentis, sed etiam reddentis, atque pollui Ecclesiam, sive vel publica sit, vel postea publicetur. Ita Cajetan. in sum. v. *Matrimonium* cap. ult., Navar. in man. cap. 16. num. 32., Graffius 2. par. decision. cap. 48., aliique, quos citat Fagund. de præcept. Eccles. præcept. 1. lib. 3. cap. 14.; Tertia demum sententia docet, actum conjugalem tàm in petente, quàm in reddente esse peccatum mortale & sacrilegium, si fiat sine juxta causa & extra casum necessitatis: nullo modo verò esse peccatum, si justa causa intersit, atque necessitas; atque istam communius sustinent Alensf., Albert. Magn., Suarez, Sanchez, Covar., Barbosa, aliique, quos Sanchez recenset.

530. Huic adhæreo tanquàm probabiliori, atque priorem partem ostendo; quia carnalis copula, quamvis per se licita, attamen habita in loco sacro, est huic injuriosa, & adversatur reverentiæ ei debitæ, quippe qui benedictus est, ac consecratus, non ut in ipso actus isti exerceantur, sed ut divina officia ac mysteria celebrentur; atque hoc saltem jure ecclesiastico, ut habetur cap. unico *de consecrat. Eccles.* in 6. can. *Si motum*, can. *Ecclesiis de consecr.* dist. 1., cap. *Si Ecclesia, finale*, de consecrat., cap. *Significasti de adulteriis*, ubi statuitur, quod per sanguinis, ac se-

seminis effusionem Ecclesia polluitur, & nova opus est consecratione, seu benedictione, ut ad divina officia peragenda sit idonea, & cum ibi textus loquantur indistinctè, absque aliqua distinctione nos quoque loqui debemus juxta l. *de pretio* ff. *de publica actione*. Quamvis verò in aliquibus textibus sermo sit de copula adulterina; attamen non definitur, ob solum adulterium violari Ecclesiam, alioquin neque violaretur ob solam simplicem fornicationem; sed sermo est in casu speciali, per quem inclusio unius non est exclusio alterius. Igitur per conjugalem actum sine justa causa & extra casum necessitatis polluitur Ecclesia; est ergo peccatum lethale, & sacrilegii crimen perpatratur.

531. Neque dicant Pontius & Hurtadus; quod sicuti per justam sanguinis effusionem Ecclesia non polluitur; ita neque per effusionem seminis per se licitam, qualis ea est, quæ in actu conjugali exercetur: siquidem antecedens paritatis est falsum, ut tradunt Gloss. in cap. *Unicum* v. *Sanguinis* de consecr. in 6. necnon Suarez, Reginal., Fagund., Barbosa, aliique; ex quo assertio nostra magis confirmatur: Certè si alicujus facinorosi viri caput in Ecclesia obtruncaretur, pollutam Ecclesiam fieri, dubitari posse non videtur; quia etsi illa capitis obtruncatio reo non esset injuriosa, quod tamen aliqui negant, quia quamvis justè morti damnetur, attamen jus habet, ne in Ecclesia vim patiatur; nihilominus esset injuriosa Ecclesiæ.

532. Quod verò conjugalis copula si fiat ex justa causa, & urgente necessitate, puta si diuturno tempore maneant conjuges in Ecclesia inclusi, vel propter aliquod crimen, vel certum periculum, & sit de incontinentia formidandum, nullo modo sit peccatum, ex eo declaro, quod oppositum parùm videtur consentaneum Paulo dicenti: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut orationi vacetis; & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas ob incontinentiam vestram*; & quemadmodùm cætera Ecclesiastica præcepta in casu magnæ necessitatis non obligant, ita neque istud, quod tantùm ab Ecclesiæ statutis derivasse suppono; imo observo cum Suarez tom. 1. de religione lib. 3. cap. 7. num. 3. quod, licet copula maritalis esset extra casum necessitatis illicita ac sacrilegium in loco sacro ex natura sua, & jure naturali; attamen urgente necessitate non esset mala; quia interdùm ob necessitatem cessat etiam obligatio juris naturalis, quando ex circumstantia materia ipsa mutatur, ut contingeret in re nostra, in qua nulla irreverentia nullusque contemptus adversùs Ecclesiam committeretur; imò fieret ad magis servandam legem naturalem & divinam, cum & copula illa haberetur ad evitandam incontinentiam, & ad alium bonum finem, quem matrimonii Sacramentum præfigit.

533. Hoc, quod sentio, si ambo conjuges essent pro diuturno tempore in Ecclesia inclusi, affirmo etiam, si de uno tantùm id verum esset; quare, qui libertate gaudet, alium adire posset, atque conjugalem actum exercere. Quo pacto autem se gerere debeant, ne inde scandalum, ac ruinæ spiritualis occasio in aliis oriatur, quisque prudens, ac rationis compos intelliget.

534. Argumenta prioris sententiæ, quæ militant contra ea, quæ pro prima nostræ assertionis parte diximus jam rejecta sunt, cum aliud non contendant, nisi in hac re nullam esse ecclesiasticam prohibitionem, & præterea alia sic possunt proponi. Si conjugalis copula mala est & sacrilega, si fiat extra casum necessitatis vel est ob criminis gravitatem, vel ob loci irreverentiam; sed neutrum dici potest; ergo. Non ob criminis gravitatem, quia hæresis, odium Dei, aliaque plura, longè graviora sunt, nec tamen commissa in Ecclesia ali-

aliquam aliam ſpecificam gravitatem ſortiuntur; non ob loci irreverentiam, nam loci ſacri decentiæ ac cultui magis adverſantur tactus & inhoneſta verba inter ſolutos, quàm copula conjugalis de ſe licita; nec tamen illa habent ex loco ſacro ſpecialem malitiam moralem; ergo. 2. Si in odium furti pronuntiaretur excommunicatio, non inde furtum haberet novam malitiam, ſed eam tantùm, quam habet ex natura ſua; ergo, cùm maritalis copula ex natura ſua licita ſit, non poteſt fieri mala, quia per eam dicatur pollui Eccleſia, ſi fiat in Eccleſia; & quemadmodùm fieri poteſt injuria loco ſacro, quin tamen violetur, ut contingeret, ſi quis ad Eccleſiam confugiens extraheretur; ita poteſt violari, ſeu pollui Eccleſia, quin tamen Eccleſiæ injuria irrogetur.

535. Reſp. argumentum primum corruere, ſi attendamus, non eſſe petendam rationem ab eo, quod intrinſecè eſt in re, ſed tantùm ab eo, quod decrevit Eccleſia; hæc autem etiam per alia crimina longè graviora, neque per alios actus decrevit Eccleſiam pollui; decrevit autem per ſanguinis effuſionem; ideo &c. Qua in re obſervandum eſt, aliqua eſſe peccata, quæ in ſe graviora continent malitiam, & tamen cum non habeant reſpectum ad locum ſenſibilem humana authoritate deputatum ad divinum cultum, malitiam irriverentiæ contra locum ſacrum contrahere non poſſunt, aut ſaltem contrahunt minorem, quam contrahant aliqua, quæ vel minùs mala ſunt, vel etiam in ſe ſpectata bona ſunt. Manifeſtum eſt hoc in detractionibus, perjuriis, & ſimilibus, quæ, ſi comparentur cum actibus impudicis; graviora ſunt peccata; & tamen ex loco ſacro minorem malitiam contrahunt, quam iſti; quare argumentum propoſitum nequaquàm concludit. Ad 2. conc. ant. quia furtum non prohibetur niſi prout oppoſitum virtuti juſtitiæ, & ideo, ſicut eſt una virtus, cui opponitur, ita una tantùm eſt malitia, ſi tamen in Eccleſia fieret, quia opponeretur etiam virtuti religionis, novam malitiam contraheret; & hoc pacto in caſu noſtro, quia illa copula fieret contra ſtatutum Eccleſiæ, & contra decentiam ac reverentiam loci, fieret mala, ac ſacrilega. Poſtremum non tenet, quia non uno tantùm modo fieri poteſt injuria loco ſacro, & fieri poteſt per extractionem confugientis ſine pollutione, & fieri poteſt per ſeminis effuſionem ſine extractione &c.

536. Argumenta, quibus probari poteſt, in nullo caſu eſſe licitum in Eccleſia actum conjugalem, hæc eſſe poſſunt. 1. Quia jura ſtatuentia per ſanguinis ac ſeminis effuſionem pollui Eccleſiam, abſolutè loquuntur, neque diſtinguunt aliquam juſtam cauſam, & caſum neceſſitatis; ergo neque nos diſtinguere debemus juxta dicta alibi 2. Si contingat, unum conjugem juſtis de cauſis intra loci ſacri limites concludi, debet uterque continentiam ſervare; ſicuti debet, dum vir vel ob mercaturam, vel ob rem militarem diuturno tempore eſt abſens.

Reſp. ad primum: Etiamſi jura non diſtinguunt, dant nobis locum diſtinguendi ex aliis principiis; quemadmodùm in aliis prohibitionibus eccleſiaſticis à nobis diſtinguitur, licet ab illis non diſtinguatur. Satis diximus, dum noſtram aſſertionem probavimus. Ad 2. ſumus in caſu impoſſibilitatis. Preterea: In ea abſentia non urget illud incontinentiæ periculum, quod imminet, dum vel ambo conjuges in eadem Eccleſia incluſi ſunt, vel ad alia præſtanda officia, qui liber eſt adit incluſum.

537. Quæres, utrum, ad hoc ut Eccleſia per ſeminis voluntariam effuſionem, ac per copulam conjugalem polluatur, neceſſe ſit, eam eſſe publicam ac notoriam; jam ſermo eſt de ſeminis effuſione illicita, nam de illa, quæ fit per actum conjugalem in caſu neceſſitatis, ſuperius dictum eſt.

Oc-

Occultam non sufficere, ut Ecclesia polluatur, existimarunt plures, inter quos Sot. in 4. dist. 32. quæst. unica art. 3., Basilius Pontius, Angles Floribus &c. contrarium affirmant Palud., S. Antonin., Navar., Suarez, Sanchez, Bossius &c. atque horum sententiam censeo magis probabilem. Ratio est, quia Ecclesia suo præcepto non tantùm prohibuit publicam seminis effusionem, sed simpliciter; igitur non solùm per publicam & notoriam polluitur, sed etiam per occultam; atque hoc solùm inter utramque discrimen invenitur, quod quamdiu occulta remanet, Ecclesia non indiget reconciliatione, seu nova benedictione, ut in ea sacra officia celebrentur, quia est polluta tantùm in actu primo & radicaliter, non sic in actu secundo, seu non reputatur tanquam polluta; si verò, quæ priùs occulta fuerat, reddatur publica & notoria, tunc nova benedictione opus est; Totum hoc manifestum fit in cap. *Significasti* de adulteris. Contigit enim adulterium Sacerdotis intra Ecclesiam occultè, quia tamen per confessionem mulieris publicè factam, de crimine constitit, jussit Alexander III. ut Ecclesia reconciliaretur; quod factum non esset, nisi ab initio, dum adulterium patratum fuit, polluta fuisset Ecclesia; quia confessio criminis, & populi notitia superveniens Ecclesiam non violat, sed violatam manifestat.

538. Quare autem non nisi per publicam ac notoriam seminis effusionem ita sit Ecclesia polluta, ut indigeat nova benedictione, plures rationes afferri possunt. Prima, quia, ut cum Glos. dicit Suarez, plura incommoda sequerentur; Sacerdos enim ob occultam pollutionem, quæ sibi contingeret, omittere deberet celebrationem in ea Ecclesia, & si solus Parochus delicti notitiam haberet, dubius hæreret, quia ex una parte non posset absque animi perturbatione à divinis officiis in ea Ecclesia abstinere; ex alia non posset satagere, ut iterum Ecclesia benediceretur, quia delictum illud probare non posset. Vel quia, ut ait Fagundez, sicut ob occulta crimina non potest injungi publica pœnitentia, quia delinquenti fieret injuria; ita non debuit Ecclesia impediri propter occultam sibi præstitam irreverentiam, ac coinquinationem; vel tandem, quia, ut sentit Coninch., cum Ecclesia in se ipsa sanctitatem non amittat, quæ enim sancta sunt, commaculari non possunt, ex can. ultimo 15. quæst. ultima *de cohabitatione Clericorum & malæ mulieris*; ut censeatur polluta, & indigeat reconciliatione, necesse est, delictum hominibus innotescere; eo pacto quo, ut fiant homines per crimina infames, oportet, eorum crimina esse notoria.

539. Ut vides, sermo meus semper habitus est de Ecclesia, non autem de loco sacro; nomen enim loci sacri latiùs patet, quam nomen Ecclesiæ; sicut manifestum est de locis illis, quibus datum est immunitatem gaudere, nec tamen sunt Ecclesiæ. Igitur in re nostra, ut per seminis effusionem contingat profanatio, necesse est fieri in ipsa Ecclesia, quæ sit vel consecrata, vel benedicta, quia si benedictio desit, neque locus sacer potest appellari. Porrò illud spatium dicitur Ecclesiam constituere, quod interiùs est à tecto interiori usque ad pavimentum, & à summa ara usq; ad oppositum parietem, complectens etiam Capellas in ipsa contentas, quia cum ipsa unum corpus efficiunt. Ex hoc habes, quod si copula habetur supra Ecclesiæ tectum, vel subtus Ecclesiæ pavimentum, vel in cubiculis Ecclesiæ adhærentibus, vel in turri, vel &c. Ecclesia nequaquàm polluta erit, aut censebitur; atque idem dico de Sacristia, quia hæc neque est pars Ecclesiæ, neque constructa ad sacra officia peragenda, sed tantùm ad sacras vestes custodiendas.

540. Aliqua videtur esse difficultas, si haberetur in Choro. Sed facilè re-

resolvitur dicendo, quod si chorus sit in quodam Ecclesiæ loco quibusdam tantùm scabellis distincto, tunc censeri debet Ecclesiæ pars, cum sit in ejusdem solo; Si verò sit in eminenti quodam loco, ut contingit plerumque apud regulares ac moniales, tunc pars Ecclesiæ non est, cum habeat solum distinctum, & se habet tanquam cubiculum adhærens Ecclesiæ; ideo in primo casu pollueretur Ecclesia, nequaquàm in secundo.

Plura alia addi possent; sed nimiùm piget in istis scribere, in quibus nihil, quod meum sit, addere possum.

ARTICULUS V.

Quomodo copula illicita sit ex parte modi.

541. Præterivimus supra aliqua scribere, quia pigebat, & tamen nunc aliqua exponere debemus, quamvis pudeat. Excusandi nihilominùs sumus, cùm ea plerumque contingant; atque pro iis scribimus, qui Sacramentalem excipiunt confessionem; ut cum hæc audierint, æquum judicium ferre non ignorent.

Quinam sit modus legitimus, atque à natura institutus, quo conjugalis copula exerceri debet, ut scilicet vir incubus sit, mulier succuba manifestum, est; cùm & iste aptior sit ad virile semen effundendum, atque in vase fœmineo recipiendum, retinendumque, & ipse naturalis ordo id expostulet, cum vir sit agens præcipuum, fœmina verò magis patiens quam agens principium. Quidquid igitur à conjugibus fiet ab hoc modo recedendo, naturæ ordini adversabitur; & eo magis, quo major erit recessus; putà si fiat vel ordine præpostero, vel viro succumbente, servato tamen debito vase.

542. Quæstio promovetur apud Doctores, qualis culpa committatur. Præposit. in rubrica de sponsalibus, Monaldus tract. de matrim. tit. de bonis matrimonii, Henric. c. *Inquisitioni* n. 22. de sentent. excommunic. aliique plures à peccato lethali illam copulam non excusant, præsertim si fiat modo præpostero. Contrarium docent ex antiquis Albert. Magnus in 4. dist. 31. art. 24. Cajet. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 4. S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. &c. ex recentioribus Rebell. de obligatione justitiæ p. 2. lib. 3., Bonacina de matrim. q. 4. p. 13. Basilius Pontius lib. 10. c. 11. Sanchez, aliique plures penes ipsum; atque hanc posteriorem sententiam longè probabiliorem existimo; ita ut quocumque modo conjuges commisceantur, dummodò extra vas legitimum non fiat consummatio, sit ad summum culpa venialis, sed ex gravioribus; atque ideo ita coeuntes meritò increpandi sunt.

Ratio assertionis ex eo desumitur, quod concubitus dictis modis habitus non opponitur præcipuo matrimonii fini, qui est generatio; non igitur est talis ordinis perversio, ut ad lethalis culpæ reatum debeat deduci; ant. ostenditur, quia licet fiat vel viro succubo, vel à parte præposterà, attamen non impeditur seminis effusio ac receptio intra vas fœminæ; cùm semen non recipiatur per descensum, vel per infusionem, sed per matricis attractionem, quæ ipsi data est à natura; Sicut attrahendi vis data est stomacho per respectum ad cibum, ut docet Aristoteles 2. de generat. anim. cap. 4., qua in re scribit S. Th. quodlib. 6. art. 18., quamdam puellam, quæ cum suo Patre in eodem lecto accubaverat, semen ab ipso in somnis emissum attraxisse; atque inde gravidam effectam esse; atque idem in balneis accidisse, in quibus erat semen à viro decisum, legitur apud graves Doctores. Præterea: abusus iste ac naturalis ordinis perversio est solùm in accidentalibus; quia vas legitimum servatur, nec aliquid apponitur, per quod prolis conceptio impediatur; cur igitur ad lethalem culpam revocabitur?

543. Hoc affirmo, etiamsi aliqua pars seminis elaberetur; quia juxta medicorum doctrinam nunquàm matrix totum semen absorbet, ac retinet, sed illam solùm partem, quæ generationi sufficiens est. Si verò ita se res haberet, ut foret morale periculum semen effundendi extra vas fœmineum, vel totum semen jam receptum ejiciendi, idque experimento constaret; tunc modis illis habere copulam lethali culpa non careret propter rationem adductam, quia nempe generatio impediretur.

544. Quare autem concubitus sic habitus culpa veniali non careat, deducitur ex vehementi appetitu, & inordinata delectationis concupiscentia; tum etiam ex indecentia atque actus turpitudine, utpote contraria ordini à natura statuto ac requisito. Dixi autem, esse ad summum culpam venialem; siquidem dari potest justa causa propter quam vir succubus jaceat, aut parte præpostera uniatur; ut esset, si vir adeo pinguis esset, ut alio modo nequeat coire, vel esset periculum interimendi fœtum in prægnante; tunc enim inversio debiti situs omni culpa careret, ut ait S. Th. in 4. in fine distinct. 32. & cum eo reliqui Doctores.

545. Antequam argumenta contra nostram propositionem exponam, placet inquirere, an conjuge exigente absque necessitate modum indebitum absque pollutionis periculo, possit alter licitè, ac teneatur reddere.

Breviter dico, optimè se gessurum, vel gessuram, si petentem blandè ac amicè rogabit, ne tali modo velit copulam habere, quod si non obtinebit, licitè reddet; imò tenebitur reddere ad majus malum evitandum.

546. Oppones contra dicta n.542. 1. In historia scholastica cap.33. legitur ex Methodio, diluvio mundum punitum fuisse, quia mulieres malè usæ sint viris, in tantam vesaniam perductæ, ut illæ incumbæ, isti succubi coirent; peccatum igitur lethale fuit, quod ex pœna conjici potest; atque ut tale peccatum id exprobavit Paulus ad Rom.1.dicens, *Fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum, qui contra naturam est*.

2. In simili coitu est maxima variatio in conditione personæ; Siquidem viri est agere, mulieris est pati; vir autem succubus ex vi formæ situs patitur, mulier agit; à qua mutatione plurimùm naturam abhorrere, quisquis intelliget.

3. Modum præposterum adhibere, est hominem simillimum effici bestiis, quibus natura modum istum præscripsit; & hoc fine lethali culpa concipi non potest.

Denique: in hoc est abusus Sacramenti Matrimonii, & quamvis accidentalis dicatur, attamen sine lethali peccato id fieri non potest; quemadmodum ritus perversio in aliis Sacramentis, etiam accidentalis, pervertentem reddit peccatorem.

547. Resp. à nobis non approbari, quod ex Methodio affertur; causa enim diluvii fuit longè gravior, & si quæras, qualis fuerit, lege Genesis librum: Textum verò Apostoli Glos. ordinaria & Lyranus explicant de fœminis, quæ mutuò polluebantur invicem concumbentes, sicut etiam de masculis.

Ad 2. illa variatio est tantùm accidentalis & extrinseca; & adhuc vir agit, & fœmina patitur, quia vir dat, fœmina recipit.

Ad 3. illa similitudo pariter est tantùm accidentalis & extrinseca, culpæ lethali nequaquàm sufficiens.

Ad ultimum: concedo abusum Sacramenti etiam extrinsecum & accidentalem peccati lethalis reum hominem constituere; sed nego, copulam illam esse abusum Sacramenti, quia actus conjugalis non est Sacramentum.

548. Quid verò dicendum erit, si vir habeat copulam sodomiticam cum uxore, & in ejus vase præpostero semen emittat? Procul dubio peccatum grave est, & quidem contra naturam, cum con-

contrarium sit fini naturali, nec uxor sit uxor ad talem copulam: Quapropter etiam mulier illi consentiens graviter peccaret, quidquid in hac re dixerint aliqui, ut refert Abulensis in cap. 5. Matth. quæst. 224. eo ducti principio, quod mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; hoc enim verum est, si de usu in vase legitimo ac naturali sit sermo; falsum omnino, si de præpostero; imo lethali culpa non carebit actus, si fuerit incœpta copula sodomitica per vasis penetrationem etiam sine animo consummandi, & citra periculum effusionis, sed tantùm ad majorem voluptatem captandam cum intentione inde utendi vase legitimo; tactus enim ille neque ex se, neque ex tangentis intentione ad conjugalem copulam referri potest, cum sit medium omninò improportionatum, & spectans ad alteram speciem luxuriæ; quod non valet de aliis tactibus impudicis, qui citra peccatum mortale inter conjuges exerceri possunt, qualem etiam illum existimo, quo quis superficiem dumtaxat vasis propostꝫeri perfricaret, nec ullum foret pollutionis periculum neque deesset animus legitimæ conjunctionis.

549. Sed ulterius observandum est peccatum hoc esse in duplici specie, scilicet esse peccatum contra naturam, idest sodomiæ; & ulterius habere etiam specialem malitiam adulterii; accessus enim hujusmodi est contra matrimonii fidem, cum neuter conjux servet alteri suum corpus castè, nec sit conjux ad illum actum, sed tantùm ad naturalem, quod apertè docuit S. Ambrosius lib. de Patriarchis, & refertur cap. *Nemo sibi* 32. quæst. 4., dicens. Noc hoc solum est adulterium cum aliena peccare conjuge, sed omne, quod non habet potestatem conjugii. Quare conjuges sic peccantes utramque speciem fateri debent, dicendo se peccasse contra naturam cum proprio conjuge. Quod si unus ex conjugibus reniteretur, tunc alter duobus prædictis criminibus adderet tertium quod esset injustitiæ; cum vir ex ratione matrimonii vase indebito uxoris jus utendi non habeat.

ARTICULUS VI.

Quomodo sit illicitus actus conjugalis ratione temporis.

550. Plura hic inquiruntur à Doctoribus. Primum sit, an illicitus sit actus conjugalis diebus sacris nec non publicis supplicationibus, jejunisque ab Ecclesia statutis.

Adeo strictè in hoc puncto loquuntur Sancti Patres, ut culpam esse, in dubium revocari non posse videatur. S. Ambrosius serm: de adventu Domini, & habetur cap. *Fratres* 33. quæst. 4. dicit, *Nullus omninò uxori suæ diebus jejuniorum conjungatur*, & in Epist. 1. ad Corint., refertur cap. *Si causa* quæst. 4. ait: *Si causa filiorum procreandorum ducitur uxor, non multum tempus concessum vid. tur ad ipsum usum. Quia & dies festus, & dies processionis cessare temporibus his debere demonstrant.* S. Augustinus in quæstionibus veteris ac novi testamenti quæst. 127. habetur cap. *Christiano* quæst. 4. inquit. *Christiano cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando vero non licet. Propter dies enim processionis aliquanda non licet convenire.* Et serm. 2. de tempore sic scribit: *Quotiescumque autem dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates advenerint, non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinere debemus.* In libro primo dialogorum narrat S. Gregorius, quamdam mulierem à Dæmone arreptam fuisse, quia post conjugalem copulam publicis supplicationibus interesse voluerit, credi autem non potest tanta pœna sine gravi culpa.

551. Addi possunt etiam plures rationes, dies enim festi præcipue ad vacandum Deo orationique instituti sunt; quan-

quantum autem carnalis delectatio quæ mentem absorbet, huic fini opponatur, manifestum est; dies verò, quibus præcipiuntur jejunia, carnis macerationi sunt præfiniti, atque jis, sicut delinquit, qui illicitis voluptatibus indulget, ita qui à licitis non abstinet; Hoc ab ipsis Ethnicis factum esse, ut orationi operam daturi à conjugalibus amplexibus se cohiberent, plura profert exempla Tiraquel. lib. 15. connub. num. 114. Denique; Illicita est maritalis copula in loco sacro per se loquendo, ergo etiam tempore sacro.

552. Hac de re dixerunt aliqui, quod petere conjugale debitum præfatis diebus non ad finem prolis, esse peccatum lethale, petere ad finem prolis esse veniale; atque hoc secundum absolutè tradiderunt Magist. in 4. dist. 32. cap. 3. ibidem S. Th. quæst. unica art. 5. quæstiunc. 2., Durand., Paludan., Gerson., Sot. &c. Alii limitarunt ad dies tantùm solemniores, pro aliis verò dicunt, abstinere à copula ad consilium pertinere.

553. Quod superius dictum est tanquam improbabile rejicere non audeò, imo valdè laudabiles eos conjuges censebo, qui præfatis diebus se continent; at asserere, si se non contineant eos peccare, nimis durum asperumque videtur. Quare existimo, quod, si in carnali copula aliud illicitum non contingat, ea absolutè sit licita, atque Sanctos Patres concionatorio modo esse loquutos atque id à fidelibus postulasse quod magis perfectum est, magisque conveniens asserendo id non esse licitum, nec fieri debere, pro eo, quod non decet; atque compertum sit ex eorumdem dictis cum affirment, etiam à licitis abstinendum esse; quod tamen si non fiat, nullum peccatum est; quamvis si fiat, multum virtutis exerceatur, ac meriti comparetur. Et sic respondeo jis quæ num. 550. producta sunt.

554. Id autem, quod tenendum existimavi, ex eo evinco, quod diebus festis aliud non præcipitur, nisi sacrum audire, & ab operibus externis servilibus abstinere, & quamvis hoc præscribatur, ut fideles liberiùs Deo vacent, ac in spiritualibus se exerceant, attamen constat ex S. Th. 1. 2. quæst. 96. art. 3. finem præcepti non cadere sub præcepto quod omnes affirmant.

Hinc ad rationes num. 551. patet quid dicendum sit. Prima jam soluta remanet per fundamentum expositum; secunda, quæ petitur à carnis mortificatione, satis servatur, si adimpleatur id quod pro jejunando Ecclesia præscribit nempe abstinentia à cibis vetitis, & à pluribus comestionibus; neque verum est, quod sicuti peccat, qui illicita prosequitur; ita peccat qui à licitis se non abstinet. Quod si id moris erat apud Ethnicos, quid inde? nunquid aliqua moralia opera bona exercere non poterant? illos tamen mihi non proferas, facilè superstitiosè id egerunt. Pro postremo ex eo habeas disparitatem, quod locus sacer ad sola opera sacra statutus est, ideo benedictione ac consecratione in se recepta talis est effectus; hoc non valet de tempore etiam sacro, certè argumentum à loco ad tempus non tenet. In loco sacro publice non comederes aut biberes, tempore tamen sacro id à te fieri judico.

Factum, quod narrat S. Gregorius, fermè calamo ac mente exciderat Sed dic cum S. Th. in 4. dist. 32. quæst. unica art. 5. quæstiunc. 2. ad 1. non ideo id illi fœminæ contigisse, quia debitum reddiderit; sed quia contra conscientiam egit, putabat enim sacris post copulam interesse prohibitum esse, & nihilominus interfuit atque ideò peccavit.

555. Secundo inquiritur quid sentiendum sit de actu conjugali habito die qua vel recipienda, vel recepta sit Eucharistia. De hoc puncto nonnulla dixi quæst. 6. de Eucharistia artic. 4. num. 324.

Tanquam certum suppono, culpam lethalem non esse post conjugalem copu-

copulam Euchariſtiam recipere, quidquid dixerit Alexand.de Nevo in rubrica de ſponſalibus, cum nonnullis aliis, quos innominatos refert Fagundez de præceptis Eccleſiaſt.præc.3.lib.3.cap.6. ſi enim non peccat lethaliter qui etiam poſt voluntariam pollutionem, vel fornicationem, vel adulterium præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Euchariſtiam accedit; quantò magis id in re noſtra? Ratio generalis eſt, quia nihil ſacram impedit communionem, niſi vel excommunicatio, vel peccatum lethale; ſed uſus conjugii ſecundum ſe tale non eſt; igitur &c.

556. Fit igitur aliqua difficultas, utrùm venialiter peccet, qui debitum petit ea die, qua ſumpturus eſt Euchariſtiam: Dico de eo, qui petit, etenim alter à reddendi obligatione minime eximitur.

Etiam in hac re ſtrictè Patres loquuti ſunt. S. Hieronymus plura habet In ſermone de eſu Agni, & refertur in cap. *Sciatis* 33. quæſt. 4. ſic ait: *Quicumque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus agni comedere debet. Item ſi panes propoſitionis ab jis, qui uxores ſuas tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis, qui de Cælo deſcendit, non poteſt ab jis, qui conjugalibus paulo ante adhæſerunt amplexibus violari atque contingi? non quo nuptias condemnemus, ſed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare operibus carnis non debemus*. Et in apologia ad Pammachium pro libris contra Jovinian. ſic effatur: *Illorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant*. Sanctus etiam Auguſtinus ſerm. 226. de tempore, & ſerm. 2. de dominica 10. poſt Pentecoſtem ſic loquitur: *Ille bonus Chriſtianus eſt, qui quoties ſolemnitates veniunt, ut ſecuriùs communicet, ante plures dies caſtitatem cum propria uxore cuſtodit, ut ſincera conſcientia ad altare Domini caſto corpore, mundo corde præſumat accedere*. Afferuntur etiam etiam plura Concilia: Eliberitan.in can. *Omnis homo* de conſecr. diſt. 2., Cabillonen. ann.813. cap.46. &c.

557. Hac de re fuit plurium ſententia, abſolutè comitti culpam venialem, adduntque plura momenta eam probaturi. Primò exemplum Ozæ, qui ut legitur 2. Reg. cap.6. percuſſus fuit à Domino, quia arcam tetigerat; rationem autem ultra hebræos reddunt Lyranus, & Vincentius Ferrerius, quia præcedente nocte uxorem agnoverat; potiori igitur jure culpa non vacabit ad Euchariſtiam poſt copulam conjugalem accedere. 2. Quamvis rem habere cum propria uxore actus licitus ſit; attamen ad Euchariſtiam eodem die recipiendam aliquam præſefert indecentiam; ſicuti ſi Judex homicidam condemnet, licitum actum exercet, & tamen quia affert indecentiam, qua Chriſti manſuetudinem non repræſentat, arcetur ab altaris miniſterio; ergo. 3. Quia carnalis delectatio, utcumque habita etiam ad finem ſuſcipiendæ prolis, mentem abſorbet, eamque reddit ineptam ad res divinas; proinde &c.

558. Nihilominus placet aſſerere, neque venialiter peccare, qui poſt conjugalem copulam accipit Euchariſtiam; proinde ex Euchariſtiæ ſumptione illam illicitam nequaquàm eſſe; præſertim ſi habeatur non ad libidinem explendam, ſed vel ad evitandam incontinentiam, vel ad liberos ſuſcipiendos.

Hoc in primis evinco ex Sanctorum Patrum teſtimoniis: S. Hieronymus in apol. contra Jovinian. ſic ait: *Scio, Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles communicent omnibus diebus etiam poſt coitum conjugalem, quod nec laudo, nec reprehendo*; reprehendiſſet certè, ſi culpam etiam venialem agnoviſſet. S. Gregor. reſp. 10. ad interrogat: S. Auguſtini, & habetur cap. *Vir cum propria* 33. quæſt.4. *Si quis ſua conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolum liberorum creandorum gratia utitur, de ſumendo corporis Dominici, ſangui-*

gui-

guinisque mysterio, suo est relinquendus judicio, quia à nobis prohiberi non debet accipere. Ratio autem est, quia coitus habitus ad finem vel evitandæ incontinentiæ, vel prolis suscipiendæ est per se bonus, & habet finem rectum atque à Deo institutum; ergo quamvis accedat carnalis voluptas, & corporalis immunditia; attamen bonum, & honestas ejusdem finis præponderat, ex quo etiam fit, mentem non ita absorberi, ut ad spiritualia sit inepta, atque indisposita.

559. Tunc igitur culpæ veniali vertendum erit ad communionem accedere, quando conjugale debitum petitum fuerit ex nimia carnis concupiscentia, & ad excessum voluptatis capiendum; & ita intellige ea, quæ dicta sunt supra, quamvis interdum dari possint aliquæ causæ, quibus damnum exortum ex concupiscentia ac voluptate abundè resarciatur; quo casu nulla erit culpa. Causæ autem istæ esse possunt, dies Jubilæi exigentis communionem, ut comparari possit; specialis devotio ac præparatio ad communionem; nota aliqua, quæ ex communionis omissione contraheretur; & alia hujusmodi, quæ contingere possunt.

Quæ dixi de copula ante communionem, valent etiam de ea, quæ post communionem haberetur.

560. Fateri tamen unusquisque debet, valde conveniens ac laudabile esse, si ante recipiendæ communionis diem conjuges se cohibeant, ad quod eos adhortari debemus. Id quod suadent Sancti Patres, & præsertim Concilium Eliberitanum adductum n. 556. in fine. Imò S. Augustinus exoptat, communicaturum in Paschate toto Quadragesimali tempore uxorem non tangere. Sed hoc consilium est, non præceptum.

Si autem quæratur, quanta mora incercedere debeat, ut post conjugalem copulam quis decentius ad Eucharistiam valeat accedere, incerta proferre possumus. Quidam exigunt spatium 24. horarum, quia tantùm temporis Levit. 15. & Deuteron. 23. præscribebatur pro emundatione polluti. Quidam existimant sufficere, ut copula peracta non sit intra eundem diem naturalem incipientem à media nocte. Verùm arbitror, eam moram requiri, quæ satis sit ad evagationem mentis deponendam; quidam autem faciliùs, quidam difficiliùs se colligunt.

561. Occurro modò argumentis sub num. 557. Primum, quod ab Ozæ exemplo desumptum est, nimis probat; si enim ex mensura pœnæ esset inferenda mensura culpæ, profectò fuisset culpa gravis; quod tamen nemo ex probatis Doctoribus asserit; & est contra eorum communem receptamque sententiam. Negamus igitur, Ozam fuisse tam severè punitum, quia arcam tetigerit post habitam copulam cum sua uxore, sed vera causa fuit, vel quia, cum Sacerdos non esset, arcam temere tetigit, quod solis Sacerdotibus licitum erat, ut ait S. Th. in 4. dist. 19. quæst. 2. quæstiunc. 3. ad 3.; vel quia arcam modica reverentia tanquàm rem profanam sustinere præsumpsit, ut inquit Abulen. 2. Reg. 6. quæst. 10.; vel quia, cum impositum esset præceptum Levitis humeris arcam portare, id contempsit boves subjiciendo, ut priùs observavit S. Ambros. penes S. Vincentium Ferrerium serm. de Eucharist. Ad 2. diversa est ratio de Ministris Altaris, nam Judices arcendos esse ab hujusmodi ministerio statutum est ob maximam muneris dignitatem; sicut etiam ipsis prohibitum est conjugium, at pro maritalis debiti petitione respectu Eucharistiæ sumendæ nullibi prohibitio reperitur. Ad 3. jam dictum est.

* * * * * *

AR-

ARTICULUS VII.

Utrum usus conjugalis illicitus sit tempore uxoris prægnantis, ac menstruatæ.

562. Quantùm ad primum distinguendum est, vel enim fœtus jam anima præditus est, vel informis; & rursùs vel ex copula imminet periculum abortus, & dissipationis seminis nondum coagulati & formati, vel nequaquam.

Certum est apud omnes, si ex usu conjugali immineat periculum abortus fœtus jam animati, absque mortali culpa exerceri non posse; talis enim usus bono prolis adversatur, quod præcipuè in matrimonio spectandum est; & maximum damnum innocenti tribuitur non solùm in vita temporali, sed etiam in æterna, qua perpetuo privaretur: neque incontinentiæ periculum in conjugibus ponderandum est; cum hoc aliis mediis evitari possit, & sit minus malum, quàm aliud, innocentisque vita corporis & animæ sit longè magis præhabenda. Si autem nondum fœtus animatus sit, sed præcisè timeatur illa seminis nondum coagulati dissipatio, mortalem culpam censeo non esse; primò quia timor iste juxta Avicennam, & Valverdum de Anatome humani corporis lib. 3. cap. 14. nullus est & inanis; eo quia post conceptionem matrix tam strictè clauditur, ut nullo coitus irritamento aperiri censendum sit; secundò quia, etiamsi hujusmodi periculum non deesset, adhuc tamen illius informis materiæ dissipatio neque à conjugibus intenditur, neque tanti facienda est, ut conjugalis actus mortali culpæ tribuatur, & priventur conjuges jure se cognoscendi, atque actum alioquin licitum exercendi.

563. Difficultas igitur est, utrum præcisè ex quo fœmina gravida sit, actus conjugalis reddatur illicitus, vel adinstar culpæ lethalis, vel venialis.

Ut moris sui est, Sancti Patres graves sententias ac rigidas proferunt. S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian., & refertur cap. *Origo* 33. quæst. 4., dicit: *Qui dicunt se causa Reipublicæ & generis humani jungi, imitentur saltem pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios*. S. Ambrosius in 1. ad Corinth. cap. 7., & habetur cap. *Si cauta* 33. quæst. 4. ait; *Ratio conceptus & partus juxta legem cessare usum carnis demonstrat*. S. August. de bono conjugali cap. 6. quosdam reprehendit, quia *sunt adeò incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant*. Sanctus etiam Isidorus, ut legitur can. *Non solùm* 31. quæst. 4., graviter se gerit in conjuges, qui prægnationis tempore coeunt, illosque dicit pecudibus deteriores; quo pacto loquuntur etiam Origenes lib. 5. in Gen., & Clem. Alexandrin. lib. 3. strommat.

564. Addi potest etiam ratio; nam talis concubitus videtur esse contra naturam, & finem matrimonii, cum mulier prægnans concipere nequeat; & ideò semen generationis sine frustratur. Hinc, ut notavit Tiraquel. ipsi Ethnici accessum ad uxorem gravidam turpem ac indecentem dicebant, & Clem. Alexandr. lib. 8. recognitionum c. 11. scribit, fuisse legem apud Seres, quos hodie Sinas appellamus, qua vetabantur viri uxoribus post conceptum copulari.

565. Nihilominus dicendum est, lethalem culpam non esse ab uxoribus gravidis debitum exigere; & hæc est sententia communis, quam defendunt Doctores; illamque docuit S. Th. in 4. dist. 31. in expositione litteræ circa finem. Ratio est, quia in jure positivo nulla reperitur prohibitio, & quamvis jure naturali videatur aliqua indecentia propter rationem superiori numero adductam; attamen, quia matrimonium non solùm institutum est ad filiorum procreationem, sed etiam in concupiscentiæ remedium, indecentia illa hoc

hoc fine honestatur. Quod si conjuges toto prægnationis tempore deberent se continere, durissimum jugum esset; & ferme certo peccandi periculo forent expositi. Imò quod dictum est, nullum generationis finem superesse, interdùm contingit verum non esse, cum ex Hippocrate dari possit super fœtatio juxta peculiarem mulieris dispositionem, & Paulus Jurisconsultus l. *Antiqui* ff. *Si pars hæredit. petatur* refert ex Lælio, fuisse ductam ab Alexandria mulierem cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore edidit; quintum verò post quadraginta dies. Alia similia exempla leguntur apud Plinium lib. 7. cap. 11., & Scortiam lib. 1. de Nilo cap. 6.

563. Neque tanti facienda sunt momenta superiùs producta; siquidem illa Patrum testimonia vel procedunt de congressu cum uxore prægnante, quando est periculum abortus fœtus jam viventis; vel dicta sunt modo concionatorio, atque ad insinuandas laudes continentiæ etiam in conjugatis; vel quando congressus iste fit ex solo libidinis excessu & voluptatis capiendæ motivo. Ratio verò numeri 564. jam in probatione nostra rejecta est. Quidquid fuerit de Ethnicis, & de lege Sinarum nostra non interest; satis nobis est, nullam in oppositum esse legem divinam, nullam naturalem, nullam ecclesiasticam.

567. Hic se exhibet locus inquirendi, utrum statim post partum, scilicet, antequàm mulier sit sanguine purificata, actus conjugalis sit illicitus, sicut etiam pro illo tempore, quo proles ab ejus uberibus excipit lac.

Certum est pro primo puncto, non esse expectandum purificationis tempus præscriptum Levit. 12., hoc enim præceptum cum ad illius legis cæremonialia pertineret, prorsùs extinctum est. Insuper certum est, quod si ex tali copula foret periculum mortis, seu gravis infirmitatis, à peccati lethalis reatu excusari non posset. Fit igitur difficultas, utrum ex illa sola corporali immunditia puerperæ actus conjugii illicitus sit.

Culpam esse mortalem, secluso incontinentiæ periculo, affirmant Butrius, & Alexander de Nevo in can. *finalem* dist. 5., qui excerptus est ex Sancto Gregorio dicente respons. 10. ad Augustin. *Nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debeat admisceri*. Azorius, Basilius Pontius, Castrus Palaus, aliique plures existimant, esse tantùm venialem. Ego verò cum Richard., Palacios, Turrecremata, Villalob., aliisque apud Sanchez, neque culpæ veniali per se loquendo id tribuo; quia nulla prohibitio reperitur; & ubi nulla necessitas cogit, non sunt peccata etiam venialia multiplicanda: Quamobrem textus adductus ad consilium pertinet, non ad præceptum; atque erit culpa venialis ad summum, quando id exigatur sine aliqua justa causa, & gratia solius voluptatis; sed in hoc nil mirum, cum nihil novi superaddatur.

568. Quantùm ad secundum aliqui existimarunt, concubitum eo tempore habitum sine peccato lethali esse non posse: ducuntur primò, quia ex Galeno lib. 1. de sanitate tuenda, ex frequenti concubitu lac non solùm decrescit, sed etiam in deterius commutatur, & inde fit, ut non solùm puero sugenti, sed etiam concepto sit exitiosum, ut plurium antiquorum testimoniis probat Tiraquel. lib. 15. connubiali num. 139. Secundò, quia Gregorius in resp. 10. ad Augustin. inquit: *Ad ejus verò concubitum vir accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur*.

Sed etiam concubitum istum illicitum non esse, mihi videtur; nam ex una parte, si ex tali concubitu proles concipiatur, facilè ejus periculum evitari potest, præsertim si parentes divites sint, ex alia experimento videmus, pauperes eo tempore se non continere,

nec

nec alteri prolem lactandam tradere; neque tamen illud notabile damnum exurgere; atque ideo quod in oppositum dicitur incertum est; propter autem rem incertam nón est tam asperum jugum conjugibus imponendum, ut simul in eodem lecto accubantes tanto temporis spatio, quantum requiritur ad puerum ablactandum, debeant à copula abstinere; Consilium igitur est, ne conjuges debitum petant, præceptum nequaquàm; Quod si mulier cognoscat, lac exsiccari, atque proli valdè perniciosum evadere; tunc à reddendi debiti obligatione excusabitur. Hanc sententiam docent Barbosa, Bonacina, Sanch., Hurtad., Coninch., Filliuc. &c.

569. Devenio modò ad secundum punctum in titulo expositum. Qua in re adnotandum est cum S.Th. in 4.dist.32. quæst. unica art.2. quæstiunc. 2. in corp. fluxum fœminei menstrui esse posse prçter naturam, quando scilicet præter consuetudinem ex aliquo morbo progreditur; & in hoc casu conveniunt omnes licitè peti, atque ex justitia reddi debitum conjugale; quia nullum proli, quæ concipi non potest, imminet damnum; & aliter conjuges deberent diù, & fortè perpetuò abstinere, quod tolerari non potest. Dubium igitur est de tempore menstrui naturalis, qui communiter & ordinariè singulis mensibus solet evenire, & durare solet ad summum per quinque dies, ut notat Azorius par. 3. lib.3. cap. 31. quæst. 13.

570. Quinque sententias Sanchez lib. 9. disp. 21. recenset. Prima docet esse peccatum mortale, pro hac citantur Scot. in 4. dist. 32. quæst. unica, Alens., S. Bonavent., Sot., Azorius, aliique. Secunda peccatum esse asserit, sed quale sit, non determinat. Hæc tribuitur S. Th. loco superius laudato, Richard., Carthus. Tertia distinguit, inquiens, quod si vir petat, timens incontinentiæ periculum, minimè reus sit culpæ mortalis, quia potiùs quàm corporali saluti prolis concipiendæ, propriæ spirituali consulere debet; delinquat tamen fœmina, si petat, quia tempore menstrui non ita carnis urgetur illecebris, ut facili negotio resistere nequeat; ita Sylvest. verbo *Debitum* quæst. 6., necnon Bartholom. Ledesma dubio 12. de pœnitent. Quarta docet, tempore menstrui non petere esse tantùm consilium, proinde omni culpa vacare, præsertim si fiat bono fine. Ita Navar. in sum. cap. 16., Castro de lege pœnali lib. 1. cap. ultimo, Vivald. 1. par. de matrim. num. 259. &c. Quinta demum defendit, esse ut plurimum culpam dumtaxat venialem, atque hæc est Paludani, S. Antonini, Armillæ, Soti, Cajet., Reginaldi, Villalob., Rebel. Pontii, Aversæ, Bonacinæ &c.

571. Dico primò, non esse peccatum lethale; quod suadeo ex illo principio pluries adducto, non esse multiplicanda peccata, nisi ex lege aliqua constet prohibitio; nulla autem lex prohibet accessum viri ad mulierem menstruo laborantem; si enim est aliqua lex, præsertim illa, quæ habetur Levitici 20. mortis pœnam indicens conjugibus eo tempore coeuntibus; at ista, quatenus cæremonialis ac judicialis, nullam ampliùs vim retinet obligandi, cum jam finem acceperit, quatenus verò fuit moralis, seu naturalis, adhuc perseverat, sed non obligat, nisi ad summum sub veniali, ubi sine justa causa fiat hujusmodi conjugalis congressus: Et si dicas, esse legem ecclesiasticam prohibentem, quæ habetur cap. *finali* dist. 5. desumpto ex S. Gregorio dicente in resp. 10. ad Augustinum: *Et cum in consuetis menstruis detinentur, viris suis uxores miscere prohibeantur &c.* reponam, in hoc textu referri tantùm antiquæ legis prohibitionem, nec aliquid adjungi de novo, vel cum Gloss. verbum illud prohibere usurpandum esse pro dissuadere, & cum eadem cap. *Si causa* verbo *Conceptus* 33. q. 4. esse consilium, non præceptum; ergo.

572. Non me latet, plures Patres ta-

tales protulisse sententias, ur videantur talem concubitum ad lethalem culpam revocare voluisse: *Præcipitur ergo viris*, inquit S. Hieronym. in illud caput Levitici, *ut in suis quoque uxoribus certa concubitus norint tempora: Caveat ergo & uxor, ne fortè victa desiderio coeundi, illiceat virum, & maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugis voluntatem*. S. Auguust. lib. 3. in Levitic. cap. 64. sic concludit: *Quæ in re non natura damnatur, sed concipiendæ prolis noxium prohibetur*. Denique S. Clemens in epist. ad Julium & Julianum hæc habet: *Observet unusquisque, ne menstruatæ mulieri misceatur, hoc enim & execrabile dicit lex Domini*.

Optimè tamen explicantur hi Patres dicendo eos loquutos fuisse in sensu, quo superiùs diximus de illa lege Levitici, vel debitum usurpasse pro obligatione honestatis, & congruentiæ, quæ sepè solet pro jure divino usurpiari; nec alia de causa ita reprehendisse judico copulam cum menstruata, nisi quia ordinariè fit absque justa causa, sed solùm propter nimiam incontinentiam.

573. Alio igitur ex capite desumendum est argumentum, si mortalem culpam non deesse probare contendant. Præstò est. Siquidem principalis finis, quem matrimonii spectat institutio, prolis est bonum; quicumque igitur matrimonii usus, qui proli noxius est, illicitus est censendus; talem autem esse tempore menstrui satis apparet, cum si mulier concipiat, proles infirma, & monstruosa nascatur. Et si fornicatio ab intrinseco mala est, quia proles ex ea nata rectè educari non potest, a fortiori erit coitus cum uxore menstruata, cum esse prolis majus sit, quam bona educatio.

Sed neque hoc quidpiam probat; etenim in primis hoc damnum prolis rarissimum est atque incertissimum; cum menstruatæ mulieres rarò, vel nunquàm aptæ sint ad conceptionem, ut probat Arist. lib. 1. de generat. animal. cap. 19., & quamvis etiam sequeretur hujusmodi damnum; attamen non tanti faciendum est, ut peccati lethalis reum faciat, qui sine intentione illum inferendi infert: imò, ut probat Sanchez, proli per illum coitum beneficium confertur; quia si coitus ille non haberetur, aut posteà non generaretur, aut non esset eadem; meliùs autem est esse cum tali morbo, quàm nullo modo esse, aut non idem esse; atque hoc magis dicendum est, si foret in conjugibus periculum incontinentiæ; siquidem bonum proprium spirituale præferendum est malo alterius temporali. Et si dicas contra primum, quod si proles menstrui tempore non concipitur, jam semen suo fine frustratur; ideoque ita culpabiliter effunditur, sicut effunderetur extra vas: hoc nequaquam est verùm, quia id contingit per accidens, & si valeret, copula inter senes, ac steriles esset illicita; quod non asseris.

574. Erit igitur ad summum peccatum veniale, quod non ex eo evinco, quia fit in damnum prolis, cum ex dictis, hoc rarissimè contingat; sed ex turpitudine, quæ in tali actu apparet, & ex quo videatur quædam incontinentia, nec non debiti ordinis perversio, non expectare tempus generationi aptius, præsertim cum brevi adfuturum sit; ad summum inquam, nam si foret aliqua causa isti turpitudini præponderans, & actum honestans, putà ad vitandam in se vel in alio fornicationem; vel ne conjux suo consortio alteri fieret odiosa; tunc omni culpa etiam veniali carebit.

AR-

ARTICULUS VIII.

Utrum tempore dementiæ, & furoris alterius vel utriusque conjugis licitus sit actus conjugalis, & quid dicendum sit de tempore, quo unus sit excommunicatus.

575. Difficultas est, si amentia ex integro sit, nec ulla intermissio concedatur; existimo enim tamquam certum, quod si detur talis mentis destitutio, ut alter, vel uterque conjux sit dumtaxat velut fatuus ac puer, tenetur alter alteri reddere debitum; quia reverà usu rationis ac libertate gaudet, qualis sufficit ad merendum vel demerendum simpliciter. Idem dicendum, si in una vel altera re dementia contingat, circa tamen matrimonium sui compotes sint; vel si dentur lucida intervalla, cum liberè ac modo humano petatur debitum, ac reddatur; si tamen hæc non essent adeo rara, ut prudenter timere quis posset aut defectum educationis in prole, aut periculum abortus. Quod de amentia asseritur, asserendum etiam de eo, qui furoris impetu rapiatur.

576. Dico 1. Si uterque conjux dementià teneatur, separandi sunt; & qui eos ad copulam provocaret, culpæ gravis reatum contraheret.

Hoc evincitur ex eo, quod licet istorum conjugum concubitus non esset illicitus ex natura rei, siquidem ex eo haberi posset finis primarius matrimonii, nempe prolis generatio; attamen grave damnum ipsi proli immineret, non solùm, quando proles jam foret exorta, quia careret parentibus, qui eam instruere possent, ac educare; sed etiam postquam esset concepta, quia facillimè ad nascendi perfectionem perduci non posset. Hinc si propter simile prolis detrimentum illicitus est concubitus vagus; illicitus etiam erit ille, de quo sermo noster. Non esset quidem culpabilis in iis, qui conjungerentur, quia defectu cognitionis, & libertatis cujuscunque peccati forent expertes; culpæ tamen iis vertendus esset, qui hujusmodi copulam procurarent: & quemadmodum illi, quibus amentium cura demandata est, tenentur satagere, ut ab aliis malis inferendis abstineant; ita tenentur ne coeant.

577. Dico 2. Si tantùm alter conjux demens sit, licitus erit concubitus; neque enim proli sequitur detrimentum illud, de quo supra, cum ab alio rationis compote possit educari; & ideò si non immineat periculum abortus, aut notabilis damni conjugis sani, nihil, quod culpabile sit, reperitur. Hoc tamen assero, si maritus dementia laboret; nam contrarium sentio si uxor, quia tunc manifestè foret periculum abortus.

578. Quamvis verò concubitum istum licitum pronuntiaverim; attamen existimo, conjugem rationis compotem non teneri per se, atque ex rei natura ad reddendum debitum dementi, vel furioso, quamvis nullum periculum immineret; siquidem ad debitum ex justitia reddendum requiritur, petitionem fieri modo humano; atqui perpetuò demens, vel furiosus modo humano non peteret, ergo. Neque obstat, illud matrimonium adhuc verum esse, proinde remanere in amente dominium in corpus uxoris; etenim licet maneat dominium radicale, & in actu primo; attamen non est expeditum ad actum secundum; ut manifestum est in cæteris rebus, quarum administrationis propter dementiam ac furorem privatio contingit. Dixi per se atque ex natura rei; etenim si foret periculum accessus dementis aut furiosi ad aliam, vel effusionis seminis, conjux mentis compos reddere deberet.

579. Nunc breviter id resolvo, quod spectat ad tempus excommunicationis. Atque certum est, quod si conjux non excommunicatus debitum petat

tat ab excommunicato, hic ad reddendum tenetur; ficuti fi creditor non excommunicatus peteret debitum pecuniarium ab excommunicato, hic ad folvendum teneretur, ex quo jam habes licitam effe utriufque communicationem ut colligitur ex cap. *Quoniam multos* caufa 11. quæft. 3. ubi Gregor. VII. fic ait: *Quoniam multos pro caufa excommunicationis perire quotidiè cernimus, partim ignorantia, partim fimplicitate, partim timore, partim etiam ex neceffitate, devicti mifericordia ab anathematis vinculo hos fubtrahimus, videlicet uxores*. Ratio autem effe poteft, quia non debet conjux innocens ex alterius excommunicatione eo privari, quod fibi ex jure divino, ac natura matrimonii debitum eft; aliter fine fua culpa damnum pateretur, contra ea quæ decernuntur cap. 2. de conftitut., & cap. 2. *de his, quæ fiunt a majore parte capituli*.

580. Imò hoc non tantùm valet, fi alter folummodò excommunicatus fit; verùm etiamfi uterque, cum excommunicatio non plùs operetur in fingulis, quia infit utrifque, quàm in altero tantùm; nec excommunicationis effectus crefcat in merito, quia una excommunicata fit, vel è contrario; & proinde in utroque remanet eadem poteftas petendi, atque eadem obligatio reddendi.

581. Utrum verò ita concludendum fit, fi uxor contraxiffet matrimonium cum viro excommunicato non tolerato, v. g. notorio clerici percuffore, non eft eadem doctorum fententia. Negat. S. Th. in 4. dift. 18. q. 1. art. 4. in corp. explicans laudatum caput, *Quoniam multos*, & cum eo Suarez de cenfuris difp. 15. fect. 4. num. 7. Filliuc., tom. 1. p. 1. tract. 10. cap. 9. num. 102. Faber, Diana, &c. Ratio eft, quia non excommunicatus contrahens cum excommunicato lethaliter peccat; non poteft igitur in actu conjugali cum eo communicare, aliter ex peccato fuo commodum atque jus reportaret; & quemadmodum delinquens in Ecclefia immunitate ecclefiaftica non gaudet, cap. ultimo de *immunitate Ecclef.* ita delinquens in matrimonio, matrimonii jure carebit. Validum utique matrimonium erit, inducens naturale vinculum, & mutuum jus in corpora, nec non obligationem communicandi in actu conjugali petendo ac reddendo; quæ omnia ex dicto cap. *Quoniam multos*, & cap. *inter alia* voluit Ecclefia integra permanere; attamen hujufmodi Ecclefiæ conceffio fupponit jus utriufque partis non impeditum, & jam acquifitum; quod non contingit, quando eft ac innotefcit præcedens excommunicatio.

582. Affirmant verò plerique alii, Hugolin., Alter., Bonacina, Villalo:, Turrianus, Boffius, propter rationem fuperiùs expofitam, nimirùm propter valorem matrimonii, ex quo oritur jus naturale, & mutuum jus atque obligatio; & ficuti filius, quamvis nafcatur eo tempore, quo Pater eft excommunicatione innodatus, eft fub ejus poteftate; & tenetur cum Patre communicare; ita &c. Neque verò, quia matrimonium contractum eft cum peccato, fequitur, ufum interdictum effe, cum hoc in nullo jure inveniatur, ficut reperitur vel de peccante in Ecclefia, ne gaudeat immunitate, vel de fufcipiente eodem die plures ordines, ne illos poffit exercere, cap. penult. *de tempor. ordinationibus*, & cum Greg. VII. dicto cap. *Quoniam multos* permittat uxoribus communicationem cum viris excommunicatis nulla diftinctione facta de excommunicatis ante vel poft, fed generatim; ideo generatim de omnibus ita eft dicendum, favores enim ampliandi funt, non reftringendi; Quod vero dicatur jus in in noftro cafu effe impeditum, nec acquifitum, probandum fupereft; nec probabitur, nifi afferendo aliquod jus in oppofitum; quod non afferetur.

583. Hifce tamen non obftantibus exci-

excipiendi sunt aliqui casus, in quibus non licet uxori participatio cum viro excommunicato, vel è contrario. Primus est, si jam conjuges essent divortio separati; tunc enim sunt ad invicem ab obsequiis liberati neque pars innoxia habet reddendi debitum obligationem. Si tamen vellent reconciliari, valeret quod supra; excommunicatio autem reconciliationem non impedit. Secundus est, si coniux non excommunicatus particeps esse vellet illius criminis, cujus intuitu excommunicatio lata est; ut habetur expresse cap. *Inter alia*. Tertius est si excommunicatio lata esset in causa matrimonii, vel propter matrimonium illicitè contractum, vel propter dubium de illius valore; quia in primo casu esset fornicatio; in secundo fornicationis periculum.

ARTICULUS IX.

Utrum peccante conjuge debitum exigente, peccet alter illud reddens.

584. Bifariàm contingere potest, conjugem peccare debitum exigendo; vel ex parte actus propter circumstantias illicitas, de quibus in antecedentibus actum est; vel ex parte ipsius personæ petentis; vel quia petat ex malo fine; vel quia teneatur voto castitatis, aut aliquo impedimento. Certum est, si debitum exigatur illicitè ob circumstantiam se tenentem ex parte actus, peccaret etiam alter, qui illud redderet; quia tunc actus ille fieret malus & illicitus intrinsecè & ex parte objecti; & consequenter à neutro conjuge exerceri licitè posset. Fit igitur quæstio de conjuge peccante lethaliter, exigendo debitum in posteriori sensu. Ut autem res clariùs ac distinctiùs resolvatur, nonnulla postulata subjiciam.

585. Primum sit. An peccet, qui debitum reddit conjugi peccanti in petendo, sed qui petendi jus non amisit. Respondeo negativè cum Majore in 4. dist. 31. quæst. unica, Adriano de matrim. dubit. 14., Paludano, Soto, S. Antonino, Navar., Rebel, Covar. qui 4. Decret. par. 2. cap. 3. duo affert exempla, in quibus vir petens peccat, nec tamen peccat uxor reddens. Primum est, si vir fornicario animo petat; Secundum, si vir existimet matrimonium ob aliquod impedimentum dirimens nullum esse, è contrario uxor certo sciat validum esse; nec dubitari potest, hanc fuisse sententiam S. Thom, qui pluribus in locis asserit, petere sine culpa non esse, esse tamen reddere.

Ratio hujusce assertionis ad hoc revocari debet, quod qui petit jure petendi non amisso, ita reddentem respicit, ut iste reddendo actum justitiæ exerceat, ex alia parte actus [r]eddentis ex alterius peccato vitiosus fieri non potest; si enim talis fieret, præsertim quia videretur alieno cooperari peccato, quod tamen falsum est; primo quia etiamsi non redderet, adhuc qui petiit, peccasset, quia habuit animum, quo id fieri voluit; Secundo quia, nec directè, nec indirectè dici potest cooperari; non primum, quia non incitat, nec alium, ut petat, hortatur; non secundum, quia nec potest, nec tenetur vitare exigentis peccatum; non potest inquam, nam quando res propria à domino petitur, lex justitiæ præscribit esse reddendam; non tenetur, quia circumstantia & malitia petentis non inficit actum, qui est reddentis; proinde &c.

586. Totum hoc confirmari potest exemplis. Habeat quis pecuniam apud alium depositam; hanc petat, ut ad inhonestos fines ea utatur, nonne depositarius licitè eam restituet; imò ad restituendum tenebitur? Sit secretus usurarius, raptor, adulter, qui publicè à proprio Parocho communionem exposcat, nonne licitè administrabit Parochus? Eadem profectò in re nostra ratio est; quia ideò primus restituere

seu

ſeu reddere debebit; ſecundus verò adminiſtrare, quia utrumque ex ſe opus licitum eſt; nec per pravum unius finem, vel pravam alterius vitam coinquinatur; ſed etiam debitum reddere opus ex ſe licitum eſt, nec &c. igitur &c.

587. Fateri tamen debemus, quod, ſicuti qui ad malum finem depoſita pecunia uti vellet, deberet ex motivo charitatis, ac correctionis fraternæ admoneri, ſi commodè fieri poſſet, ne tali pecunia inhoneſtè abuteretur; ſicut & qui publicè communionem poſtulat indignè, ut priùs reſipiſcat; ita ſi conjux innocens ab altero petente cum peccato ad reddendum expoſcatur, fraternè illum admoneat ut à petitione deſiſtat, ſi tamen id poſſit abſque ſuo damno, & odio, indignatione, & multò magis periculo incontinentiæ illius, qui petit; atque ideo loquendo moraliter, vix exiſtimo ad id faciendum teneri; præſertim cùm poſſet admonitus ſuſpicari, ne non virtutis zelo, ſed alieno amore capta id faceret uxor.

588. Sunt nihilominùs plura argumenta, quibus ſententia contraria, quam tradunt Ugolin. tract. de matrim. cap 10., Antonius Creus lib. 5. inſtit. major. tit. 22. aliique, probari, cofirmarique videtur. Atque in primis fundamentum à nobis expoſitum penitùs corruit;quia ſicuti viro petenti gladium ſuum, quo ſe interimat, negandus eſt, aliter præbens illius homicidii reus fieret: ita viro petenti debitum conjugale, quo peccando animam ſuam interimat, negandum eſt; aliter reddens eidem ſpirituali damno cooperabitur. Præterea: Quando duo ita ſe habent, ut unum ab altero nequeat ſeparari; uni conſenſus præſtari nequit, quin alteri præbeatur: cum igitur in conjugali copula actus utriuſque conjugis inſeparabiles ſint, qui reddendo conſentit, petitioni conſentit; proinde etiam petentis peccato. Rurſus: Quemadmodùm ſi vir peteret in loco ſacro, vel in loco publico, contemnenda foret petitio, & peccaret uxor, quamvis ſua, ſi redderet: ita ſi vir petat aliis ſe virtutibus opponendo, ver. gr. caſtitati, quam vovit, ejus petitio reſpuenda eſt; aliter peccabit uxor. Iterùm: Si vir peteret cum notabili ſui corporis damno, illicitum eſſet reddere; ergo à fortiori ſi peteret cum notabili damno animæ ſuæ; bono enim corporis excellentius eſt animæ bonum. Tandem cap. *Negligere* 2. quæſt. 7. & cap. *Animæ* 22. quæſt. 5. peccantis deſiderio annuendum non eſt, ſed fortiter reſiſtendum.

589. Ut firmum maneat quod aſſeruimus, hæc diluamus oportet; Primum nihil omninò probat; etenim, ut optimè advertit Sotus lib. 4. de juſtit. quæſt. 2. art. 1. ad 1. homo non habet dominium naturale corporis ſui vel alieni, nec eſt in ſui poteſtate ſe, vel alium interimere; atque ideò non habet jus utendi re ſua ad detrimentum ſuo vel alieno corpori inferendum; è contrà homo, quam Deus reliquit in manu conſilii ſui, habet morale dominium animæ ſuæ, atque in ſua poteſtate eſt ſibi damnum ſpirituale inferre, atque idcircò, ſi aliter ab eo averti non poteſt, res ſuæ illi ſunt concedendæ, quamvis ſpirituale detrimentum inde ſequatur; ſicut jam demonſtravi n. 586. Addo: in priori caſu eſſe utrumque damnum tàm ſpirituale, quàm corporale, & reddere gladium, quo quis interficeret ſe vel alium, eſſet malum intrinſecè, & obiectivè, in quo ſenſu etiam reddere debitum illicitum eſſet, ut prænotavi num. 584. Quo pacto autem reddens petentis peccato non cooperetur, dictum eſt in aſſertionis noſtræ probatione. Ad 2. propoſitio eſt vera, ſi illa duo ſint inſeparabilia tum ſecundum rem, tum ſecundum voluntatem; è contrà ſi poſteriori modo ſeparari poſſunt, ut manifeſtum eſt in Chriſti crucifixione, quæ ut activa fuit, diſplicuit Deo, ut paſſiva, ſummopere placuit. Ad 3. diſpar eſt ratio, quia

in

in illis exemplis circumſtantia vitians ſe tenet ex parte ipſius actus; in noſtro autem caſu ſe tenet dumtaxat ex parte ipſius petentis. Quartum nimis probat, quia ſi foret notabile damnum corporis, neque poſſet petere; ſed diſpar eſt ratio, quia corporis detrimentum neceſſario ſequitur, detrimentum animæ liberè. Ad ultimum, id eſt verum, quando res, quæ exigitur, commodè negari poteſt, & quis ad negandum tenetur, quod non contingit in caſu.

590. Secundum poſtulatum ſit. An quando conjux amiſit jus petendi propter affinitatem, aut cognationem ſpiritualem, aut adulterium commiſſum, alter reddere non teneatur, & reddendo peccet.

Dico, alterum non teneri ad reddendum. Ratio facillima ac breviſſima eſt; quia l. *ſi pupillus* 127. ff. *de verb. oblig.* ubi nulla eſt petitio, nulla eſt mora; ſed ubi nullum eſt jus, nulla eſt petitio; ergo. Adde caput *Diſcretionem*, & cap. *Tuæ de eo qui cognov. conſang.* ubi ſtatuitur, inceſtuoſum teneri ad reddendum conjugi innocenti, ne ejus delictum iſti ſit obnoxium, & alterius culpa ſuo jure privetur; quo dicendi modo planè ſupponitur, illius crimen tali pacto illum afficere, ut exigere non poſſit; ac proindè ipſi reddendum non eſſe: atque hoc dicendum eſt, etiamſi uxor adultera foret; dummodò nulla affinitas fuiſſet in adulterio contracta. Hæc eſt doctrina Scoti in 4. diſ. 32. quæſt. unica verbo *Præſcindendo*, Palud., Almaini, Sancti Antonini &c.

591. Non me præterit, quòd Gregor. Lopez lib. 13. fin. tit. 2. p. 4., ac Ledeſma 2. p. 4. q. 60. art. 4. inquiunt, nempè viro hujuſcemodi teneri reddere uxorem, quia Chriſtus Mat. 5., ob ſolam fornicationem conceſſit Chriſtus uxoris dimiſſionem; & quia nulla reperitur exceptio, qua ab obligatione reddendi uxor liberetur. Verùm primum non dixiſſent, ſi obſervaſſent, id à Chriſto dictum intelligendum eſſe de dimiſſione quo ad thorum, & cohabitationem; quæ certè in noſtro caſu contractæ affinitatis locum non habet: neque ſecundum protuliſſent, ſi quod retulimus ex cap. *Diſcretionem* præ oculis habuiſſent.

592. Sunt verò aliqui, inter quos Hoſtiens: & Ancharan., exiſtimantes quod ſi conjux innocens petierit ab alio inceſtuoſo, hic iterum jus petendi acquirat; quia ſupponitur reconciliatio jam facta, proindè debitum negare licitum ampliùs non erit. Ducuntur ad hoc dicendum ex cap. *ſi vir. de adult.*, *& cap. Propoſuit de conjugio ſerv.* nec non ex cap. *cum Vintonienſis*, *de electione*, ubi ſtatuitur, privatum jure ſuffragii, ſi ſemel ab aliis electoribus admittatur ad ſuffragium ferendum, non poſſe poſteà repelli; ex quo inferunt à pari, quod ſi conjux admiſit inceſtuoſam ad copulam, eum ampliùs à copula removere non poſſit.

593. Exiſtimo tamen aſſerendum eſſe contrarium cum Palud. in 4. diſ. 12. q. 1. art. 2., Covar., Sylves; Villabo, Panormita: Butrio, in cap. *Tranſmiſſæ*, & ratio eſt, quia privatio petendi debitum non eſt in favorem alterius conjugis innocentis, ſed eſt inflicta inceſtuoſo in pœnam inceſtus, & affinitatis contractæ; atque ideo conjux innocens pœnam hanc remittere non poteſt, ſicut poteſt illam inflictam pro adulterio, pro qua dari poteſt compenſatio, & quæ in favorem innocentis inflicta eſt; atque de hac adulterii pœna ſermo eſt in duobus prioribus capitibus, *Si Vir*, *& Propoſuit*. Alterum verò caput, *cum Vintonienſis* non obſtat; ſiquidem, ut obſervat Butrius in cap. fin. de eo qui cognovit, privatus jure eligendi admittitur, ut eligat jure proprio, quia eligendi jure non eſt perpetuò privatus; inceſtuoſus autem admittitur ad copulam ob jus, quod in eum habet conjux innocens, & eſt petendi jure ſemper privatus. Ut igitur hujuſmodi

modi jus iterum acquirat, dispensationem debet impetrare, qua obtenta in pristinum restituetur; atque pro tali dispensatione obtinenda necessarius non est conjugis innocentis consensus; quia, ut dictum fuit, illius juris privatio non est in favorem innocentis, sed in pœnam delinquentis.

594. Tertium postulatum sit. Utrum conjux reddendo debitum, quando reddere non tenetur ob amissum alterius jus, lethaliter peccet. Urgentissima sunt momenta, quibus pars affirmativa probari videtur. Primò, quia alter petendo peccat, ex alia parte qui reddit; excusari non potest, quia justitiæ actum reddendo exerceat, quia in petente nullum est jus; igitur alterius peccato cooperatur, ut docet S. Th. in 4. dis. 32. q. unica art. 5. quæstiunc: 3. ad 1., necnon S. Bonavent., ibidem art. 3. q. 1. Secundo quia conjux innocens dubius de valore matrimonii peccat reddens adultero non dubitanti, non alia ratione, nisi quia qui de valore non dubitat, amisit propter adulterii crimen jus petendi. Ideò in hanc sententiam deveniunt Adrian., Covar., Astens., Rebell., Ledes, aliique plures.

595. Contrarium nihilominùs tanquam valdè probabile, defendunt Sanchez, Coninch., Filliuc., Bonacina, Layman, aliique. Ratio horum est, quia licet in hisce casibus conjux innocens ad reddendum non teneatur; attamen cum crimina afficiant tantùm eum, qui illa patravit, perturbare non possunt innocentem à jure, quod habet petendi, reddendique; quod quidem probat textus in cap. *Tuæ de eo, qui consanguin. agno*: ubi statuitur incestuosum cùm consanguinea conjugis petere non posse, reddere tamen debere; & affertur ratio, *quia affinitas post matrimonium contracta ei conjugi officere non debet, qui iniquitatis particeps non fuit, nec suo jure absque sua culpa privari*. Porrò multum officeret, si reddendo peccaret; cum privaretur plena possessione, qua secluso vel voto, vel delicto alterius, priùs gaudebat, & non nisi petendo absque culpa uti posset matrimonio; imo non modicis scrupulis locus daretur, cum in ipsa petitione dubitare posset, utrum esset petitio, vel potiùs redditio propter alterius conjugis voluntatem nutibus explicatam, & intellectam. Neque verum est, ita reddentem alterius peccato cooperari, ut dictum fuit alibi atque ideo negatur quod in priori ratione superiùs adductum fuit; præsertim quia hujusmodi redditio dici non potest omninò spontanea, sed quodammodò coacta; tùm ne se privet jure suo, & ne cogatur semper petere, quod honestæ conjugis verecundiæ adversatur; tum ut evitet plura damna, & incommoda, quæ ex negatione possent oriri. Ad secundum dispar est ratio, siquidem conjux innocens dubius de valore matrimonii, quantum in se est, arcetur omninò ab usu matrimonii, ne se fornicationis periculo exponat, & solùm ratione possessionis, & juris justitiæ alterius permittitur ei reddere, & ideò amisso jure per adulterium reddendo peccaret; at in nostro casu est in plenaria possessione, nec aliquo impedimento tenetur, quin vel petere, vel reddere possit.

596. Postulatum quartum sit: Utrum conjux, qui debitum petere non potest, debet tamen reddere; aliquando possit licitè petere. Negant Coninch. disp. 44. num. 47., & Palaus, cum nullum affirmandi videant fundamentum; atque eorum rationes inferiùs expendam. Affirmant autem S. Th. in 4. dis. 38. q. 1. art. 7. quæstiunc. 2. ad 4., Sot., Sylvest., Navar., Sanch., dicentes conjugem impeditum aliquandò posse petere, atque alteri se offerre, non in gratiam sui, seu ad suo appetitui satisfaciendum; sed in gratiam alterius, ne hic semper ad petendum cogatur, & evadat onerosum præcipuè uxori, quæ verecunda esse solet:

ſolet : cui fundamento etiam aliud addimus ; nempè, ne ſi nunquam peteret, cauſam malè de ſe ſuſpicandi præberet; quodve totum magis valet, ſi nunquam petendo, alterius incontinentiæ locum periculumque præſtaret.

597. Porrò momenta Coninchii ſunt ſequentia: Primò, quia qui prohibetur petere propter votum caſtitatis emiſſum, debet caſtitatem ſervare, ſi nullum ſit uxoris præjudicium; ſed, ſi nunquam petat, nullum eſt uxoris præjudicium, cum ex vi contractus matrimonii nemo obligetur ad petendum, ſed tantùm ad reddendum; ergo tenetur ad non petedum, ut quantum ex ſe eſt, ſervet caſtitatem: Quod ſi hoc onerofum eſt uxori, imputet ſibi, non viro, qui non tenetur ad ea omnia amovenda, quæ gravia ſunt uxori; alioquin nunquàm poſſet ab uxore diſcedere, aut ab ipſa petere debitum, ſi ab aliquam corporis indiſpoſitionem eſſet ipſi aliquantulum grave.

2. Unuſquiſque magis debet vitare periculum propriæ incontinentiæ, quam alienæ, ſed qui voto caſtitatis obſtrictus eſt, non poteſt petere ad evitandam incontinentiam propriam; ergo neque ad evitandam alienam.

598. Fatemur propoſitionem veram eſſe; aſſumptio autem tantùm vera eſt, ſi loquamur de præjudicio, quod fieret contra juſtitiam; falſa tamen, ſi de præjudicio, quod oriretur ex vi gravaminis, quod alteri conjugi innocenti imponeretur, ſi ſemper, ut licitè matrimonii uſum haberet, deberet petere ut diximus; in quo caſu votum caſtitatis emiſſum nequaquàm obligaret; neque negamus, abſolutè loquendo, non teneri ad petendum, ſed tantùm dicimus poſſe petere, non in gratiam ſui, ſed alterius, cui matrimonium evaderet onus diaboli, non Chriſti, quod leve eſt ac ſuave: Et obſerva, quod in noſtro caſu potiùs eſſet debiti redditio, quam petitio. Neque abſurda hæc ſequuntur in adductis exemplis, & ſimilibus; nam ſi vir ab uxore diſcedat, ut ſuis negotiis operam navet; vel ſi ob aliquam indiſpoſitionem non petat, hæc incommoda ſunt tantùm ad tempus, & ad libitum poſſunt removeri; quod in re noſtra non contingit.

Ad 2. propoſitio concedi debet, ſi quis juri ſuo jam non ceſſit; qui autem voto caſtitatis ſe obſtrinxit, jam ceſſit juri ſuo, & ideò ad evitandam incontinentiam propriam petere non poteſt; poteſt tamen ad evitandam incontinentiam alienam, quia alter in jure ſuo retinendo perſeverat; ex quo collige quod ſi alter caſtitatem ex conſenſu alterius voviſſet; tunc neque hic petere poſſet; quia & iſte ſpontè jure ſuo ſe abdicaſſet. Verùm de hac re ſatis. Omnibus iſtis incommodis, qui impediti ſunt occurrant petendo diſpenſationem. Quænam autem ſit poteſtas conjugum in ſe ipſos quoad votorum irritationem ultimo loco proferam.

ARTICULUS X.

Utrum conjuges debeant ſimul habitare.

599. Cum, ut dictum eſt, teneantur conjuges ſibi mutuo reddere debitum, planè ſequitur, debere etiam ſimul habitare; cum illud ex iſto proficiſcatur. Videndum tamen eſt quo pacto, & quo jure hujuſmodi cohabitatio habenda ſit, atque hic nonnulla alia reſolventur.

Et primò hæc cohabitandi obligatio colligitur ex ipſa naturali inclinatione ac propenſione; natura enim ita condidit virum ac mulierem, ut mutua eſſet utriuſque indigentia. Sunt plura forenſia & externa, quæ tantù n à viris peragi poſſunt; ſunt plura domeſtica, quibus tantùm mulieres poſſunt vacare. Viri prudentia conſilii fœminilis adjuvat infirmitatem, fœminæ ſedulitas ac obſequium viri laboribus ſubvenit; Ipſa etiam prolis, ad quam natura tendit, propagatio atque educatio abſque coha-

bitatione haberi non posset; cum pluribus indigeant filii, quæ à solo patre præstari possunt, & pluribus, quæ à sola matre. Totum hoc juxta S. Th. expositionem lec. 10. in cap. 5. Epist. ad Ephes. explicavit Adam illis verbis Gen. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Novit hoc Aristoteles, qui 8. Ethic. cap. 12. hæc scripsit: *Viro & uxori secundùm naturam amicitia videtur inesse; homines enim conjugium subeunt, non solùm procreationis; sed eorum etiam gratia, quæ ad ipsam conferunt vitam; officia namque continuò sunt diversa, atque alia viri, alia sunt uxoris; opem itaque sibi mutuò ferunt.*

600. Colligitur secundò jure naturali ac divino; cum matrimonii finis præcipuus sit filiorum procreatio, quæ sine obligatione debitum reddendi, proindè cohabitandi difficulter haberi posset, aut haberetur potiùs fornicario modo. Hinc Gen. 2. dictum fuit: *Erunt duo in carne una*, & Christus Matth. 5. inquiit: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Ex quo habes, non tantùm teneri conjuges in eadem domo vivere; sed etiam in eadem mensa accumbere, & jacere in eodem thoro, cum hoc ad perfectam ipsorum unionem, & amicitiam non mediocriter conferat.

601. Hæc tamen non ita accipienda sunt, ut ex mutuo consensu quo ad thorum separari non possint: Docuit hoc Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 7. dicens. *Nolite fraudare ad invicem, nisi ex consensu ad tempus*, & cap. *Sunt qui*, 27. q. 2. afferuntur illa verba Gregorii Magni dicentis: *Si verò utrique conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare?* Observandum est autem, mutuum istum consensum ex justa ac legitima causa ortum ducere debere; nempè si absit utriusque vel unius incontinentiæ periculum, & ne odio ac indignatione permoti separari consentiant.

602. Deficiente igitur hujusmodi mutuo consensu poterit quidem vir ad modicum tempus à muliere discedere, non tamen ad diuturnum; unde Alexander III. cap. 1. de conjugio lepros. ait: *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero diutiùs esse*; nisi fuerit justa ac necessaria causa; putà vel quia à Principe mitteretur ad bellum, vel ad rem familiarem servandam migraret; in utroque enim casu, & in similibus uxor esset irrationabiliter invita, quia ut ipsi morem gerat, nec debet vir inobedientem se suo Principi ostendere; neque rerum familiarium jacturam pati; præsertim, quia in ipso matrimoniali contractu includitur mutua operarum communio in iis, quæ spectant ad œconomiam ac rei familiaris gubernationem. Sed quid dicendum, si tunc uxor vellet virum comitari? tenebitur ne vir eam secum ducere? Distinguendum arbitror cum Sanchez: Vel enim vir ad varia negotia peragenda in plura loca proficisci debet, & tunc nimis molestum esset fœminam secum ducere, proindè non tenebitur; vel diu in aliquo loco commoraturus est, & tunc si suppetant opes ad necessarias expensas, jus habet uxor, quo velit virum suum sequi; in quo sensu intelligitur cap. *Quod super de voto* ubi statuitur, viro eunte in Terræ Sanctæ subsidium, uxorem remanere; ex qua exceptione videtur evinci, quod peragrantem ad alia loca, mulier possit, si velit, illum sequi.

603. Si tamen potest vir pro aliquo brevi tempore absque uxoris facultate abesse; non ita uxor absque vel expressa, vel tacita viri licentia. Ratio disparitatis desumitur, quia licet in matrimonii juribus pares sint ambo; attamen vir est caput uxoris, superiorisque vices gerit; neque aliqua justa causa in uxore reperiri potest; quippe quæ nec militiæ esse potest addicta, neque aliis negotiis idonea existimatur.

604. Hic verò inquiri potest, an saltem

saltem devotionis causâ possit maritus longam peregrinationem absque uxoris consensu suscipere, etiam ex voto. Et censeo negativè respondendum; non enim Deo placere possunt, quæ in alienum damnum emergunt; hujusmodi autem esset hæc devotio, sive votum, quia esset contra debitum, & cohabitationem conjugalem; ergo. Excipe tamen votum emissum in subsidium Terræ Sanctæ, quia pro hac re habemus cap. *Ex multis* §. *In tanta* de voto; justum quippe est, ut pro eo tempore contineat se in favorem boni publici, ac totius religionis christianæ; debet autem hoc fieri in subsidium, quia si fieret tantùm devotionis causâ, privilegium hoc non subsisteret; esset enim in detrimentum uxoris, nec inde aliquod bonum publicum derivaret. Utrum verò idem dici debeat etiam de uxore viro contradicente; multi affirmant, dummodò uxor non sit junior neque de incontinentia suspecta, & sit adeo dives, ut possit opem tribuere; Alii tamen cum S. Th. in 4. dis. 32. q. unica art. 3. ad 1. negant; quia debet à viro, tanquam suo capite regi, neque opere suo personali aliquod potest adjumentum afferre.

605. Hæc dicta sunt loquendo absolutè, & si nullæ circumstantiæ adveniant; quibus accedentibus certum est, unum conjugem ad cohabitandum cum alio non teneri. Prima circumstantia est, si unus laboraret lepra, aut alio morbo, quem contagiosum appellamus, ex quo immineat periculum notabilis infectionis in eo, qui gaudet sanitate; si enim in hoc casu non tenetur ad debitum conjugale reddendum, ut docent S. Th. in addit. ad 3. p. q. 64. art. 1. & in 4. dist. 32. q. unica art. 1., Ricchar. q. 1. art. 1., Paludan., Duran., aliique posteriores Theologi à Sanch., & Barbosa relati; ita neque tenetur ad cohabitationem cum tali periculo propter eamdem rationem; nempè, quia, ut loquitur S. Th., & cum eo reliqui, rectus ordo naturæ priùs tendit ad actum facultatis nutritivæ, quo proprium individuum conservatur, quàm ad actum generativæ, quo species propagatur; & ordo charitatis, ut ratiocinantur Durandus, Panormitan., & Brunellus, postulat, ut priùs quis sibi consulat, quàm alteri.

606. Secunda circumstantia est periculum gravis damni temporalis, ut si vir esset ita sceleribus deditus, ut uxor quotidiè exposita foret periculo damni sibi per ministros justitiæ inferendi; tunc enim ad illud præcavendum posset virum deserere, & aufugere; haberi enim posset tanquam viri sceleribus consentiens, atque ut talis puniri: Quod si ex viri criminibus detrimentum aliquod uxori non sequatur, viro cohabitet.

607. Tertia circumstantia, & multò validior est, si ex cohabitatione oriretur periculum peccandi mortaliter, v. g. si maritus vellet conjugem prostituere, vel ad aliud scelus pertrahere. Ratio clarissima est, quia præceptum vitandi peccatum, ac propriam vitam spiritualem servandi, fortius urget, quam præceptum cohabitandi, imò in hoc casu non tantùm posset reum conjugem deserere, sed nisi desereret, peccaret; proinde absolutè deserere deberet.

ARTICULUS XI.

Utrum uxor teneatur sequi maritum aliò proficiscentem.

608. EX eo, quod diximus, conjuges teneri ad simul habitandum, oritur proposita difficultas. Absolutè loquendo, uxorem teneri ad sequendum maritum aliò proficiscentem in dubium revocare non possumus, si perpendamus, quod habetur in can. *Unaquæque* 13. p. 2. ubi expressè legitur. *Unaquæque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte*; Et ratio deducitur ex superiùs traditis, quia nimirum

mirum tenentur ad mutuo sibi reddendum debitum, & obsequia præstanda.

609. Cum verò multifariàm possit vir in alium locum se transferre; ideo non unica assertione possumus omnia, quæ in hac materia contingunt, resolvere: Ideo primo loco inquiritur; utrùm, ut obligetur uxor ad maritum sequendum, necessaria sit justa causa domicilium mutandi. 2. utrùm teneatur, si vir aliò se transferat tantùm ad tempus sine mutatione domicilii. 3. si vir nolit habere certam sedem; sed hinc inde vagari. 4. si vir ob delictum fugiat, vel exul sit, vel conjectus in carcerem.

610. Quantùm ad primum; Alexander de Nevo c. *De illis* num. 11. de sponsalibus, & alibi negativam partem defendit; adeo ut necessaria ac justa causa requiratur; aliter lex ista nimis dura videretur & rigida. Communissimè verò docent alii Doctores oppositum, quæcumque sit causa, dummodò turpis non sit atque inhonesta; quod apertè tradidit Glos. c. *Unaquæque* ver. *Sequatur*, ubi solam turpitudinis atque inhonestatis excipit causam. Ratio est, quia debet esse discrimen inter virum & mulierem, ita ut aliquid uxor debeat erga maritum, quod maritus non debet erga uxorem, cum ille sit caput uxoris, ad quem pertinet regere, & domicilium eligere, si autem non teneretur uxor maritum sequi, nisi quando ex justa ac necessaria causa domicilium mutat, jam nullum inter utrumque discrimen esset; quia si hujusmodi sit causa, etiam maritus tenetur sequi uxorem; ergo.

611. Quantùm ad secundum, hoc resolvendum est juxta dicta in artic. antecedente.

Ut tertium stabiliatur, distinguamus oportet; Vel maritus ante contractum matrimonium vagandi habebat consuetudinem, & hoc notum erat fœminæ contrahenti; vel post contractum matrimonium effectus est vagabundus. Si primum asseratur, tamquàm certum existimo, uxorem sequi debere; siquidem cognoscens viri consuetudinem, illum approbavit; proinde oneri illum sequendi spontè se subjecit. Hoc præter magnam Doctorum copiam traditur à Glossa superiùs laudata, nec non in can. *Si quis necessitate* 34. quæst. 2. Si verò secundum supponatur, negativè arbitror sentiendum; etenim nimis grave onus & prorsus inexpectatum imponeretur uxori, si cum notabili damno, quod procul dubio contingeret, ad vagandum teneretur; Quamobrem potiùs tenetur vir à vagando se cohibere, ne uxorem deserat, & aliquo certo loco cum ea habitare. Neque justa causa vagandi afferri potest, ob quam cogatur & uxor vagari; nam si, ut dictum est, non tenetur uxor sequi virum proficiscentem in subsidium Terræ Sanctæ, qua justior ac honestior causa afferri non potest; à fortiori &c.

612. Magis urget difficultas in dubitatione seu inquisitione quarta, in qua resolvenda divisi sunt Doctores: Baldus 1. *Si cum dotem* ff. *Si maritus*. Joannes Lupus c. *Per vestras* de donatione inter virum, & uxorem, Anchæran., Enriquez, aliique sentiunt negativè, & ratio desumitur, quia uxor innocens pati non debet propter culpam viri, neque propter alienum delictum puniri; atque hoc traditur in can. *Si quis necessitate*, ubi sic legitur: *Si isto casu mariti in alium ducatum, vel principatum fugientis, uxor non vult sequi virum suum, innupta permaneat.*

Contrarium opinantur plures alii, ut Hostien., Panormit., Reginal., Aversa; ita ut, si grave incommodum non urgeat, uxor debeat sequi maritum. *Quid tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse?* Dicitur l. *Si cum dotem* §. *Si maritus* ff. de solut. matrim. Hoc si mulieri contingat, non punitur ab mariti delictum, neque ipsi imponitur tamquam pœna; sed quia naturali ac divino jure tenetur sequi maritum

ob

ob justam atque inevitabilem causam aliò commigrantem; quare per accidens infortunium hoc patitur, jure matrimonii; sicut servus ejusdem mariti idem exilii infortunium pateretur Dominum sequens; non adinstar pœnæ, quia innocens est, sed per accidens, & jure servitutis; ex quo respondeas priori rationi; sequentem verò textum explica, si uxor sequi nollet propter grave incommodum, periculum, ac detrimentum. Quod autem dixi de uxore per respectum ad virum, assero etiam de viro per respectum ad uxorem; nec aliud inter utrumque discrimen est, nisi quod, cum vir sit caput uxoris, possit ad libitum eligere domicilium, & uxor teneatur eum sequi; uxor autem, cum sit subjecta, nequeat illud eligere, & virum cogere, ut ipsam sequatur; at si uxor necessitate coacta domicilium mutat, jus matrimonii compellens virum habitare cum uxore, compellit etiam, ut ipsam comitetur.

Juxta dicta habes, quo pacto uxor non teneatur maritum sequi, si ducatur captivus, quia hoc maximum foret incommodum, ac periculum; unde tenebitur tantùm, ad eum, quam primum potuerit, redimendum, ut ait Sanch. lib.7. disp. 23. num. 5.

ARTICULUS XII.

Utrum pactum in matrimonio adjectum, ut vir teneatur in certo loco moram trahere cum uxore, valeat; & si vir voluerit domicilium mutare, teneatur eum uxor sequi.

613. Frequenter contingit, quod in priori tituli parte propositum est, ut matrimonium non contrahatur nisi tali apposita conditione; Quæritur igitur, utrùm hæc valeat, atque eam maritus debeat servare in utroque foro externo, & interno. Covaru. p.2. de sponsal. cap.7., Alexan. de Nevo de conjug. leprof. cap.1. num. 9. aliique asserunt, pactum hoc non tenere; imò Dynus, Barthol., Bald. idem sentiunt in l. *Titio centum* 2. de condit. & demonst. legitur autem sic: *Titio centum relicta sunt, ita ut à monumento meo non recedat, vel ut in illa civitate domicilium habeat, potest dici non esse locum cautioni, per quam jus libertatis infringitur*. Sicut igitur, inquiunt, rejicitur ista conditio in hoc casu; ita & in casu matrimonii. Addunt verò alii, virum non servantem hoc pactum teneri ad interesse, si quod ex pacti observatione emergebat uxori.

614. Oppositum tamen videtur dicendum, quod traditur à majori parte tam Theologorum, quam illorum, quos juris peritos agnoscimus: Ex istis Gotofred. in dic. cap. *Titio*. Panormit. in cap. 1. *Qui matrimoni*: Ancharan., Butrius, Navar. Ex illis Sanchez, Fagund., Pontius, Villalab. Castrus Palaus &c.

Hanc sententiam probo. In aliis contractibus, dùm quis rem suam tradit, potest apponere pactum, quod à jure non sit reprobatum; ergo etiam potest apponere in contractu matrimonii, in quo mulier se ipsam tradit viro; sed pactum, ut vir teneatur in certo loco moram ducere cum uxore, non est à jure reprobatum; ergo. Major patet ex cap. *Verum* de condit appos. & l. 1. c. *De pactis*. Probatur min. non reprobatur jure positivo; quia nullum adduci potest, imò hoc in jure reperitur permissum, ut quis possit se obligare ad permanendum in certo loco, ut habetur ex textu in l. *Cum scimus* C. de agricolis & censitis, ubi potest quis se efficere colonum adscriptitium, & obligare ad semper insistendum talis fundi culturæ, & simile habetur in l. *Originarios* l. *Servos* l. *Cum Decurionatus*, non jure naturali, quia per hujusmodi pactum quis non fit servus, neque adimitur libertas; primò, quia liberè hujusmodi pactum acceptavit; secundò, quia potiùs matrimonii libertatem perficit, cum valdè conferat ad individuam vitæ societatem,

tem, in qua potissimum sita est matrimonii essentia, ex alia parte cap. *Gemma* de sponsalib. & l. *Titia* ff. de verb. obligat. illa sola pœna in matrimonio conjungendo, vel dissolvendo prohibetur, quæ libertati officit; ergo. Denique obligatio habitandi in certo loco potest, & solet apponi ex justa causa; igitur non est, cur non obliget; ut servetur. Falsum autem omninò est, quod tantummodo ad solvendum interesse in hoc casu maritus teneretur; nam quandò in pactis includitur factum, satis fieri solutione non potest, sed requiritur, ut ipsum factum præstetur, ut tradit etiam Bald. in l. *Cum precibus* Cod. *De rerum permut.* & in cap. *Qualiter de pactis* inquit textus; *Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere impleantur*.

615. Hoc autem ita velim intelligas, ut verum sit nulla nova gravi causa superveniente; etenim si vel in eo loco, qui conditionis vi promissus est, foret aeris noxia intemperies; vel maritus capitales ac perniciosas inimicitias contraxisset; paucis verbis, notabile aliquod damnum vel sibi, vel proli immineret, tunc pactum illud ibi permanendi nequaquam valeret, quamvis etiam esset juramento firmatum; quod traditur l. *si convenerit* ff. *Pro Socio*, & cap. *Tua de jurejurando*, & cap. *Veniens de Regular.* In prima enim stabilitur, societatem ex nova causa superveniente ante præfixum tempus posse dissolvi; in aliis verò dicitur; quod dari posset conjugi adulterium committendi causa, & occasio.

616. Atque ex his habes secundam tituli partem resolutam; sequitur enim uxorem nequaquam sequi debere maritum alio proficiscentem, ac sibi figentem domicilium; sed vir tenebitur ad solvendam pœnam, si illi pacto fuerit adiecta. Neque est, quod adducas legem divinam astringentem uxorem ad sequendum virum, quæ lex fortior est quocumque pacto; et enim in hoc eventu lex divina non obligat, & semper conditio in sui vigore perseverat; imò uxor poterit per judicis sententiam illum compellere, ne ab eo loco, in quo se moraturum promisit, discedat; ut Capcpius decis. Neapolit. 135., Avedana, Gutierez, & Paulus affirmant.

617. Ad textum sub initio prolatum dicito; primò, esse disparem rationem, quia nemo ingenuus obligari potest voluntate aliena ad habitandum perpetuò in certo loco; potest tamen voluntate propria, & pacto à se acceptato; quæ responsio est Bartholi, Cumani, & Pauli in dic. §. *Titio centum*, & post istos, Joannis Lupi, & Gutier: Dicito secundò, prædictam legem valere, quando illa conditio in certo loco commorandi in nullius favorem cedit. Pactum autem, de quo sermo noster cedit in maximum favorem uxoris. Alia argumenta, quæ afferri possent, in id tendunt, quo probetur, per tale pactum adimi libertatem; sed jam ex probatione nostra resolvuntur.

ARTICULUS XIII.

An vir teneatur uxori alimenta præbere, & è contra.

618. MUltæ sunt circumstantiæ, in quibus contingere potest quod propositum est: & primò si absolutè fiat sermo, certissimum est, virum debere uxori alimenta præbere, & è contrario. Hoc in diversis juribus statutum accepimus, l. *si Filia* §. 1. ff. *Familiæ* l. *si cum dotem* §. *sin autem* ff. *soluto matrimonio* l. penultima ff. *ut in possess. legat.* Hoc autem intelligendum est, si uxor viro cohabitat; nam si absque viri culpa, propria temeritate, levique judicio discederet, alenda minimè foret, cum mulier esse debeat ad viri obsequium ex cap. *Hæc imago* 33. q. 5.; obsequium autem ita discedens præstare non potest, proindè neque ali-

alimenta recipere debet, qui enim non facit quod debet, non recipit quod oportet, l. *Si ea de condit. insert.*, & l. *Juliana* §. *Affinis*. Oppositum verò censendum est, si culpa viri separaretur; quia si obsequia non præberet, id viro tribuendum esset, & conditio habetur pro impleta, quando non impletur culpa illius, cui implenda erat, l. *jure civili* ff. *de condit.*, *& demonst.* Quod priùs dictum est valet, quamvis uxor dotem haberet; siquidem quemadmodum deberet vir uxorem alere, si dotem non haberet, & culpa viri uxor discederet, ut inferiùs dicam; ita non tenetur uxori alimenta præbere, si dotem habeat, & culpa propria à viro separetur.

619. Oritur hic primum dubium, utrum si uxor ob crimen proprium in perpetuo carcere includatur, debeat vir illam alere. Jam vides, sententiam negativam ex dictis esse præferendam, quippe dictum fuit, culpam propriam authori suo detrimentum afferre. Nihilotamen minùs, si culpa talis non sit, ut ex ea contingat divortium; aut eam absque dote non duxerit, contrarium affirmo. Rationem ex eo deduco, quod culpa ista non est directa ad cohabitationis separationem, sed tantùm in causa est, unde oritur necessariò, & ab extrinseco separatio; & quemadmodum si uxor culpa propria lepra foret infecta, propter quam vir cum ea non habitaret, eidem essent à viro alimenta tribuenda, ita in casu. Validiùs etiam id evinco ex eo, quod si vir esset propria culpa in exilium missus, uxor teneretur ad ipsi alimenta præstanda, ut habetur in l. *Mutus* §. *Manente* §. de jure dotis, & docent Gigas de crimine læsæ majestatis q. 21. n. 4., Cephalus cons. 324. num. 14., Julius Clarus lib. 5. receptarum in practica criminali, §. finali, quæst. 82. statuto 2., ergo similiter si culpa propria esset uxor in carcerem conjecta, vel in exilium, teneretur vir ipsam alere, cum par sit utriusque conditio.

620. Omissis tamen pluribus aliis, de quibus variæ dubitationes proponi possent, potior difficultas, quæ in hac re sese obiicit, est; utrum ob dotem non solutam liceat viro alimenta, & cohabitationem uxori negare, ac ipsam in domum propriam non traducere, vel jam traductam domo expellere ac dimittere.

Præmittenda sunt ea, quæ tamquàm certa ab omnibus recipiuntur. Primum est, ob dotem non solutam debitum conjugale negari non posse; hæc enim obligatio reddendi, non à dotis solutione, sed ex ipsa matrimonii natura progreditur; secundum est, virum teneri ad alimenta præstanda, si uxorem duxit absque dotis promissione; quia si nullam dotem exegit sibimetipsi imputare debet, atque in hoc casu pro dote ipsam uxoris personam accepit; Quod valet non solùm, si uxor pauper fuerit, sed etiamsi dives. Tertium est, dote promissa, & non soluta maritum ad uxorem alendam non teneri, ratio est, quia dos datur, ut onera matrimonii sustineri possint, ut habetur l. *Pro oneribus* C. *de jure dotium*, si igitur promissam dotem sine culpa sua vir non accepit, onera matrimonii sustinere non cogitur, proinde nec uxorem alere. Adverte tamen, eum, qui dotem promisit, debere esse in mora, idest tempus concessum ad dotem solvendam elapsum esse debere.

621. Hisce præmissis controversia est, utrum, quemadmodum potest illam, si velit, non alere; ita etiam possit illi cohabitationem denegare. Triplex est sententia. Prima asserit, maritum cohabitationem negare posse. Siquidem, ut dictum fuit, potest alimenta negare, inter autem alimenta intelligitur etiam cohabitatio l. *de legatis* ff. de alim., & cibar. legat., ergo. Præterea: Dos tribuitur ad onera matrimonii sustinenda; igitur dote non soluta hujusmodi oneribus subdi non debet; at habitare simul cum uxore

non

non leve matrimonii onus eſt, cum ferri debeant Levitas, loquacitas importunitas, & aliæ mulierum imperfectiones; ego. Rursùs: omnia jura favent deceptis, nullum favet deceptoribus, favent igitur viro, qui deceptus fuit, nequaquam mulieri, quæ decepit, vel alii deceperunt in ea. Validiùs hoc probant duo textus. Primus eſt in l. *finali* C. ad ſen. conſ. Vellejanum, ubi dicitur: *Neque enim ferendum eſt, mulierem fieri indotatam, & ſic à viro forſitan repelli*. Secundus in cap. *Per veſtras, de donatione inter virum, & uxorem*, ubi ſic: *Ne occaſione dotis detentæ uxor à viro dimiſſa, ſeu vir, qui dimiſit uxorem, adulterii reatum incurrat*: in quibus plane ſupponitur, à viro dote non ſoluta uxorem poſſe dimitti.

622. Secunda ſententia diſtinguit jus civile ac jus canonicum, & docet; attento jure civili, à marito uxorem expelli poſſe; attento tamen jure canonico propria auctoritate non poſſe, ſed judicis eccleſiaſtici ſententiam eſſe petendam, atque expectandam. Ita Baldus Novellus 6. p. de dote privil. 43., Lupus, & Stephanus Gratianus tom. 1. cap. 65. Hoc mihi non placet; nam ideò hoc conceditur propter jus civile, quia ſic ſtatuitur in laudate lege *finali*; ſed idem etiam ſtatuit jus canonicum, imò urgentiùs, in cap. *Per veſtras* ergo.

623. Tertia denique, quam amplector, & cui omninò in praxi adhærendum eſt, aſſerit, poſſe quidem maritum alimenta negare nequaquam tamen à domo, & cohabitatione depellere. Ita Covaru: part. 2. de ſponſal. cap. 7., Cuccus lib. 5. inſtit. major. tit. 11. num. 127., Molina tract. 2. de juſtit. diſp. 425. num. 6., Barboſa, Sanchez, Rebell. aliique communiter.

Probatur, quia, dotem ſolutam non eſſe, quamvis efficiat, ne vir debeat alimenta præbere, attamen ad jus cohabitationis, non attinet; cohabitandi enim obligatio non oritur ex dote recepta, ſed ex ipſo matrimonii contractu; & quemadmodum non ceſſat obligatio reddendi debitum, ita non ceſſat obligatio cohabitandi, quæ à jure naturali ac divino ortum deducit. Certè Chriſtus Dominus aliam cauſam ſeparationis præter fornicationem non indicavit Mat. 5.; atque etiam in hoc caſu non propria auctoritate, ſed Eccleſiæ judicio poteſt uxor dimitti, ex cap. *Plerumque, de donatione inter virum, & mulierem*. Perpendendum inſuper eſt, præcipuum cohabitationis finem, non eſſe, ut uxor à marito percipiat alimenta, ad quem dos inſtituta eſt; ſed ut ad prolis generationem ac educationem mutua ſibi præſtent obſequia; atque hoc fine cohabitatione ſervari, & obtineri non poteſt; ergo. Agat igitur maritus, ut dos promiſſa ſibi ſolvatur; ſi id aſſequi non poteſt, alimenta ad ſummum neget, uxorem tamen ex hoc capite non dimittat; dixi ad ſummum; etenim attenta æquitate ac honeſtate rei, hæc etiam neganda non videntur; ſi enim extraneis indigentibus ſubvenire debemus, quanto magis uxori pauperi in eadem domo manenti, atque viro obſequia famulatumque præſtanti. Imò Valerus fatuum illum virum appellat, qui alimenta negaret, cum magnam uxori præſtaret occaſionem adulteria perpetrandi.

624. Argumentis prioris ſententiæ ocurro. Ad 1. cohabitatio ad alimenta pertinet improprie, & reductivè, ex diverſo tamen oritur capite ſicuti dictum eſt, & ideò ſolutus ab unius obligatione nequaquam ab alterius debito ſolutus cenſetur. Ad 2. onera matrimonii diſtinguenda ſunt; alia enim proficiſcuntur à dote recepta, & alia à natura ipſius matrimonii; ab iſtis nunquam maritus liberari poteſt, niſi ex motivo fornicationis, aut alio intrinſecè ipſum matrimonium afficiente.

Ad

Ad 3. in eo genere jura favent decepto, in quo deceptus est; deceptus est in dote non soluta, igitur favent in iis, quæ dotem non solutam consequuntur, nempè à stricta obligatione alimenta præbendi. Primus textus tantum enuntiat, quod contingere posset, non tamen ibi permittitur expulsio, aut à jure licitè conceditur; solent enim leges curam impendere, ut avertant ea, quæ evenire possunt; non tamen asserunt, esse licita, si non avertantur. Similiter intellige secundum, cum ibi Pontifex non dicat licitam esse expulsionem, sed supposita expulsione quamvis injusta, respondet principali quæsito, utrum dotis cautio præstanda sit; nec ne.

625. Juxta hæc resolvenda est alia pars controversiæ spectans ad traductionem in domum propriam; nam illæ rationes, quibus probatur, virum non posse repellere à cohabitatione uxorem jam in suam domum traductam, probant etiam teneri ad eam in domum propriam traducendam, cum hoc non oriatur ex dotis solutione; sed ex ipsa matrimonii natura, quod obligat ad reddendum debitum, ad mutua officia præstanda, ad prolis generationem, rectamque educationem.

QUÆSTIO X.

De Potestate, quam habent conjuges vovendi, atque irritandi sibi invicem vota.

ARTICULUS I.

Quænam generatim præmittuntur.

626. Primò. Dantur quædam vota, quæ absoluta, & firma dicuntur, quæ omninò dependent à voluntate voventis, ideft tam ex parte personæ, quàm ex parte materiæ, quæ voto promittitur; quædam vero appellantur infirma, nempe à voventis voluntate firmitatem non obtinent, sed sunt quasi conditionata; dependent scilicet à consensu vel expresso vel tacito alterius tertiæ personæ inter promittentem, & eum, cui fit promissio, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8.

627. Est secundò adnotandum, bifariàm votum dependere posse ab alterius voluntate, cui, qui vovet, subjectionem servat; primò per se, & simpliciter, per hoc quod vovens sit ex natura sua, & intrinseca conditione alteri perfectè subjectus, & ideò voventis voluntas ita sit subordinata, ut ad hoc ut votum teneat ac obliget, includatur necessariò ista conditio, *si alter consenserit, vel saltem non contradixerit*. Hoc pacto se habet ex: cau: Religiosus respectu sui Superioris, & impubes respectu patris, vel tutoris. Secundò per accidens, & secundùm quid, scilicet ratione materiæ promissæ, quæ subjecta sit juri ac alterius potestati, qui ejusdem dominium habet vel administrationem, atque illam possit prohibere. Hoc pacto se habet filius familias quo ad vota de rebus, quarum Pater habet usumfructum, vel curator administrationem; servus respectu Domini; Religiosi novitii. Hinc fit, etiam voti irritationem aliam esse per se, & directam, aliam per accidens, & indire-

ctam; Illa est revocatio voluntatis ipsum votum de medio tollens, & ad nihilum redigens; Ista verò non actum voventis, sed materiam promissam respicit, illam vel subtrahens, vel mutans, vel prohibens, ne executioni mandetur; quæ castigatiùs loquendo dicitur potiùs suspensio voti quam irritatio.

628. Est autem hoc discrimen inter irritationem directam, & indirectam, quod per illam voti obligatio omninò extinguitur, ita ut sine nova voventis voluntate nullo unquam tempore reviviscat; per istam verò non extinguitur votum, nec illius vinculum omninò dissolvitur; sed tantùm illius obligatio suspenditur, quandiù prohibitio perseverat, qua ablata votum iterùm incipit obligationem inducere. Rursùs irritatio directa, quæ progreditur à voluntatis subjectione, non est actus dependens à potestate ac jurisdictione spirituali atque Ecclesiastica, sed est actus dominii civilis, quatenùs vocens ita est sub alterius potestate, ut voluntatem suam habeat dependentem à voluntate alterius, sine cujus consensu, & voluntate nullo pacto se possit obligare, quod nisi habenti potestatem dominativam convenire non potest; è contrario irritatio indirecta ex promissa materia provenıens, aliquandò est actus jurisdictionis spiritualis, ut quando summus Pontifex vel Episcopus materiam promissam prohibet, aut aliquid cum illius executione incompatibile præcipit; aliquando est actus jurisdictionis temporalis, ut quando Rex vel Magistratus aliquid justè jubet, ex quo executio voti impossibilis redditur. Totum hoc dixi justa doctrinam communiter receptam, & traditam à Suarez, Filliucio, Villalob., Sayro, Navar., Pontio, Sanch., Bossio, &c. &c. Hisce paucis expositis, aliisque pluribus omissis, quæ ad rem nostram non faciunt, ad nonnullas dubitationes resolvendas devenio.

ARTICULUS II.

Utrum conjux sine alterius licentia possit emittere votum religionis, suscipiendi ordines sacros, matrimonium non ineundi, vel in matrimonio debitum non petendi.

629. Certum est, licitè emitti posse ab uno sine alterius facultate votum religionis intra bimestre post contractum matrimonium, & si nondum hoc consummatum sit; quia in hoc casu etiam invito altero conjuge licitus est transitus ad religionem; si verò matrimonium consummatum fuerit, licitè quis poterit vovere religionem, si pro illo tempore voveat, quo matrimonium præsens fuerit solutum, cum per hujusmodi votum nulla præsenti conjugi fiat injuria; si autem constante matrimonio, nec data justa causa divortii per adulterium, animus fuerit illud adimplendi, id non sine culpa lethali continget; quia est dispositio rei alienæ invito domino, ut habetur cap. *Uxa* 33. q. 5. ex Sancti August. epist. 45. ad Armentar; Idem concludendum est de voto suscipiendi ordines sacros; De voto matrimonii non ineundi, certum est, quia matrimonio præsenti nullum detrimentum ex tali voto consurgit.

630. Quid verò sentiendum est, si emisso voto ante matrimonii consummationem, matrimonium consummet? Sentiendum, lethaliter peccare sive petendo, sive reddendo; eo tamen semel consummato, posse deinceps petere & reddere, sed defuncta vel adulterante uxore, ad votum implendum teneri. Hæc omnia singillatim ostendam. Grave peccatum ab eo patrari, manifestum est; quia ad votum servandum se reddit ineptum, cum non liceat consummato matrimonio religionem ingredi nisi ex facultate conjugis, & servatis

vatis iis, quæ à juribus præſcribuntur; nempe, ut ſi conjux fuerit juvenis, & ſit incontinentiæ periculum, debeat uterque ingredi religionem, ſi autem ſenex, & de incontinentia minimè ſuſpecta, debeat in Eccleſiæ conſpectu continentiæ votum emittere, c. *Cum ſit.* c. *Uxoratus* c. *Ad Apoſtol.* de converſione conjugat., quæ omnia quam difficulter obtineri poſſint, quiſquis intelligit. Quod verò, ſemel matrimonio conſummato poſſit deinceps petere & reddere ex eo colligo, quod voveas religionem, de præſenti caſtitatem non vovet, ſed de futuro, nempè dependenter à profeſſione in religione emittenda, & reverà, ſi eam poſt matrimonium conſummatum voveret, poſſet interim petere ac reddere, donec aptum tempus adveniret, quo votum poſſet adimplere; atqui defuncta uxore, vel in adulterium labente, poteſt adimplere; ergo tunc tenetur, ex quo probatur quod poſteriori loco in aſſertione expoſitum fuit.

631. Major difficultas eſt in poſtrema tituli parte, nempè, utrùm unus conjux abſque alterius licentia poſſit emittere votum continentiæ, quo obligetur ad nunquàm petendum debitum in matrimonio; dixi petendum, nam ſi ante conſummatum matrimonium ſine animo religionem ingrediendi, emitteret votum continentiæ, quo obligari vellet ad non reddendum, peccaret lethaliter, quia promitteret rem contra juſtitiam, & hoc à fortiori, ſi jam matrimonium conſummatum eſſet.

Duplex eſt ſententia; Una negativa, quam docent S. Th. in 4. diſs. 32. q. unica art. 3. ad 4., Paludan., Turrecrem., Tabien. Nider &c. ac tradidit Gratian. can. *Manifeſtum* 33. q. 5., qui poſt recitatas plures authoritates ita concludit: *Ex præmiſſis authoritatibus apparet, quod continentiæ vota nec mulier ſine conſenſu viri, nec vir ſine conſenſu mulieris Deo reddere poteſt.* Altera affirmativa, quam docent S. Bonavent. in 4. diſt. 32. q. 1. art. 1., Richar., Durand., Navar., Sanch., Coninch. &c. atque iſta mihi præferenda videtur.

632. Hanc, ut arbitror, duo Pontifices reſolutam tradiderunt. Alexander III. in c. *Quidam*, ubi ſtatuit, quemdam, qui invita uxore religionem ſuſceperat, teneri ad uxorem redire, eique conjugale debitum reddere, illud tamen exigere non poſſe; quia licet votum ſolemne religionis, invita uxore, non fuerit validum, fuit tamen validum, ut votum ſimplex; quia vovendo in religione caſtitatem, obligavit ſe in eo, quod in ipſius, non quod in mulieris erat poteſtate. Celeſtin. III. in cap. *Placet. de conjug.* de muliere, quæ exiſtimans, ſuum virum mortuum eſſe, religionem profeſſa erat, & viro pòſtea ſuperſtite ac redeunte coacta fuit ad ipſum redire, ita decernit. *Licet votum ejus uſquequdque non tenuerit; eatenùs tamen fuit obligatorium, quatenùs ſe poterat obligare, promiſit enim intrando Monaſterium, ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ejus, redire verò ad ſæculum in ejus poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti, & ideo quantùm ad ipſum tenuit votum.*

Ratio aſſertionis eſt, quia matrimonii vinculum obligat ad reddendum non ad petendum; eſt igitur liberum petere, nec alterius ſubditur dominio, ac poteſtati; ergo poteſt de hoc jure petendi liberè alter conjux diſponere; proindè etiam vovere, ſe nunquàm petiturum, qua in re dixit S. Auguſtin. in Pſ. 149., & habetur can. *Si dicat* 33. q. 5. *Pro ſatisfactione perfecta Deus tibi computabit, ſi, non, quod tibi debetur exigis, ſed reddis, quod debetur uxori.*

633. Fundamenta negativæ ſententiæ hæc eſſe poſſunt. 1. Quod in alterius præjudicium conſurgit, ſine hujus facultate fieri non poteſt; ſed votum nunquàm petendi in alterius præjudicium conſurgit: præſertim ſi votum hoc fieret à viro, quale enim onus non imponeretur mulieri natura ſua verecundæ, ſi

vel deberet semper abstinere, vel ipsa semper petere? ergo. 2. Votum castitatis per se excludit utrumque actum, videlicet petendi, ac reddendi; sed non potest conjux sine alterius licentia vovere, se non redditurum; ergo neque se non petiturum: atque ex hoc aliud argumentum proponi potest, nimirum, invalidum esse votum illud, cujus una pars vel est mala, vel impossibilis; sed una pars voti, nempe debitum non reddendi, mala est; ergo.

634. Ad 1. ne. mi. si loquamur de præjudicio consistente in re alteri conjugi debita, diximus enim, matrimonii obligationem consistere in reddendo, nequaquàm in petendo; nullum autem præjudicium infert conjugi, qui quod suum est, Deo vovet, ut contingit in casu; atque hoc dici debet, non solùm de uxore respectu viri, sed etiam de viro respectu uxoris, quæ à petendi onere & gravamine facilè solvi potest, si perpendamus, eam tacitè ac interpretativè per externa signa petere posse; in quo casu, vir petere posset; quia propriè non esset petere, sed reddere: Præclarè, ut semper solet, rem declarat S. Th. in 4. dis. 38. q. 1. art. 3. ad 2. ubi hæc habet de eo, qui votum castitatis emisit. *Hoc autem intelligendum est, sive mulier petat expressè, sive interpretativè, ut quando mulier verecunda est, & vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti; tunc enim sine peccato reddere potest; quia si rectè inspiciatur, hoc est exigere interpretativè*. Ad 2. continentia alia est perfecta, alia imperfecta; prima utrumque actum excludit, & hæc absque alterius conjugis consensu voto promitti non potest; secunda excludit tantùm actum petendi, & hæc propter dicta promitti potest; Ex quo aliud argumentum rejicitur, cujus propositio est tantùm vera, quando una pars ab alia separari non potest, quod in re nostra nequaquàm contingit.

ARTICULUS III.

Utrum Maritus possit irritare omnia vota uxoris constante matrimonio absque sua licentia emissa, & pro tempore matrimonii implenda.

635. EXcipio votum religionis, quod emiserit uxor ante matrimonii consummationem, & bimestri post irritum matrimonium. Pendet porrò difficultatis resolutio ex eo, quod stabiliatur, utrum uxor depedentiam habeat à marito non solùm in eo, quod attinet ad materiam promissam; sed etiam in eo, quod spectat ad personam ejusdemque voluntatem, sicuti dependent filii impuberes à parentibus, pupilli à curatoribus, & religiosi à superioribus suis. Si enim hoc postremum asseratur, procul dubio poterit maritus omnia uxoris vota directè irritare, non tantùm in iis, quæ sibi præjudicium afferre possunt vel in actu conjugali, vel in familiæ gubernatione; sed etiam in quacumque alia materia disparata; putà in voto non mentiendi, non furandi &c. Si verò primum affirmetur, poterit tantùm irritare in materia, ex qua sibi ac familiæ detrimentum progreditur.

636. Tot sunt tam pro sententia negante, quàm affirmante fundamenta, ut utraque pars mihi satis probabilis appareat. Illa itaque subjiciam, ut inde quod magis placuerit, prudens ac sapiens lector sequatur.

Uxorem in omni suo actu dependentiam à viro servare, ita ut ejus voluntas perfectè sit viro subjecta, primò authoritate utriusque testamenti, deinde ratione potest ostendi. Gen. 3. absolutè à Deo dictum de uxore fuit. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, & cap. 30. Numer. dicitur: *Si mulier maritum habuerit, & voverit aliquid, si audiens vir statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, propitius erit ei Dominus*. Quidam ista verba

verba ad solum votum abstinentiæ restringunt; sed perperam, & contra explicationem septuaginta interpretum, Vatabli, Pagnini, aliorumque, imò contra dictum S. Ambrosii, & Augustini. Primus in lib. de Paradiso cap. 10., & habetur cap. *finali* 33. q. 5. ait: *Evidentissimè apparet, ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conversationis liceat sibi sine ejus licentia Deo offerre*. Secundus verò lib. 4. quæs. 59. in Numeros., & habetur cap. *Noluit* 33. q. 5. inquit: *Noluit itaque lex mulierem aliquid vovere, ut non in aliqua rerum licitarum abstinentia, in ejusdem votis fœminæ valeat authoritas, sed virilis*. Pro novo testamento satis illud sit, quod scribit Apostolus ad Eph. 5. dicens: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ, sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*. Hìc pondero duo verba; primum est, *caput*, ex quo infero, quod quemadmodùm omnes corporis actiones à capite proficiscuntur, ac diriguntur, ita omnes actiones mulieris subjiciuntur viro. Secunda est, *in omnibus*, ex quo clarissimè quod affirmatur, evincitur.

637. Rationem autem desumo à paritate, quæ videtur esse inter impuberem respectu Patris, religiosi respectu superioris, & inter uxorem respectu mariti; quare sicuti Pater irritare potest omnia vota impuberis, & superior religiosi, ita etiam maritus omnia vota uxoris. Hoc est, quod innuit & approbavit S. Th. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. ubi sic loquitur: *Quia nullum tempus est, in quo Prælatus non possit subditum circa aliquod occupare; nullum votum religiosi est firmum, nisi de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu Patris, nec uxoris, nisi de consensu viri*. Denique id desumi potest ex mulieris levitate, inconstantia, ac imprudentia in promissionibus faciendis; & ideò valdè congruum fuit, ut ejus voluntas viri dominio ac regulis subjiceretur. Sententiam hanc defendunt Sot. lib. 7. de justit. q. 7. art. 1., Arragon. 2. 2. q. 88. art. 1., Brunellus, Ledesma, Sanchez, Facundez, Lessius, Diana &c. &c.

638. Contrarium existimarunt alii, Hostiens., Ancharan., Panormit. ex canonistis, Sylvester, Angelus, Philarchus ex Summistis, Paludan., Richard. &c. ex Theologis, neque levia præsefert fundamenta, quibus etiam refelli videntur, quæ pro superiori sententia producta sunt. Primum est, quia nec uxori major subjectio convenit respectu viri, nec major potestas viro respectu uxoris, quàm quæ ex natura contractus matrimonii deducitur; cum nullo alio titulo utraque concedatur, quàm propter matrimonium; sed ex natura contractus matrimonii alia non deducitur subjectio uxoris, nec alia potestas viri, quàm in iis, quæ spectant ad conjugalem copulam, & ad prolis educationem, familiæque regimen; ergo. Hoc magis sic confirmatur: Potest in uno esse subjectio respectu alterius, vel naturaliter & ratione imperfecti judicii, quo pacto subjicitur voluntas impuberum parentibus; vel ratione spontaneæ electionis, qua unus alteri se regendum præbet, quo pacto religiosi vi obedientiæ Prælatis suis se tradunt gubernandos; neutro autem modo uxor in omnibus suis actibus subjicitur viro; non primo, quia uxor respectu viri non habet naturalem subjectionem, quàm filius habet respectu patris, neque in ea talis judicii defectus supponi potest, ut indigeat directore; imò plerumque contingit, ut vir dirigi indigeat ab uxore; non secundo, nam uxor ex vi matrimonii regendam se tradit in iis, quæ ad matrimonium pertinent, ergo. Præterea: Si agamus de votis in materia necessario evitanda, qualis est non mentiri, non furari, vir in hanc nullam habet potestatem, cum soli Deo immediatè

subdatur, & si dicas, habere potestatem in actum voluntatis, quo uxor vovet; hoc est falsum quia jam actus iste præteriit, ad præteritum autem nulla potestas; & quemadmodum Prælatus nequit irritare votum religiosi transeundi in aliam religionem strictiorem, quia materia illa superioris potestati non subditur; ita non poterit vir irritare votum uxoris non mentiendi, vel non furandi, quia hæc materia viri potestati non est subjecta. Denique ex superioribus scripturis nihil probari potest; nam lex illa Num. 30. non erat naturæ, sed cœremonialis, & pro illo populo lata, proinde omninò cessavit; alioquin Pater etiam nunc irritare posset vota puellæ puberis existentis in paterna domo, ut ibi dicitur; quod verò scribit Paulus satis servatur, si uxor sit sub potestate viri, & vir sit caput uxoris in iis, quæ pertinent ad familiæ administrationem; nam in iis, quæ spectant ad actum conjugalem, non magis uxor est subjecta viro, quam vir sit subjectus uxori; ergo.

639. Ex istis vides, quam merito dixerim, utramque sententiam tot momentis fulciri, ut utraque probabilis sit; quia tamen prior muliebris sexus fragilitati magis favet, & quia absolutè Gen. 3. dicitur mulier sub viri potestate, & Paulus ait, mulieres in omnibus absque aliqua limitatione viris suis subjectas esse, ideò priorem judico esse præhabendam: Quod si fortasse cupis posterioris sententiæ argumentorum solutionem, eam statim exhibeo. Ad primum: In natura contractus matrimonii perpendendum est id, quod de primario convenit, & quod de secundario & consecutivè. Primum revocatur ad actum conjugalem, prolis educationem, ac familiæ regimen; Alterum verò respicit quoscumque uxoris actus, cum statim ac mulier nubit viro, hunc tamquam caput agnoscat, & se in omnibus dirigendam tradat; ex quo sequitur hanc subjectionem esse naturalem suposita spontanea electione hunc in virum habendi: Et sic respondeas secundo. Quod si interdùm contingat, majori judicio pollere uxorem, quam virum, id per accidens se habet, ex quo argumentum deduci non potest. Ad tertium: fateor materiam illam esse immediatè subjectam Deo, sed dico, virum habere potestatem in illum actum, qui circa talem materiam versatur; non quidem, ut præteritus est, sed quatenùs novam de præsenti obligationem inducit, quam sine viri consensu sibi non poterat uxor imponere. Neque illa paritas tenet; nam ideò Prælatus non potest irritare actum religiosi voventis transitum in aliam striciorem religionem, quia per talem actum religiosus non remanet ampliùs eidem Prælato subjectus, quod in nostro casu per vota uxoris non contingit, cum nullo pacto à viri subjectione se possit eximere. Quantùm ad reliqua, satis dictum est.

Juxta sententiam, quam elegeris ex istis, resoluta habebis plura alia, quæ inquiruntur. Interim.

ARTICULUS IV.

Utrum vir irritare possit vota ab uxore emissa ante matrimonium, nec ante matrimonium adimpleta.

640. PRæposit. in 3. p. q. 6. de bonis matrimonii lib. 20., Diana par. 4. tract. 4. resolut. 110. Joan. de Friburgo in Sum. Confess. lib. 1. q. 35. tit. 8., Vega tomo 2. Sum. cap. 129. casu 20. docent, non solùm posse suspendere votorum executionem, sed etiam prorsus obligationem extinguere atque irritare, eo quidem ducti principio, quod superiùs retulimus, nempe uxorem per matrimonium fieri viro subjectam quo ad omnes actus suæ libertatis; ex quo fit, quod sicuti Prælatus religionis irritare potest omnia vota sui religiosi ante professionem emissa; ita & vir

vir possit irritare omnia vota suæ uxoris emissa ante matrimonium. Communior tamen aliorum Doctorum sententia est, vota omnia, in quacumque materia sint, ante matrimonium ab uxore facta, absolutè directè ac propriè, ita ut eorum auferatur obligatio, nequaquàm à viro irritari posse; sed tantùm eorum obligationem suspendi, & ita docent Suarez lib. 6. de voto cap. 7. num. ultimo, Less., Pontius, Sanchez, Villalab., Fagundez, Trullenh., Castrus Palaus &c. Ratio est, quia illa tantùm vota directè ac propriè irritari possunt, quibus inest vel expressa vel tacita dependentia ab alterius voluntate, nempe *si alter consenserit*, *vel non contradixerit*; sed vota à muliere facta ante matrimonium non fuerunt affecta hujusmodi dependentia, nempe si maritus consenserit, vel non contradixerit, sed fuerunt absoluta, & pro tempore, quo mulier erat juris sui, nec ratione materiæ promissæ neque ratione gubernandæ voluntatis viro subiecta; ergo propriè, & directè à viro post matrimonium irritari non possunt. Neque valet in oppositum id, quod dictum est de votis religiosi emissis ante statum religiosum, quæ directè irritari possunt à Prælato; etenim id ultrò fatemur, sed valdè dispar est ratio. Siquidem, vel religiosus ille in actu professionis habuit voluntatem talia vota extinguendi, vel non; si habuit, jam per professionem extincta sunt; si non habuit, censentur tamquàm facta post professionem, proindè pro tempore, quo Prælato subiectus fuit, eo pacto quo prava dispositio habita in baptismo censetur tamquàm habita post baptismum, & pœnitentiæ sacramento subiicitur. Et si mihi idem argumentum reponeres pro matrimonio, dicerem non ea privilegia fuisse matrimonio concessa, quæ fuerunt professioni; professio siquidem omnia vota eminenter includit.

641. Supposito igitur, hujusmodi vota directè ac propriè, omnique prorsùs obligatione sublata, irritari non posse; inquiritur; an verum sit, posse irritari indirectè, idest eorum obligationem suspendi. Hoc certissimè tenendum est; si de illis votis sermo fiat, quorum observatio eidem marito, vel rectæ familiæ administrationi detrimentum afferret; jus enim mariti per matrimonium acquisitum talium votorum prævalet obligationi; ergo quamvis, quandò fuerunt emissa, mulier esset sui juris, nec ullam dependentiam ab alio haberet; attamen eorum executio post matrimonium esset contra justitiam; proinde potest maritus illam durante matrimonio suspendere; quo desinente eadem obligatio reviviscet, & cum iterum mulier sui juris fuerit effecta, ad illa implenda tenebitur, si usque ad tale tempus ea vota se extendebant.

642. Secundò certum est, nullo modo nec directè nec indirectè illa vota à marito irritari posse, quæ erant de materia necessaria, ut non mentiendi, non furandi &c. Ratio est, quia neque materia, in qua versantur hujusmodi vota, est subiecta marito, sed Deo; nec subiectus est actus ille vovendi, tamquàm præteritus, & Deo consecratus, nec voluntas mulieris eo tempore à marito dependebat, neque eorum observatio usui matrimonii, & domestico regimini nocet; ergo.

643. Tertiò certum est, votum religionis ante matrimonium nullo modo auferri posse; si enim vir non potest hujusmodi votum emissum ante matrimonium ratum, nondum consummatum, irritare; à fortiori non poterit, si fuerit emissum ante matrimonium. Quare uxor, eo matrimonio desinente ad illud implendum tenebitur. Idem dicendum de voto castitatis, cujus obligatio manebit suspensa, & poterit uxor quidem reddere, nequaquam petere; ita re se habente, ut quantum ad reddendum nulla sit opus irritatione, quia superveniente fortiori vinculo matrimonii tenetur uxor ex justitia reddere; quan-

quantùm vero ad petendum, materia non est viro subiecta, & uxor est libera.

644. Post hæc, quæ certa nobis sunt, inquirendum superest de votis realibus, ver. gr. eleemosinas faciendi. Negat Sanchez, hæc à marito irritari posse, seu suspendi, si erat juris sui, idest nec sub patria, nec sub alia potestate, cum de istis ita judicandum sit, sicut de aliis debitis, quæ priùs uxor contraxerat. Affirmat Suarez loco superiùs laudato, quia istiusmodi vota sine mariti præjudicio impleri non possunt, & mulierem de illis bonis, quorum administratio marito commissa est, liberè disponere, sine injuria viri fieri non potest.

Ex quo habes, quod si uxor omnia bona sua marito non obligasset, cum hæc sub ipsius dispositione permanerent, posset utique de illis eleemosynas facere, ac ita suum votum adimplere. Falsùm porrò est, quod ita de hisce votis loqui debeamus, sicut de aliis debitis, quæ priùs uxor contraxisset; siquidem per ista homo acquisivit dominium, per illa autem vota acquisivit Deus; mitius autem agitur cum Deo, quàm cum hominibus, ut notavit Glos. in l. 2. verbo, *an obligentur ff. de pollicitation.*, & rursus maritus non agit vices Domini, qui dominium & jus acquisivit, proinde non potest illa debita remittere, & irritare; agit autem vices Dei; ideo &c.

645. Secundò inquiritur, utrum maritus possit alia vota uxoris emissa ante matrimonium irritare, etiamsi eorum executio sibi, ac domestico regimini nullum inferat præjudicium; quale esset votum v. gr. recitandi aliquas preces, vel in aliqua moderata abstinentia se exercendi. Negant Suarez, Azorius, Lessius, aliique, defendentes ea tantum à marito irritari seu suspendi posse, quæ marito, vel familiari gubernationi esse possent obnoxia. Affirmat verò Sanchez, cujus ratio est, quia potest vir pro omni tempore suam uxorem occupare, quo argumento, ut superiùs vidimus, utitur D. Th.; probaturus omnia vota Religiosi irritari posse à suo Prælato. Arbitror tamen, priorem sententiam præferendam esse; nam si de moderata abstinentia sermo sit, hæc non impedit, quo minùs occupari possit à viro, si verò de aliquibus precibus, istæ non sunt materia viri potestati subiecta; ex alia parte votum factum fuit tempore, quo voluntas mulieris non erat subdita viro, & factum fuit absolutè; non est igitur, cur pro libito impediri possit à viro Caveat tamen uxor, ne hisce abstinentiis, ac precibus mariti indignationem provocet, ac familiæ pax perturbetur; quia, cum in hoc casu votum non esset de meliori bono, ejus executio suspendi deberet, donec melioris boni tempus accederet.

ARTICULUS V.

Utrum Uxor irritare possit vota mariti.

646. Actum breviter in præcedentibus est de potestate viri irritandi vota mulieris, agendum superest de potestate uxoris irritandi vota viri. Sotus lib. 7. just. q. 3. art. 1. nec non Petrus de Ledesma q 64. de matrim. art. 4. dubio 2. videtur negare, posse aliqua mariti vota ab uxore irritari; ducuntur, quia uxor nullum dominium in virum habet, sed ipsi tamquam capiti subiecta est; si autem sermo fiat de materia promissa, mulier nequaquam domina dici potest; quia si dominium aliquod ipsi concedi potest, maximè in actibus matrimonii; at non in istis, quia maritus, & uxor in istis sunt pares; ut habetur cap. *Gaudemus de divortiis*; ergo.

647. Communis tamen sententia tàm apud juris canonici professores, quàm Theologos veteres ac recentiores, est; uxorem non posse quidem omnia

omnia viri vota irritare, quod probat ratio superiùs adducta, posse tamen illa, quæ in ipsius detrimentum fierent vel quoad moderatam debiti redditionem, vel quoad mutuam cohabitationem. Moveor ad hoc dicendum, quia licet vir sit caput uxoris, hæc tamen ex vi contractus matrimonialis habet dominium, & potestatem corporis viri, ut loquitur Paulus 1. ad Corint. 7. Verum equidem est, in actibus matrimonii utrumque conjugem esse parem; quia nemo ad petendum tenetur, uterque vero ad reddendum; negari tamen non potest, sibi invicem subditos esse; quia neuter habet sui corporis potestatem, sed mutuò unus transtulit dominium in alterum, attento igitur tali dominio poterit uxor irritare vota mariti sibi in actu conjugali præjudicium afferentia; & quemadmodum vota uxoris viro præjudicantia debent, ut valeant, includere hanc conditionem, *Si vir consenserit*, ita vota viri præjudicantia uxori debent, ut valeant, hanc conditionem præferre, si uxor consenserit.

648. Hinc facilè devenire possumus ad assignanda illa vota, pro quorum irritatione potestas uxori est concedenda. Primò, si vir voveret diuturna jejunia, & immoderatas abstinentias, vel multiplices preces, & alia multa exercitia spiritualia. Secundò, si longam peregrinationem, etiam Hierosolymitanam devotionis causa. Tertiò, si eleemosynas, quæ cederent in detrimentum dotis, vel aliorum bonorum, quorum administratio est penes maritum. Quartò, si omnimodam castitatem, idest abstinendi tam à petitione, quam redditione debiti.

649. Utrum verò irritari possit ab uxore votum viri debitum non petendi neque amicabiliter; negant Sanchez, Palaus, Lessius, aliique, quos ipse Sanchez producit; quia ex vi matrimonii neuter conjugum tenetur ad petendum, neque ex rigore justitiæ, neque ex motivo amicitiæ; ex alia parte mulier non est caput viri, sicut vir est caput uxoris. Neque, inquiunt, suffragatur, sic uxori imponi onus semper petendi; etenim in primis vir utitur jure suo, cum tantùm ad reddendum obstringatur; & prædictum onus parvi habendum est, cum tacitè per aliqua signa ac blanditias petere possit. Affirmant verò Enriq., Manuel, Philarch., Arragon., Layman, Fagundez, Navarr. &c. quorum placitum libentiùs amplector propter adductam rationem; illud enim votum nullo pacto petendi est in uxoris præjudicium; præsertim si timida sit, & verecunda, ut deceret. Obstare tantùm videtur cap. *Quidam. De convers. conjugum*, ubi dicitur, professionem invita uxore factam non tenere; attamen eum, qui professus fuerat, non posse debitum petere; quia, inquit textus, *cum esset in potestate id promittere, votum quoad hoc tenuit*; atque idem statuitur de muliere, quæ cùm existimaret, mortuum esse maritum, professionem emisit, cap. *Placet* sub eodem titulo. Verum textus isti debent intelligi, vel de petitione ex justitia, vel antecedenter ad irritationem seu suspensionem factam vel à marito, vel ab uxore.

650. Hic autem, omissis pluribus aliis, inquires; Utrum quæ dicta sunt conveniant marito post notoriam fornicationem carnalem aut spiritualem à se commissam, & post factum divortium.

Quantum ad primum negat absolutè Grassius p. 1. decis. aurear. lib. 2. cap. 29. num. 8. necnon Valent. 2. 2. disp. 6. p. 6. q. ultima. Aliud momentum afferri non potest, nisi quia conjux adulter amisit jus petendi debitum à conjuge innocente; proinde etiam dominium in ejus corpus ac voluntatem; quod tamen, ut vides, non solùm probat de fornicatione notoria, sed etiam de occulta. Arbitror propterea in hac re distinguendum esse. Vel conjux innocens non vult uti jure suo, sed data venia

venia vult cum adultero maritali affectu se gerere, & tunc permanet jus irritandi vota, etiam post notoriam fornicationem; & ratio est, quia conjux adulter non perdit omninò jus petendi debitum; sed tantùm in favorem innocentis; Si iste igitur cedit juri suo, integrum remanet jus ac dominium; Si autem conjux innocens velit uti jure suo, & ab adultero recedere, ejus vota irritare non potest adulter.

651. Quantum ad secundum. Dicendum est, quod durante divortio neuter conjux potest alterius vota irritare; Si enim loquamur de conjuge reo; jam iste ex dictis jus ac dominium deperdidit; Si verò de conjuge innocente, iste durante divortio cessit juri suo, & ab omni servitute ac subiectione reum conjugem liberavit. Quod si reconciliatio fiat vel mutua voluntate, vel ob recompensationem mutuæ fornicationis; tunc res in pristinum statum deducta est; unde quod ante divortium poterant, possunt etiam post divortium. Hoc tamen est discrimen inter conjugem innocentem, & reum, quod innocens potest alterum etiam invitum sibi reconciliare; Reus autem non ita. Sed de hac re satis, ampliora qui velit reperiet apud Sanchez, Pontium, aliosque.

QUÆSTIO XI.

De Divortio.

ARTICULUS I.

Utrum non tantùm adulterium, sed etiam alii actus impudici sint sufficiens causa divortii.

652. PLura diximus, ubi actum est de matrimonii indissolubilitate; omnia tamen ex instituto non præstitimus, quæ in hac materia inquiri possunt, & controverti. Nomen hoc divortii desumptum est, vel ex eo, quod conjuges mente animoque separentur; vel quod in varias partes divertant. Est autem triplex; primò quoad vinculum, & sic matrimonium omninò dissolvitur, tanquàm si non fuisset; secundò quoad thorum, scilicet quoad copulam carnalem tantùm; & de hoc dictum fuit, quando de justa debiti negatione actum est. Tertiò quoad thorum & cohabitationem permanente vinculo, & in hoc sensu usurpanda sunt ea, quæ dicemus, & definivit Concil. Trident. sess. 24. can. 8. dicens: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum & cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit*. Hic porrò inquirendæ sunt causæ, quibus etiam uno conjuge invito potest alter separari; nam quo pacto possit ex mutuo consensu ob honestas causas hujusmodi separatio contingere, satis ex dictis manifestum apparet.

653. Dixi autem in titulo: *Utrum non tantùm adulterium*, etenim tanquàm certum existimandum est; adulterii crimen esse causam sufficientem. Colligitur hoc, ex quovis jure, naturali, divino, atque ecclesiastico; priori quidem, cum ex natura ipsius conjugalis contractus oriatur, ut conjugi, qui matrimonii fidem non servavit, conjugale commercium præberi non debeat; constat autem per fornicationem matrimonii fidem violari; secundò verò, ut patet ex illo Matth. 5. & 19. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, exce-*

excepta fornicationis causa &c. Denique Ecclesiastico, ut habetur in cap. *Significasti*, cap. *Gaudemus*, cap. *Ex litteris*, aliisque canonibus.

654. Præsens igitur controversia revocatur ad alia peccata, quæ ad impudicitiam revocantur; & primò inquiritur, an sodomia sit sufficiens causa divortii. Negant Florianus cap. *Maritis*, Cardin., Alvar., Abul. in c. 5. Matth. aliique. Affirmant verò S. Thom. in 4. dist. 35. quæst. unica art. 1. ad 4., S. Bonavent. in fine quæst. 1., S. Antonin. 3. par. tit. 2. cap. 21. & est communior sententia apud recentiores, Sanchez, Tancred., Hurtad., Coninch., Bonac. quæ & mihi probabilior videtur.

655. Pluribus momentis id aliqui contendunt ostendere desumptis etiam ex SS. Patribus, præsertim Augustino, & Hieronymo. Dicit enim Augustinus quæst. 37. in cap. 23. Deuteron. *Nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi.* Et Hieronym. in epist. ad Amand. & refertur cap. *Omnes accusationes* 32. quæst. 7., ait: *Quandiu vivit vir, licet adulter, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus*, quo dicendi modo supponit S. Doctor, propter sodomiam virum derelinqui. Verùm parùm efficax hoc argumentum existimo; siquidem S. Augustinus eo loci tantùm probat, omnem illicitum concubitum, illegitimumque illorum membrorum usum spectare ad fornicationem in sexto Decalogi præcepto prohibitam; non tamen affert sufficientem causam divortii; aliter etiam hujusmodi causa esset quæcumque voluntaria pollutio, quod tamen affirmari non potest, ut dicam. Sancti quoque Hieronymi ratio nimis probaret, quia sequeretur, ob quodcumque crimen fieri posse divortium; ibi igitur tantùm contendit, quod sive uxor licitè, sive illicitè à viro diverterit; attamen illo superstite alteri nequaquàm nubere posse. Aliqui id probant, quia sodomia est gravius peccatum, quam sit adulterium ex cap. *Adulterii*, & cap. *Usus* 32. q. 7. igitur si adulterium est sufficiens causa divortii, potiori jure erit sodomia. Sed neque ex hoc quidpiam concludi potest; nam etiam mollicies gravior est adulterio, ut probat S.Th. 2. 2. q. 154. art. 12., & ex alia parte major peccati gravitas ad divortium non confert; siquidem odium Dei, & blasphemia longe majorem gravitatem habent, quam adulterium; nec tamen habendo divortio sufficiunt.

656. Aptior igitur est ratio illa, quam expressit Sotus in 4. dist. 36. q. unica art. 4. ante secundam conclusionem, nempe quia per sodomiam violatur perfectè & consummatè fides matrimonii; sitque vera carnis divisio contra matrimonii naturam, cujus est, ut sint duo in carne una, & ita fit, ut alter ad servandam fidem non teneatur, neque ut cum ipso habitans debeat reddere debitum; Quare cum Christus Matth. 5. & 19. dixit, solam fornicationem divortio causam præbere, fornicationis nomine omnem concubitum explicavit, per quem caro conjugis in aliam dividitur, quod non obscurè indicavit Hieronymus in eum locum dicens: *Cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione à marito separaverit, non debet teneri.*

657. Huic argumento respondent aliqui, id verum esse, si sodomia sit activa cum masculo, vel cum fœmina; non verò si vir passivè se habeat, etenim hoc pacto semen non emittit, neque vel vas alteri conjugi debitum exhibet, vel membro ad generationem instituto abutitur. Sed reverà etiam per sodomiam passivè consideratam id præstari, tenendum est; cum etiam per illam fiat carnis divisio in aliam agentis, proinde matrimonii fides violetur, quod est divortii fundamentum; idque dicendum arbitror de sodomia, quæ inter duas fœminas committatur; dummodò tamen se-

semen unius aut medio aliquo instrumento, aut immediatè immitteretur in vas vel naturale, vel præposterum alterius fœminæ, ut afferunt Monald. & Joan. de Friburgo. Atque hanc esse veram sodomiam, & ordinaria pœna puniri, afferit S.Th. 2. 2. q. 154. art. 11.

658. Hoc, quod diximus de viro sodomiticè peccante cum alia, plures, ut Innoc. cap. 1. de adult., Menoch. de arbitrariis lib. 2. cent. 3. casu 28. n. 14., Petrus de Soto, Covaru., & Barbosa, extendunt etiam ad sodomiam, quam vir cum propria uxore tentaret. Hoc tamen intelligendum censeo, si vir corrigi nolit, & de divortio non perpetuo, sed tantùm ad tempus, & idem dico de committente sodomiam completam cum uxore invita, quia per istius modi illicitam copulam carnis divisio in aliam nequaquàm contingit.

659. Ex dictis supra inferas, quid sentiendum sit de bestialitatis peccato, cum enim verè per hoc fiat carnis divisio, verè etiam justa divortii causa præstatur; nihil enim refert, sive caro fuerit ejusdem, sive diversæ naturæ; Si autem hæc copula fieret intra vas vel fœminæ, vel bestiæ mortuæ, tunc arbitror divisionem carnis non fieri, sed talis concubitus esset illi similis, qui haberetur cum statua vel bestiæ, vel mulieris; proinde propriè fornicatio non esset existimandus.

660. Nunc devenio ad alia peccata, quæ impudicitiæ tribuuntur, & jam de illis quid sentiendum sit, constat ex ratione à nobis exposita supra. Hujusmodi sunt mollicies vel à semetipso commissa, vel cum alia tertia persona, necnon amplexus, & tactus obsceni, quibus mulier locum præberet. Sunt quidem plures Doctores, afferentes utramque molliciem justam esse causam divortii, attamen cum non integrè nec consummatè lædatur fides matrimonii per carnis divisionem, justæ divortii causæ deficit radix.

Strictiùs fortasse res agenda esset in mulierem, quæ præfatis amplexibus ac tactibus se daret, ut reverà se gerunt Bald. cap. *Tuæ* num. 4. de procurat., Joan. Lupus de donat. inter virum & mulier., Felin. cap. *Præterea* de testibus & attest., Surd. de aliment. q. 16. tit. 7. plurésque alii, inter quos Bartol. lib. 1. num. unico ff. de extraordinariis criminibus, ubi reprehendit Glossam dicentem verbo *propter voluntatem*, ob oscula libidinosa pœna extraordinaria uxorem esse plectendam; ait enim, puniendam esse pœna ordinaria adulterii, quæ certè est divortium, necnon dotis amissio.

Nihilo tamen minùs in hac re fœminis indulgeamus; idque semper repetemus, ex quo per hujusmodi amplexus & tactus etiam cum animo adulterium committendi factas non fit carnis divisio, & certè in l. *Consensus* C. *de repudiis* inter justas repudii causas amplexus & oscula non recensentur; pœnæ autem imponendæ non sunt, nisi in casibus à jure expressis, authent. *de non eligendo secundo nubentes* §. *Cum igitur* collat. 1. Præterea: Si ab adulterii pœna fieret argumentum ad pœnam injungendam osculis & amplexibus, fieret à majori ad minus; quod in pœnalibus absurdissimum est; neque, cum de incurrenda pœna sermo est, nec statutum puniens in termino censetur punire in via; nec prohibito consequente prohibetur & antecedens, ut Bald., Cyn. & Decius probant l. *Si fugitivus* C. *de servis fugitivis*. l. 1. C. *Si Rector Provinciæ*.

661. Fudamenta tamen contraria nequaquàm dissimulemus oportet. 1. Lex *consensus*. *De repudiis* inter justas divortii causas hanc assignat: *Si uxor suum virum inspexerit cum impudicis mulieribus cœtum ineuntem*. 2. Aliquando contingit, majorem injuriam inferri viro per oscula & tactus, quàm per ipsum adulterium; puta, si hoc esset occultum, illa verò essent publica; ergo si adulterium justam præbet causam divor-

vortii, etiam oscula & tactus. 3. ex lege *Quod ait lex* 23. ff. ad legem Juliam *de adult.* permittitur patri filiam in osculis & amplexibus inventam necare, à fortiori igitur permittetur marito uxorem dimittere. 4. Feudatarius feudum amittit, si cum domini uxore turpiter luserit, l. 1. feudor. tit. *Quibus modis feudum amittatur*; ergo à pari mulier amittet dotem &c. si &c. Denique: Matrimonii fides non tantùm læditur per adulterium, sed etiam per alios actus impudicos; non solùm enim conjuges mutuo sibi promittunt, adulterium non patraturos, sed ab omnibus actibus impudicis cum alio se cohibituros. Adde: Prohibitionem actus esse etiam prohibitionem mediorum proximè ad actum disponentium; tactus autem impudici proximè ad adulterium disponunt, præsertim si adulterii committendi animo fiant.

662. Resp. Ad 1. vel illa lex explicanda est de adulterio præsumpto; siquidem præsumitur adulter, qui cùm impudicis mulieribus frequenter conversatur; vel divortii pœnam incurri attentis juribus civilibus, quæ faciliora sunt ad concedenda divortia; non sic juxta leges Ecclesiasticas, quibus in caufis matrimonialibus standum est. Ad 2. id per accidens contingit, leges autem respiciunt in taxandis pœnis id, quod per se solet evenire. Ad 3. textus clarè loquitur, filiam deprehendi debere in ipsis actibus venereis, ideft in ipsa actus turpitudine, ut probat Barbosa l. 2. in principio p. 1. num. 71. ff. *solut. matrim.* Ad 4. in pœnis incurrendis efficax argumentum à paritate non ducitur, sed à Principis voluntate, qui pro uno delicto pœnas taxaxit, non pro alio; & plura sunt, propter quæ feudum amittitur, nec tamen ad divortium extenduntur; Ratio autem est, quia faciliùs amittitur feudum, quam dos; illud enim est feudatarii tantùm quoad utile dominium; dos autem est proprium patrimonium uxoris l. 3. *Sed utrum* ff. *de minoribus*. Ad postremum: non quæcumque fidei violatio divortio faciendo sufficit, sed illa tantùm, quæ matrimonii legem substantialiter lædit, & carnis divisionem inducit vel realiter, vel sufficienter præsumptivè; ut contingeret si uxor viro inscio, virorum conviviis interesset, aliisque hujusmodi. Pro addito dico, media ad actum disponentia non puniri, nisi prout conjunguntur cum actu; prohibentur quidem, sed pro eisdem eadem pœna non statuitur. Quamobrem statutum puniens in termino æquali modo non punit in via; sicuti dictum fuit.

663. Superest modo, ut argumenta quædam producamus, quæ contra dicta militare videntur. Primum est, quia Matth. 5. & 19. ob solam fornicationem, ideft adulterium, dixit Christus uxorem posse dimitti; atqui sodomia non est fornicatio; ergo. Hæc porrò illatio concedi debet, nam in pœnis benignior interpretatio est accipienda, ex reg. juris in 6. Secundum est, quia ex copula sodomitica nulla consurgit affinitas cap. *Extraordinaria*, 35. q. 3. Postremum est, quia conjuges tantùm legitima membra eorumque usum ad generationem necessaria mutua fide sibi ipsis promittunt & obligant; sodomitica autem copula saltem passiva huic fini non obstat; proindè &c.

Verùm ad primum jam responsio data est, scilicet fornicationis nomine non solum adulterium significatum esse, sed omnem concubitum, ex quo carnis divisio consurgat. Ad 2. antecedens est verum, at divortium non pendet solùm ex feminum commixtione ex qua progrediatur affinitas, sed etiam ex carnis in aliam divisione. Ad ultimum: in matrimonio promittuntur, & obligantur etiam corpora, ne ulli usui innaturali tradantur, aliter sodomia conjugatæ mulieris nullam haberet circumstantiam, quæ in confessione foret explicanda; quod non.

ARTICULUS II.

An dentur aliqui casus, in quibus divortium propter adulterium fieri non possit.

664. Sentiendum affirmativè. Ex hac assertione jam jam intelligis à me casus illos producendos esse, in quibus adulterium divortii causam minimè præbet. Septem porrò casus ex jure canonico colliguntur, quos hic singillatim expendam. Primus est, quando uterque conjux est ejusdem criminis particeps, seu æqualiter adulter. Hoc habetur c. *Significasti*, *de divortiis* & cap. *Intelleximus*. Ratio est, quia paria delicta mutua compensatione dissolvuntur, l. *Viro atque uxore* ff. *soluto matrimonio*. Qua in re aptissimum est illud Augustini lib. 1. de serm. dom. cap. 28. & refertur can. 1. 32. q. 6., dicentis: *Nihil iniquius, quàm fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari: occurit enim illud, in quo alterum judicas, te ipsum condemnas.*

665. Secundus casus est, si vir uxorem prostituat, vel in ipsius adulterium consentiat. Hoc habetur cap. *Discretionem*, *de eo qui cognov. consang.* Circa hoc dubitatur, utrùm ne uxor ob adulterium dimitti non possit, requiratur, ut invita à viro prostituatur. Affirmat Richar. in 4. dist. 35. art. 2. q. 1., necnon Asten. 2. p. lib. 8. tit. 11. q. 12. art. 3. quorum fundamentum est, quia in iis, quæ sine peccato committi non possunt, mandatum nullum est, & quamdiu uxor coactè non est prostituta, culpam contrahit adulterii. Id etiam colligi videtur ex Glos. in cap. *Discretionem*, quæ explicans textum Pontificis dicentis, *præsertim invitam* ait: *præsertim* idest, *tantùm*.

666. Verùm procul dubio tenendum est, uxorem ob adulterium dimitti non posse, si ex viri beneplacito sit adultera; quamvis invita non sit. Ratio hujus est, quia si mulier à viro prostituta sit, nulla viro infertur injuria per ipsius adulterium; imò ipse vir ejusdem adulterii particeps fit; sed hoc sufficit, ne à viro propter adulterium dimitti possit; ergo. Fundamentum autem expositum nullum est; siquidem concedo, mandatum illud contemnendum esse, & peccare mulierem in re prorsus illicita obtemperando; attamen ex hoc non sequitur à viro posse dimitti, cum ipsius peccati particeps fiat, & falsò à Glos. verbum illud *præsertim* usurpatur *pro tantùm*; etenim ex vi illius dictionis implicativæ asseritur certum, & denotatur idem contingere in alio casu magis dubio, ac incerto; ita ut sensus sit, si non potest uxor dimitti, quæ non coacta fuit adulterium committere, sed tantùm viro consentiente commisit, à fortiori non potest illa, quæ commisit coacta.

667. Imò res ita se habet, ut si mulier adultera fuerit sciente viro, & non prohibente, viri thoro ac cohabitatione privari non possit; dummodò sine gravi suo damno possit prohibere: Si enim dictum est, qui non prohibet, dum potest, jubet, à fortiori consentit; atque ideò l. 2. C. ad leg. Juliam, hujusmodi vir tamquam leno punitur. Hoc autem arbitror non valere de muliere respectu adulterii, quod committeret vir; non enim mulieres audent viros reprehendere, & cum sint inferiores, ad ipsos virorum delicta prohibere non pertinet; proinde earum taciturnitas consensus dici non potest.

667. Tertius casus est, si mulier fuerit vi oppressa; nam sicuti adulterium hoc culpæ non verteretur, ita nec adulterii pœnam deberet sustinere; & ita habetur l. *vim passam* ff. ad l. Juliam *de adulterio*, ex qua deducitur, hoc esse concludendum, quamvis uxor causam violentiæ dedisset, putà si vir eam admonuisset, ne ad talem locum se conferret, ne hostium vi opprimeretur; cum in dicta lege absque aliqua distin-

ctione

ctione fiat fermo, & uxoris inobedientia non fuerit ordinata, ut opprimeretur. Hoc extendunt aliqui non solùm ad adulterium ex violentia patratum, sed etiam ex metu cadente in constantem virum; quod tamen non approbo tàm facilè; nam sicuti metus cadens in constantem virum ab adulterii culpa non excusat, ita neque excusabit à pœna, & quamvis secundùm leges civiles id dici possit, non tamen secundùm leges canonicas, quæ præsertim lethalem culpam considerant.

669. Quartus casus est, si conjugi commisceatur alter sub mariti specie & bona fide: ratio est illa, quam superiùs protulimus; quia videlicet, ubi nulla culpa, ibi nec pœna; Ut autem bonam fidem non defuisse probetur, attendenda est præcedens mulieris honestas, ejusdemque juramento fides est adhibenda.

670. Quintus casus est, si mulier probabiliter credens maritum decessisse, alteri nubit; tunc enim maritus superveniens divortium celebrare non posset, l. *Uxor 7.* C. *de repud.* ratio est, quia adulterium illud non esset tale formaliter, & culpa vacaret. Hoc tamen non eveniret, si post habitam notitiam vitæ prioris conjugis, in secundo matrimonio persisteret petendo debitum, vel reddendo; quia tunc veri adulterii crimen committeretur.

671. Sextus casus est, quando conjux innocens alteri condonat adulterium, atque huic reconciliatur. Ratio est, quia divortium est in favorem innocentis; potest autem quilibet cedere juri suo. Porrò hujusmodi condonatio duplex est; una expressa, quæ fit conceptis verbis, & tunc de commisso adulterio non potest ampliùs adulter accusari, l. *Si maritus* ff. *ad leg. Juliam*. Alia tacita, quandò conjux adulterii conscius à maritali consortio alium non exclusit, vel exclusum admisit. Observa tamen, quod si reconciliatione facta in aliud adulterium relabatur, de hoc poterit accusari, & propter hoc fieri divortium, quia præcedens venia præteritum respicit delictum, nequaquam futurum.

672. Septimus casus est, si matrimonio ab infidelibus inito, datoque libello repudii, conjux dimissus ad aliud transeat matrimonium; tunc enim repudians non poterit obiicere repudiato secundi matrimonii consummationem, quæ adulterium est, quo ab illo divertat; ut habetur cap. *Gaudemus* de divortiis. Sed de hoc, cum ad infideles pertineat, nihil proferam.

ARTICULUS III.

Quid juris acquirat innocens adversùs adulterum.

673. Plura à jure concedi innocenti conjugi adversùs adulterum, manifestissimum est. Primò convenit jus conjugale debitum negandi, ut jam dictum est. 2. dimittendi quo ad habitationem, & accusandi accusatione civili apud Judicem Ecclesiasticum pro divortio celebrando, & pro dote, vel donatione propter nuptias acquirenda; atque in hoc pares sunt maritus, & uxor; quod habetur cap. *Gaudemus* de divortiis, & indicavit S. Augustinus lib. 1. de adulter. conjug. in illa verba 1. ad Corint. 7. *Si uxor à viro discesserit*. Quoad verò pœnas criminales vir quidem accusare potest uxorem adulteram, non tamen uxor adulterum virum, ut expresse habetur l. 1. C. ad l. juliam *de adulter.*, & 32. q. 1. can. *Apud misericord.* quia valdè gravius est adulterium uxoris, quam viri. 3. Innocens non tenetur reum ad reconciliationem admittere, è contrario reus tenetur admittere innocentem.

674. Hic primum dubium excitatur; utrum innocens propria auctoritate divortium facere possit, an vero sit Ecclesiæ sententia exquirenda, atque expectanda.

Qua-

illud argumentum rectè non infertur; etenim etiam in legibus civilibus statuuntur pœnę pro delictis, hæc non distinguendo in publica, & occulta; nec tamen infliguntur nisi propter delicta juridicè probata; non distinguunt autem civiles legislatores, quia supponunt ordinem juris servandum esse; & ita etiam non distinxit supremus legislator Christus Dominus in statuenda pœna propter adulterium.

678. Neque dicas neminem in conscientiæ foro teneri ad fidem fragenti fidem servandam: & sicuti propter adulterium occultum licita est separatio quoad thorum; ita etiam licita est quoad cohabitationem, cujus obligatio ex reddendi debiti obligatione consurgit; etenim primum retorquetur, si enim occultè fidem frangenti, fidem publicè negare non possum; etiam adulteræ occultè fidem infringenti publicè fides negari non potest. Secundum verò ex eo reiicitur, quod per separationem quoad thorum, cum sit occulta, non exceditur pœna debita adulterio occulto; excederetur autem per separationem quoad habitationem: & quamvis redditio debiti magis obliget, & ex ea oriatur obligatio cohabitandi; attamen illa major obligatio per adulterium occultum aufertur.

679. Cum verò adulteræ, à viro accusatæ criminaliter, debita sit pœna mortis, est dubitatio secunda: Utrum vir possit licitè in foro conscientiæ uxorem in adulterio deprehensam, necnon adulterum interficere. Sciendum namque est, plures civiles leges id permittere, quibus ducti plures Doctores, inter quos Julius Clar. lib. 5. *receptarum* ff. *Homicidium* necnon Emmanuel Sa in sum. verbo *Homicidium* dixerunt id licitum esse; leges enim civiles servari tutissimè possunt; & si id permittunt, injustæ forent, non prohibendo, cum possent, quod minimè licet. Hoc etiam colligitur ex Summorum Pontificum decretis. Nicolaus I. scribens Rudolpho Bituricensi Archiepiscopo, ut habetur C. *Interfectores* 33. q. 2. sic ait: *Interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis adulterarum, quid aliud habendi sunt, quàm homicidæ?* ergo si uxores fuerint adulteræ, homicidæ censendi non erunt. Stephan. V. ad Astulphum, & habetur C. *Admonitus* 33. q. 2. quia uxorem necaverat, sic reprehendit: *Non invenisti eam cum alio viro rem nefariam facientem &c.* non igitur reprehendisset, si cum alio viro invenisset; infertur itaque &c.

680. Dicendum tamen est, maritum propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam necantem peccare lethaliter; proinde in foro conscientiæ illicitum esse. Ita post S. Th. in 4. dis. 33. q. 2. art. 1., S. Bonavent. q. 1. art. 2. omnes Doctores, quos per paginam integram enumerat Sanch. hic disp. 8. num. 39. Manifestum est hoc ex cap. *Inter hæc* 33. q. 2. ubi à Nicolao I. rescriptum habuit Albinus Archiepiscopus, uxorem interficere licere secundum leges humanas, nequaquam secundùm Ecclesiasticas; & Christus in evangelio adulteram dimittendi facultatem dedit, interficiendi, nunquam dedit; leges autem civiles homicidium permittentes, id efficiunt, ut impunè coràm hominibus id peragatur; non coram Deo.

681. Respondeo superioribus argumentis. Leges civiles servari licet, quandò aliquid jubent, vel approbant; non quandò solùm ob alium finem polyticum permittunt, ut in casu; & ille injustè permittit, cum prohibere possit, quandò graviora mala probabiliter non timentur; utraque responsio est S. Th. prima in 4. dis. 39. q. 2. art. 1. ad 2. secunda dis. 33. q. 2. art. 2. quæstiunc., 2. ad 1. Pro Nicolai decreto addendum est cum Glos. in illud cap. *maximè cum non addis.*, ita ut velit Pontifex, in utroque casu esse peccatum, gravius tamen, si uxor innocens esset. Pro secundo dicas, mulierem in

in adulterio non fuisse deprehensam, non efficit, illam occisionem injustam fuisse, sed occisionem fuisse magis crudelem, atque scelestam, ob quam gravius à Pontifice fuit redargutus.

682. Quid verò sentiendum est, si maritus interficeret uxorem adulteram sibi à judice traditam, ut occidat, si velit? licitè ne occideret?

Sentio affirmative; dummodò interficeret non livore vindictæ, sed zelo justitiæ. Si enim judex potest id carnifici mandare, nec peccaret carnifex, quare id marito committere non poterit, nec maritus peccare? & si dicas, primum esse ministrum necessarium, alium verò liberum, parum refert; nam revera uterque est minister exequens justam sententiam, & ex publica auctoritate, quam judex, licet non præcipiat, marito communicat, ut ea utatur, prout ipsi magis placuerit.

ARTICULUS IV.

Utrum teneatur vir ad uxorem in adulterio persistentem dimittendam.

683. POsse uxorem adulteram à viro dimitti ex superiùs dictis apparet; nunc quæritur, utrùm non solùm possit, sed etiam debeat. Et quidem in hoc puncto aliqui Doctores admodùm strictè loquuntur, docentes quod si mulierem in adulterio persistentem vir non dimittat, lethaliter peccet. Pluribus momentis ducuntur. *Si vir. De adult.* hæc leguntur C. *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus criminis particeps.* Cap. *Si quis* causâ 22. q. 1. hæc habentur: *Maritus, qui habitaverit cum uxore adultera, tribus annis subjicitur pœnitentiæ.* Libro 6. constit. c. 14. dicitur: *Qui retinet eam, quæ legem naturæ violavit, legis violator est.* Priùs verò Proverb. 18. dictum erat; *Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens.* Hoc docuerunt etiam Sancti Patres: in cap. *non solum* 28. q. 1. affertur S. Augustin. lib. 2. de adulter. conjug., cap. *Dixit Dominus* 32. q. 1. affertur S. Hieronym. in caput 19. Matthæi, cap. *Si quis crudelis*, ibidem affertur S. Joan. Chrysost. hom. 32. operis imperfecti in Matth. & verba sunt ista: *Sicut crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit uxorem; ita fatuus est & injustus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est.* Ex hisce capitibus facilè rationem colliges, videlicet, si vir uxorem in adulterio persistentem non dimitteret, maximam scandali ansam præberet; omnes enim jure merito suspicari possent, ipsum ejus adulterio consentire, & quodammodo lenonem esse; prolem incertam redderet; ipsique non legitimi hæredes succederent; quod est contra bonum Sacramenti, & in hæredis legitimi detrimentum. Ideò hanc sententiam tradiderunt S.Th. in 4. dist. 35. q. unica art. 2. Bonavent. ibidem q. 2. art. unicò. Richar., Duran., Paludanus, & fermè omnes antiqui, unanimi consensu dicentes hanc obligationem oriri ex debito correctionis fraternæ, ad quam tenetur vir tamquàm caput uxoris, & debito vitandi scandali, ne videatur maritus uxoris licentiæ consentire.

684. Contrarium existimant communiter Recentiores, Sanch. hic disp. 13., Coninch., Tancred., Aversa, Capsen. &c. atque horum sententiam censeo præhabendam esse; si loquamur per se.

Ut hoc probem; in primis considero adulterii naturam, & virum debere ab uxore adultera etiam pertinaci & publica divertere, nullum præceptum invenio. Matth. 5. & 19. Christus Dominus licitum propter adulterium pronuntiavit divortium; hoc tamen non præcepit, ut patet ex contextu, & observavit S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 27. Ratio etiam id expo-

expostulat; divortium enim est pœna adulterii; hanc igitur subire vir innocens non tenebitur, & si divortium in favorem innocentis inductum est, poterit innocens huic suo juri cedere; proinde &c. Sed neque afferri potest præceptum Ecclesiasticum; si enim hoc, præsertim ex textibus superiùs adductis, verùm quo pacto intelligi debeant, inferiùs explicabo.

685. Secundò ratiocinium sic efformo, evertendo opposita fundamenta. Si vir tenetur ad dimittendam uxorem in adulterio persistentem, vel est titulo correctionis fraternæ, vel titulo scandali vitandi; sed ex nullo capite tenetur; ergo. Priùs correctionis fraternæ præceptum inspiciamus. Hoc satis servabitur, si vir uxorem admoneat, si eam etiam potestate sibi tradita puniat, & si hæc non sufficiant, quæ spes emendationis supererit? Separata à viro magis liberè cum suis amasiis versabitur; triumphum imo aget, se videns nulli ampliùs esse subjectam: & quamvis etiam per separationem factam aliqua spes emendationis præluceret; attamen neque vir tenetur ad id omne, quod evenire potest, neque præceptum charitatis cum tanto incommodo viri constringit. Quis autem non videt, maximum viro incommodum ac detrimentum contingere, si ad adulteram uxorem dimittendam teneretur? Quid, quod ferme evitari non poterit, si carnis stimulis excitabitur, & continentiam servare non poterit? Quid si ministeriis domesticis indigebit? Quid si ad Judicem res deferenda sit, ac tres sententiæ, ut moris est in causis Ecclesiasticis, conformes non sine magnis sumptibus expectandæ? Non igitur in hac re fraternæ correctionis urget præceptum.

686. Superest itaque ad hoc teneri, ut scandalum evitetur; sed neque ex hoc capite strictum adeò debitum consurgere deprehendo; Si adulterium, in quo persistit uxor, occultum sit, jam nullum scandalum, imò scandalum fiet si dimittatur, nec mediocris infamia eam dimittenti proveniet; Si autem publicum; an desunt alia media, quibus maritus, se uxoris adulterio non consentire, palam ostendat? Quod si mediis istis adhibitis aliqui nihilominùs eum consentire suspicentur ac sibi persuadeant, hoc erit scandalum acceptum non datum, & sibi vertant, qui ita suspicari volunt, ac sibi persuadere.

687. Ex istis facilè explicantur textus adducti num. 683. nimirùm eos intelligendos esse in casu, quo vir uxorem adulteram non admoneret, alioque modo corrigeret; neque publicè quid ageret, quo omnibus satis compertum esse posset, sibi summopere uxoris turpitudinem displicere; quæ si omnia adhibeat, cessant rationes, quibus textus illi innituntur; & in hoc sensu facilè conciliabis sententiam veterum & recentiorum. Validiùs probare videtur id, quod de prolis incertitudine, ac de illegitimo hærede dictum fuit. Fundamentum hoc promovet Petrus de Ledesma quæst.2. de matrim.art.2.concl.2. Verùm existimo non satis probare, siquidem ad evitandum periculum alicujus eventus incerti non tenetur vir cum certo suo detrimento; & magis vir consulere sibi debet, ne obligetur ad perpetuam cœlibem vitam ducendam cum periculo incontinentiæ moraliter certo, quàm suæ prolis, ac legitimorum hæredum incertitudini; præsertim quia vir omnia alia media supponitur adhibere, ne prolis incertitudo contingat; & reverà tot Doctores antiqui hanc incertitudinem non objecerunt; quod tamen ab ipsis fact um esset, si inde firmum & efficax deduci potuisset argumentum.

688. Inferes, multo minùs teneri uxorem ad dimittendum virum, qui velit in adulterio persistere, multo minùs inquam: quia etsi concederemus, obligationem istam viros afficere respectu uxorum; non tamen afficeret uxores

res respectu virorum; Quodnam enim scandalum ingeret uxor, si virum adulterum non dimittat? Uxores ægerrimè ferre, viros suos aliis commisceri, satis manifestum est, sicut & constat in uxoribus viros cohibendi potestatem non esse; Præceptum etiam correctionis fraternæ uxores obligare non potest; quamvis enim inferior possit verbis corrigere & admonere superiorem; attamen nullam pœnam tenetur infligere, & ex alia parte, si ab uxore dimitteretur, major pro adulteriis committendis licentia ipsi præstabitur, tantùm abest, quod emendationis spes possit haberi. Ut tamen verum fatear, in hisce rebus vix aliquid certi decerni potest. Attendendas existimo circumstantias personarum, & juxta hasce regula à prudentia est exposcenda.

ARTICULUS V.

Utrum uno conjuge in hæresim labente, possit alter ad Religionem transire, & si vir sit, ad Ordines sacros.

689. Suppono tamquàm certum, hæresim, quæ appellatur etiam fornicatio spiritualis, esse sufficientem causam pro divortio celebrando contra Kemnitium, aliosque Hæreticos asserentes, ex Christi sententia solam fornicationem causam hujusmodi posse præbere; de qua re nonnulla diximus, ubi de matrimonii indissolubilitate, neque hìc ampliora proferemus. Si quis ea velit, adeat Bellarminum lib. 1. de matrim. cap. 14., Maldonat. in cap. 5. Matth. num. 32., Sanch. hic disp. 15., aliosque, qui præclarè in eam Christi sententiam scripserunt.

690. Difficultas est igitur; utrùm conjux Catholicus divortio jam facto propter hæresim alterius possit liberè vel Religionem ingredi, vel sacris Ordinibus initiari; & quamvis Doctores conveniant, teneri ad illum resipiscentem admittendum, si nondùm ab Ecclesia lata sententia sit; attamen post latam sententiam valdè discrepant.

Quatuor sententias lego. Prima distinguit: si Catholicus propria auctoritate ante Ecclesiæ sententiam divertat, & Hæreticus unius vel alterius tantùm hæresis reus sit, Hæreticum emendatum debet admittere; si verò in varias, ac iteratas hæreses sit prolapsus, non debet statim admittere, sed expectare biennium, ut experimento resipiscentiam comprobet; quod si intra biennium emendationis plenæ signa non præbeat, integrum erit Catholico ad Religionem, Ordinesque sacros transire. Ita Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 17. afferens Paludan., Sylvestr., & Ledesmam; quodnam autem hujusce opinionis sit fundamentum, non legi.

691. Secunda sententia est: Catholicum propria auctoritate discedentem teneri redire ad Hæreticum jam emendatum; si autem Ecclesiæ judicium præcessit, ad id non teneri, si velit ingredi Religionem; secus verò, si velit in sæculo permanere. Fundamentum desumitur ex cap. *finali* de convers. conjug., in quo discedenti prævio Ecclesiæ judicio plena libertas non conceditur, sed conditionata, nempè si ad religionem transeat. Verba textus infra afferemus. Hanc docent Hostien. in Summ. tit. de divortiis n. 12. Graff. 2. p. decis. lib. 1. cap. 12., Barthol. de Ledes. de matrim. dubio 54. §. penult. pluresque alii.

692. Tertia sententia est, si divortium factum sit propria auctoritate, sive ex Ecclesiæ sententia compellendum esse catholicum ad admittendum conjugem hæresim abjurantem, ac resipiscentem. Hæc est Goffredi in Summ. tit. de convers. infidelium num. 4. Rationem affert, quia quod statutum fuerat in cap. *De illa de divort.* fuit correctum per caput, *Quanto*. Eodem titulo.

693. Quarta denique opinio est; catholicum recedentem ab Hæretico absque Ecclesiæ judicio, sed propria aucto-

auctoritate, teneri ad recipiendum in maritale consortium conjugem emendatum ac resipiscentem; Si autem recedat præmissa Ecclesiæ sententia, liberum esse. Hæc est communior, quamvis & secunda satis probabilis censeatur. Porrò ita divisi sunt Doctores propter duos textus, qui inter se opponi videntur. Illos jam subdo: Primus est cap. *finali de convers. conjugat.* ubi leguntur hæc verba: *Mulier, quæ in fide remansit, postquam nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad religionem liberè convolare*: nomine autem infidelitatis intelligitur hæresis, ut testantur Glos. ver. *remansit*. Hostien. ibidem, & Abb. Alter textus est cap. *De illa. De divort.* ubi sic habetur: *De illa, quæ à viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier ei, cum reversus fuerit, sit reddenda; Si verò judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.*

694. Posteriorem igitur opinionem sequens, eam suadeo ex textibus mox allatis, in quibus disertis perspicuisque traditur verbis, ut compertum est. Neque dici potest, decisionem, in iis traditam, correctam fuisse per cap. *Quanto. De divort.* etenim in eo tantùm sermo est de muliere, quæ proprio judicio à viro Hæretico separata est, unde compellitur ad eum emendatum recipiendum. Quod in cap. *finali* dicitur, posse ad religionem liberè convolare, non inde inferas, quod si in sæculo permanserit, debeat illum recipere, ut ferebat secunda sententia, quasi quod in religionem ingressus sit conditio ad plenam libertatem obtinendam; etenim ibi conceditur liber transitus ad religionem; ergo ad illum conjux, qui Ecclesiæ judicio recessit, non est compellendus, ut semper ab alio sit separatus, sed datur optio, ut si velit transire, transeat, vel si velit in sæculo permanere, remaneat; & Pontifex non expressit transitum liberum ad religionem, itaut pro eo solum eventu daretur divertendi facultas; sed supponens casum minùs difficilem, exprimit casum difficiliorem, & concedens facultatem transeundi ad religionem, omninò illum eximit ab omni obligatione conjugali non solùm debitum reddendi, sed etiam cohabitandi. Præterea: ne dicamus caput *De illa* correctum esse per caput *Finale*, fundamentum habemus; primo ex regula generali, qua dicitur, juris correctionem, tamquam odiosam esse vitandam, quantùm fieri potest cap. *Cum dilectus.* & l. unica, *C. de in offic. dotibus.* Secundò, quia decreta posteriora, ubi expresse prioribus non adversantur, sunt ex illis supplenda, & intelligenda, quibus legum correctio evitetur l. *Sed & posteriores*. Denique: negari non potest saltem verba textuum esse dubia; igitur in odiosis, ut est juris correctio, in benigniorem partem sunt accipienda.

695. Si autem à me petas, quare id non liceat, si divortium factum sit propria auctoritate, liceat verò, si præcesserit Ecclesiæ judicium, dicam; hoc esse discrimen inter utrumque divortium, quod factum propria auctoritate, est tantùm propter evitandum perversionis periculum; factum ex Ecclesiæ judicio, est in pœnam Hæretici; ideo, cum Hæretico emendato ejus perversionis periculum cesset, cessat etiam divortium; cum verò pœna non cesset, perseverat etiam, si velit alter conjux, divortium.

696. Poterit igitur conjux catholicus liberè ad religionem convolare; poterit igitur, si vir fuerit, sacris etiam ordinibus initiari, quia conjux Hæretica omni jure conjugali est destituta; & eadem est ratio de ordinum susceptione, quæ pro ingressu in religionem; quia in utroque casu fit perpetua status mutatio cum perpetuæ castitatis obligatione.

697. Hic verò excitari potest difficul-

cultas; utrùm Hæreticus damnatus, & posteà pœnitens possit ad religionem transire, & ordines suscipere invito conjuge catholico in sæculo permanente. Hic non ago de irregularitate contracta, sed tantùm ex parte vinculi matrimonialis.

Sentio non posse. Hoc in primis probari posset paritate adulterii carnalis, ex quo, si divortium sequatur, non potest reus ad religionem transire, vel ordines suscipere, si alter sit invitus, & licentiam neget; atque ideò, si religionem absque tali licentia ingrederetur, posset à catholico, & ab innocente revocari, & si professionem emisisset, illa esset nulla, ut benè inferunt Sylv. & Palacios. Secundò: etiamsi id verum non esset in divortio facto ab adulterium carnale, adhuc de facto ob hæresim affirmari deberet; siquidem in divortio priori, conjux innocens, ad cujus instantiam fertur divortii sententia, cedit juri suo, tacitamque licentiam statum mutandi concedit adultero; hoc autem in adulterio spirituali, propter quod divortium factum est, locum non habet, quia pœna divortii imponitur propter delictum hæresis, hocque necessariò comitatur; licet nihil catholicus petat, datur. Ratio porrò est, quia ideò in adulterio carnali compensatio datur, ita ut si uterque adulter est, nequeat unus ab alio divertere, quia divortium ob adulterium carnale est prorsùs in favorem conjugis innocentis, & istè solus pœnam hanc adultero potest infligere & ideo si neuter innocens est, hoc privilegio caret; at divortium ob adulterium spirituale non est principaliter, & directè in alterius conjugis favorem, sed in pœnam delicti; & ideò qui reus est punitur in eo, in quo est reus, & sic à debito conjugali alter absolvitur; neque ex quo alter conjux in eandem pœnam inciderit, alter eximitur à pœna, in quam incidit; præsertim quia hujusmodi pœna imponitur ab Ecclesia independentér ab alterius conjugis voluntate. Ex quibus habes, nihil obstare, delicta esse æqualia, proindè mutua compensatione aboleri; nam tunc est verum, delicta paria mutuo compensari, quando pœna delicto correspondens est in alterius favorem inflicta.

699. Hæc, quæ dicta sunt, intelligi debent, si uterque in hæresim lapsus æquali modo sit damnatus; nam si unus esset damnatus, alter non, hic ab eo poterit omninò divertere; nequaquam ille, nisi ad tempus donec resipiscat, & tenebitur ad resipiscentem redire; donec condemnetur; quia in condemnato reperitur causa sufficiens divortii perpetui, in non condemnato autem tantùm ad tempus, ut constat ex dictis art. præceden.

ARTICULUS VI.

Utrum si uterque conjux reus sit adulterii spiritualis, vel unus carnalis, alter spiritualis, neutri divortium facere liceat.

698. Quæstio hæc fit de adulterii compensatione, quam in adulterio carnali esse admittendam, omnes concedunt, & nos alibi attigimus.

Sentio primò, quod si uterque conjux reus sit adulterii spiritualis seu hæresis; poterit uterque altero invito divertere, atque divortium facere, donec mutuò consensu ad pristinum matrimonii statum redierint; proinde in hoc adulterio compensatio non

700. Si autem comparatio fiat inter adulterium spirituale, & carnale, ita ut unus conjux sit reus primi, alter verò secundi.

Sentio 2. inter utrumque adulterium non dari compensationem, & ideo hæreticus spiritualiter adulter poterit divertere à catholico, qui reus sit adulterii carnalis, & catholicus corpore adulter ab hæretico.

Moveor ad hoc dicendum, quia vel

vel adversùs hæreticum lata sententia est, vel non. Si primum dicatur, non est æqualis causa divortii, quia hæresis illa est causa divortii tantùm ad tempus donec hæreticus resipiscat, adulterium autem carnale est causa divortii perpetui; ergo poterit hæreticus nondùm damnatus ab adultero divertere, non è contra, nisi ad tempus, donec corrigatur. Si verò affirmetur secundùm, diversa est ratio divortii in utroque delicto; nam in carnali adulterio ratio desumitur à fide violata homini, & à divisione carnis in alium, in spirituali verò ex fide violata Deo, & pœna ab Ecclesia inflicta, unum autem reddi non potest in compensationem alterius, quando delicta sunt diversæ rationis, & diversum respiciunt obiectum; Quare hæreticus petet divortium in pœnam violatæ fidei ac divisionis; catholicus verò adulter petet divortium in pœnam hæresis, & sic neque adulterium catholici tollet pœnam debitam hæretico; neque hæresis tollet pœnam debitam adulterio; atque ideo uterque poterit separari. Res exemplo demonstretnr. Sit sponsa, quæ fornicata sit, & sit sponsus, qui lepra laboret; uterque jus habet à sponsalibus recedendi, & quia causæ diversæ rationis sunt, sponsæ servari fidem petenti obstabit propria fornicatio, & sponso obstabit lepra; ita in re nostra, sit una carnaliter adultera, sit maritus hæreticus, uterque poterit divertere, uxori obstabit ut debeat retineri à marito adulterium carnale; marito obstabit, ut debeat retineri ab uxore, propria hæresis.

701. Fuerunt plures Doctores asserentes, adulterum carnalem divertere posse ab adultero spirituali, seu hæretico; non tamen adulterum spiritualem à carnali; ratio ipsorum est, quia ad justam compensationem requiritur æqualitas inter res compensandas; adulterium autem spirituale multò gravius est, quàm carnale; igitur hæc delicta conpensari non possunt, sed qui levioris delicti reus est, ab eo poterit discedere, qui reus est gravioris; non è contrario. Sic opinantur Paludan. in 4. dis. 35. q. 1. art. 2., Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 4. aliique.

701. Hoc tamen non placet, cum falsum sit fundamentum, pro divortio enim non consideratur major gravitas delicti in se, & absolutè, sed per respectum ad matrimonium; porrò in hac consideratione gravius est adulterium carnale, quàm spirituale, ut optimè dixit Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 17. §. *Respondet nonnulli*, & ideò potius dicendum esset adulterum spiritualem divertere posse à carnali, quam carnalem à spirituali. Verùm firmum maneat, quod dixi in assert. 2. n. 700.

ARTICULUS VII.

Cujus expensis filii sint alendi ac educandi si culpa alterius fiat divortium, vel etiam absque culpa, puta, si matrimonium nullum fuisse, comperiatur.

703. IN hac re textus habemus tam in jure communi antiquo, quàm in novo. In primo res committitur judicis arbitrio, & l. unica cap. Divortio facto hæc habentur: *Competens judex æstimabit, utrum apud Patrem an apud Matrem matrimonio separato filii teneri ac nutriri debeant*. Porrò hoc arbitrium ad id se protendebat, ut priori triennio filii apud matrem educarentur, post verò apud Patrem; ut legitur l. *Filium* cap. *de patria potestate*, nisi tamen aliquæ sese obiicerent circumstantiæ, quibus perspectis, aliter esset definiendum. In jure autem novo statutum est, ut si culpa alterius divortium factum est, proles apud innocentem remaneat, & sic expresse traditur in authent. *Ut liceat Matri, & Aviæ* §. *Illud* collat. 8. ex qua habetur authent. *Si Pater* C. *divortio facto* ubi hæc leguntur: *Si Pater causam divortii præstite-*

stiterit, *apud Matrem ad secundas nuptias non venientem liberi nutriantur Patris expensis*; *si verò contra*, *tunc apud Patrem Matris locupletis expensis*, *nisi Pater minus idoneus sit*. *Tunc enim apud matrem locupletem nutriantur*. Quamvis verò verba illa, *Matris locupletis expensis* non sint in originali authentica, sed addita sint ab Irnerio privato doctore, cujus authoritatis non est legem condere; nihilominùs merito addita sunt; quia Pater, & Mater correlativa sunt, & ideo dispositum de uno censeri debet dispositum etiam de alio. Verum tamen est, quod conjux delinquens ante judicis sententiam pœnam hanc subire non debet, cum hoc sit commune in omni lege pœnali, ut nemo ad persolvendam pœnam teneatur, nisi judicis sententia præcedat; unde ad eas solas expensas tenebitur antequam condemnetur, ad quas secluso delicto priùs tenebatur.

704. Si autem divortium factum sit vel utriusque culpa, puta quia unus sit hæreticus condemnatus, & alter carnaliter adulter, in quo casu uterque est in causa divortii, & delictis non compensatis licitè potest divertere, ut in superioribus dictum est; vel culpa neutrius, ut quando mutuo consensu conjuges separantur, ut emisso voto vitam cælibem ducant, servandum est, quod decretum fuit in priori textu à nobis producto; nempe, ut minor triennio educetur à Matre, major vero à Patre; quia sicuti in re nulla est facta mutatio, ita nulla fieri debet in jure.

705. Superest igitur, ut aliquid resolvamus casu, quo suscepta prole matrimonium nullum fuisse, compertum fiat. Tunc procul dubio communibus expensis alenda est, ut habet textus C. *Qui filii sint legitimi*, ubi dicitur: *De parentum facultatibus nutriantur*. Ratio manifesta est, quia non est, cur filius majus onus addere debeat patri quam matri, vel è contra. Hoc valet, si uterque fuerit in bona fide, etenim si unus fuisset in bona fide constitutus, & alter in mala, filius nutriendus esset ab isto, nisi hic admodùm pauper esset, alius vero dives, etenim æquum non videtur, ut conjux bonæ fidei hujusmodi onus sustineat, sed decipienti imponendum erit. Quod si uterque mala fide perductus sit, tunc proles illegitima est existimanda; ac proinde de illius alimentis ita est judicandum, sicut de alimentis aliorum, qui sunt illegitimi. Atque ista de divortio sufficiant, plura enim sparsim adduximus, de quibus fusiori calamo disputationes apud alios reperiuntur.

SECTIO UNICA.

An Matrimonio præferenda sit Virginitas.

706. QUæstionem hanc fermè resolvimus, ubi de nuptiarum honestate adversùs Manichæos, aliosque pertractatum est, in obiectionum enim solutione plura dicta sunt, quibus constat, quod etsi nuptiæ licitæ sint, & bonæ; attamen ipsis præhabenda sit virginitas. Quia tamen Jovinianus priùs, deinde novissimis diebus Lutherani, & Calvinistæ nuptiarum bonum ita extulerunt, ut Virginitati, & continentiæ vel illas æquare, vel etiam anteferre ausi sint; ideò peculiari sectione rem agendam esse non immeritò existimavi.

707. Procul dubio autem adversùs istos tenendum est, Virginitatem esse bonum valdè excellentius. Hoc in primis demonstratu haud quaquàm difficile est, si Jesu Christi servatoris nostri dicta perpendamus. Occurrit parabola seminantis, quæ Matt. 13. exponitur. *Exiit qui seminat, seminare... & dum seminat, alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Qui habet aures audiendi, audiat*. Aures audiendi habuerunt SS. Pa-

SS. Patres, & nuptiis fructum trigesimum tribuerunt, viduitati sexagesimum, virginitati centesimum. Audi præ cæteris Hieronymum lib. 1. contra Jovin. cap. 1. dicentem. *Centesimus, & sexagesimus, & trigesimus fructus, quamquam de una terra, & de una semente nascatur, tamen multum differt in numero, triginta referuntur ad nuptias, sexaginta ad viduas, centesimus numerus exprimit virginitatis coronam.* Ampliùs id ostendit cap. 19. ubi cum dixisset, dimittentem uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam ducentem mechari, reponentibus, *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere* subiunxit. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum: Qui potest capere capiat.* Potuerunt capere Sancti Patres; atque eos, qui propter Regnum Cœlorum se castraverunt, omnibus prætulere. Sanctum Hieronymum præ aliis pro priori textu in medium attuli, adducam etiam pro isto; nam lib. 1. contra Jovinian. cap. 7. sic loquitur: *Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum; mihi illi Eunuchi placent, quos fecit, non necessitas, sed voluntas; libenter illos in meos sinus recipio, qui à nuptiis abstinuerunt propter Regnum Cælorum; grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre domino, & juxta Apostolum esse Sanctum corpore, & spiritu.*

708. Apostolum adduxit Hieronymus, ego verò nunc Apostoli sententiis quod intendo magis confirmabo. Duos ejusdem proferam textus, qui leguntur in 1. ad Corint. cap. 7. In priori profitetur se Domini præceptum non habere, consilium autem dare, quodnam consilium? *Alligatus* inquit, *es uxori? noli quærere solutionem, solutus es ab uxore? noli quærere uxorem*; inde concludit: *Igitur qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, meliùs facit.* Dici ne hoc potuisset, si nuptiæ vel æquales forent, vel præferendæ virginitati? Iniquus fuisset consiliarius, si vel tantùm æquale, vel etiàm deterius consuluisset. In secundo sic effatur: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat uxori, & divisus est; & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu; quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Argumentum hoc adeò clarum est, ut nulla egeat aut propositione, aut expositione.

709. Quod si Patrum sententiis id vellem exponere, atque exornare, procul dubio tomus integer non sufficeret: tam præclarè, tam effuse de virginitatis laudibus scripserunt, ut fermè nullus fuerit, qui omni loco & tempore eam summoperè non commendaverit. Novimus, Tertullianum lib. 1. ad uxorem, Virginem Angelicæ familiæ deputare, novimus Cyprian. de habitu Virginum, virginitatem colentes dixisse, florem Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustriorem portionem gregis Christi, Angelis Dei in terris æquales. Quid verò non dixit Ambrosius in omnibus fermè epistolis suis? id sufficiat quod lib. 1. de Virginibus exponens verba Pauli: *Qui matrimonio jungit Virginem suam &c.* dixit, nimirum: *Illa non peccat, si nubat, hæc si non nubat, æterna est; ibi remedium infirmitatis, hic gloria castitatis; illa non reprehenditur, ista laudatur:* ampliora ibidem leges, quæ prætereo. Sed prætereo etiam Augustinum in lib. de sancta Virginitate, & de bono conjugali. Theodoret. lib. 5. hæretic. fabul. cap. 24., Joan. Chrysost. Athanas., sexcentos alios, qui omnes de Virginitate libros inscripserunt; afferam tantùm Fulgentium epist. 3. ad Probam cap. 9. ita scribentem: *Tantum*

dicimus, à sanctis nuptiis virginitatem distare, quantum distant à bonis meliora, à terrenis cœlestia, à beatis beatiora, à mortali connubio immortale connubium &c. nec dubitamus dicere, tantum à sancta Virginitate carnis & spiritus, fidelium conjugatorum, licet à Deo concessum, distare concubitum; quantùm similitudo pecorum ab imitatione discernitur Angelorum.

710. Quidquid tamen vel à me, vel à quovis alio me doctiore dici posset, exhibuit Concilium Tridentinum sess. 24. can. 10. ita definiens: *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, & non esse meliùs ac beatiùs manere in virginitate vel cœlibatu, quàm jungi matrimonio; anathema sit.* Hoc, quod Tridentinum decrevit, multo ante, idest, definente sæculo 4. statutum fuerat contra Jovinianum à Siricio Summo Pontifice in Concilio Romano; ut fidem facit idem Siricius in epist. 11. ad Ecclesiam Mediolanensem: Ejus epistolæ liceat aliqua verba producere: *Nos*, inquit Pontifex Maximus, *sanè nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamini interfuimus, sed Virgines, quas nuptiæ creant, Deo devotas majore honorificentia veneramur. Facto ergo Presbyterio constitit, doctrinæ nostræ, idest Christianæ legi esse dogmata Joviniani contraria: Unde Apostolicum secuti præceptum, quia aliter, quàm quod accepimus, annuntiabant, omnium nostrum tam Presbyterorum, quàm Diaconorum, quàm etiam totius Cleri una suscitata sententia, ut Jovinianus & alii divina sententia, & nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.*

711. Rationes plures Theologicas proponere possem, sed ex dictis satis colliguntur. Hic unicè addam: Christum perpetuam virginitatem coluisse; Matrem perpetuò virginem sibi elegisse; ac præ cæteris Discipulis dilexisse Joannem, quia singularis prærogativa castitatis eum ampliori dilectione fecerat dignum. Verùm Joviniani, aliorumque argumenta rejiciamus.

712. Opp. 1. Opus, cui præmium æquale respondet, æquale in merito est; sed conjugio, ac virginitati æquale meritum respondet; ergo. Prob. mi. ex parabola operariorum in vinea, Mat. 20. qui pari denarii mercede donati fuerunt; unde & conquesti sunt, qui primo mane conducti fuerunt, quia æqualem cum aliis mercedem receperint.

Argumento huic responsum fuit in nostro IV. Tomo, ubi de beatæ visionis inæqualitate pertractatum est. Consule. Notum tibi est, vitam æternam quo ad rem & materialiter omnibus eamdem esse; esse tamen inæqualem in gradu & perfectione; stella differt à stella, in gloria, & in domo Patris, quæ eadem est, mansiones multæ sunt.

713. Opp. 2. Qui matrimonio virginitatem præfert, injuriam facit Deo, qui fuit author matrimonii; & favet errori Manichæorum, qui nuptias malas esse dicebant; ergo.

Resp. Manichæis nequaquàm favere; neque enim dicimus, nuptias esse malas, sed tantùm minùs bonum; nuptiis nihil detrahimus, in magna domo, qualis est Ecclesia Christi, sunt vasa aurea, argentea, lignea; si dicas vasa aurea pretiosiora esse argenteis, numquid argento facis injuriam, aut aliquid ipsi detrahis? Honorabiles sunt nuptiæ, & thorus immaculatus, sed honorabilior virginitas; Ita igitur nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus. Ex hoc jam tenes, nullam injuriam fieri Deo, qui author nuptiarum fuit, inter enim donum & donum magna diversitas est. Author est Deus rerùm omnium, numquid igitur injuriam inferet Deo, qui unam alteri præfert?

714. Opp. 3. Et simul contra responsionem expositam instabis. Si matrimonium tale est, ut Virgines Deo pa-

pariat, jam vel æquari debet virginitati, aut tamquàm excellentius prædicari; ergo. Adde, quod dempto matrimonio nullus eſſet, qui Deum coleret.

Reſp. laudem hanc non eſſe propriam matrimonii, ex quo indifferenter naſcuntur omnes, ut eſſe poſſint, vel Dei cultores, vel contemptores, vel caſti, vel impudici; imò omnes naſcuntur filii iræ. Quod in argumento dicitur, non temporali nativitati, ſed ſpirituali atque religioni eſt tribuendum; Nullus eſt Virgo, niſi qui de Eccleſia Chriſti Sponſa naſcitur. Cæterùm ex illo argumento etiam ſtupra & adulteria forent virginitati præferenda. Diſertiſſimè de hoc agit S. Auguſt. lib. de ſancta virginitate cap. 9. lege, ſi placet.

715. Opp. ultimò. Quando duo concurrunt, quorum unum præceptum eſt, alterum tantùm ſub conſilio, illud præferendum eſt iſti; atqui matrimonium præceptum eſt, cum in ipſis Mundi primordiis dixit Deus: *Creſcite, & multiplicamini*; Virginitas eſt tantùm ſub conſilio, ut conſtat ex verbis Apoſtoli; ergo.

Reſp. ſingulas propoſitiones eſſe falſas. Falſa eſt major; aliter tota Evangelii perfectio ſubverteretur. Ea, quæ præcepta ſunt, plerumque in naturæ legibus continentur, ut conſtat in iis, quæ in Decalogo præſcribuntur; quæ verò ſub conſilio ſunt, naturam prætergrediuntur, atque ad heroicam perfectionem aſpirant. Falſa eſt minor; in illis enim verbis non præceptum datum eſt, ſed tantùm benedictio conceſſa, ut alibi obſervavimus; & quamvis tunc præceptum fuiſſet, poſteriora tamen noſtra tempora non reſpiceret, ſaltem quo ad omnes & ſingulos. An non Joſue, Elias, Eliſæus, Jeremias, Joannes Baptiſta cœlibem vitam duxerunt? Quod ſi præceptum foret, Apoſtolus præcepti tranſgreſſionem conſuluiſſet: Quid turpius & iniquius dici poteſt?

DISPUTATIO UNICA

De Parentum erga filios obligatione.

716. Parentum obligatio erga filios conſiderari poteſt, vel ad filios jam conceptos, & in utero exiſtentes, vel jam natos; Alii dicerent vel in fieri, vel in facto eſſe. Sub utraque conſideratione rem expendemus, non quidem quantùm ad omnia, ſed ad magis præcipua.

ARTICULUS I.

De Abortu.

Unum ex præcipuis, in quo propriæ obligationi parentes deficerent, eſſet prolis abortus. Hic bifariàm contingere poteſt, vel impediendo ne fœtus concipiatur, atque perducatur ad eam perfectionem, qua anima rationali actuetur, vel quandò jàm anima rationali præditus eſt, id efficiendo, quo in utero matris intereat. Utrumque grave peccatum & flagitium eſt; & contra utrumque plura ſcripſerunt non tantùm Sancti Patres, verum etiam Philoſophi Ethnici. De primo abortu id oſtenditur; quia impedire, ut fœtus concipiatur, vel ut animetur, eſt agere contra finem generationis intentum à natura; & uſus conjugii pervertitur, dum præcipuum ejus bonum excluditur: *Coire, non ad liberorum procreationem, eſt facere injuriam naturæ*, inquit Auguſtin. lib. 14. de Civit. cap. 16., & ſi id fieret in

in odium mariti, ut prole defraudaretur, esset peccatum contra justitiam; sicuti si colono post excultum agrum, terræ semen commissum dissiparetur, vel extraheretur.

717. Longè tamen gravius scelus est, si fœtus jam anima præditi ex parentum culpa sequatur abortus. De hoc quæstio moveri potest, utrum sit verum homicidium; proinde si fiat vel à patre, vel à matre, sit parricidium. Aliqui Doctores hoc negarunt, inter quos Menoch. de arbitrar. casu 357. num. 9., Tiraquel. ad l. *Si unquam* C. de revoc. donat. ff. *Si susceperit liberos*, necnon Thesaurus in decis. Pedemont. 22. Hocque multò magis docuit Joannes Marcus Medicus in lib., qui inscribitur: *Idearum operativum*, asserens, fœtum anima carere, donec in utero matris gestatur; & tunc ea tantummodo informari, cum paritur; quod probabile etiam putavit Joannes Caramuel in Theologia Morali num. 1163.

718. Fundamentum priorum est, quia infans antequam ex utero egrediatur, non potest homo censeri, dicente Christo: *Mulier, cum parit, tristitiam habet &c.: Cum autem peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in Mundum*; quibus verbis innui videtur, tunc infantem hominem esse, cum primùm est natus; proinde qui infantem in utero existentem interimit, reus homicidii non est, cum ad hoc requiratur, ut ex vi nominis patet, hominis interfectio. Si quæ sint alia, infra in examen vocabuntur.

719. Verùm dicendum est absolutè, abortum fœtus in utero jam anima præditi, verum homicidium esse; quod communissimè tradunt Jurisperiti, Theologi, ac Summistæ, quorum primi afferuntur à Farinacio in praxi tom. 5. quæst. 122., & Barbosa ad can. *Moyses* causa 32. quæst. 2. Secundi ab eodem Barbosa in cap. *Si aliquis*, *de homicidio*. Siquidem abortus hujusmodi fœtus verè est occisio alicujus habentis corpus & animam rationalem; sed nihil ultra requiritur, ut sit occisio hominis; ergo. Miror certè, quo pacto dicere potuerint, animam tunc solùm advenire corpori, quando fœtus ex utero matris egreditur; an non in ipsa conceptione ultimo disposita peccatum originale contrahitur, dicente David Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum?* Peccatum autem originale non contrahitur nisi ab anima rationali, quæ corpori uniatur. Quod si aliqui Philosophi, inter quos Plato, dixerunt, fœtum in utero matris vivere anima matris, hoc intelligendum, si velis illos excusare, non de propria animatione, sed de respiratione aliisque necessariis ad vitam; quæ, si mater non viveret, saltem pro longo tempore haberi non possent.

720. Neque aliud certè affirmari potest, nisi sacrorum canonum doctrinam penitùs evertamus; In cap. *Consuluistis* causa 2. quæst. 5. procurans seu committens abortum fœtus formati, ita reus censetur, sicut qui occideret puerum unius diei; In can. *Quod verò*, & can. *Moyses* causa 22. quæst. 2. traditur distinctio fœtus animati, & inanimati, & pro utriusque abortu diversa pœna statuitur, quod & factum fuit à Sixto V. in novo Bullario 87. incipit: *Effrænatum*, & in Constitutione Gregorii XIV. incip. *Sedes Apostolica*. Imò contraria opinio Divinæ Scripturæ repugnans convincitur. Legatur caput 21. Exodi, ita præscriptum reperitur: *Si percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantùm maritus mulieris expetierit; & arbitri judicaverint; sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima*; igitur in eo abortivo supponitur anima; quod clariùs indicat versio septuaginta seniorum, in qua sic legitur: *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit ani-*

animam pro anima, si nondùm erat formatus, multabitur pecunia.

721. Adeò verum est, quod dicimus, ut quicumque crimen hoc perpatraverit per civiles leges pœna mortis afficiatur; ut videri potest apud Farinacium laudato loco n. 98., & Molinam tract. 3. de justit. disp. 27. num. 2., qui & dicunt, hanc esse communem Doctorum sententiam contra paucos, nempe Menochium, & Thesaurum, asserentes, mitiorem pœnam, puta exilii, esse sufficientem. Sed quidquid sit, certissimum est, per jus canonicum pœnam mortis esse statutam, & hoc colligitur ex variis Decretis Conciliorum; qualia sunt Eliberitan., Ancyr., Moguntin. qua in re plura congessit Zerula in praxi Episcop. verbo *Abortus*.

722. Neque movere debet momentum n. 718. expositum. Aliud enim est hominem esse natum, & aliud est, hominem absolutè esse. Quamvis tantummodò per egressum ab utero verum sit hominem esse natum; falsum tamen est, absolutè hominem fieri; cum ante hujusmodi egressum verè sit anima corpori unita, & in hoc sensu loquutus est Christus, nempe mulierem non recordari pressuræ, quia homo natus est in Mundum; utique homo jam præexistens, sed humanis oculis non apparens. Quod si velis mitius te gerere, & cum illis Jurisperitis eum hominem non appellare, dicas, hoc verum esse quantùm ad effectus civiles, ita ut ipsi tutor dari non possit, & quid simile, in quo sensu loquitur textus l. 9. ff. ad l. *Falcidiam*, ubi partus nondum editus homo fuisse non dicitur.

ARTICULUS II.

Utrum prægnans gravi morbo laborans cum periculo, possit uti remediis de se effectivis sanitatis, licet prævideatur abortus fœtus non animati, vel etiam animati.

723. PRiùs inquiram de fœtu non animato, & in suppositione, in qua non sit aliud remedium, quo prægnantis vita servari possit; certum enim est, quod, si aliud remedium non deesset, prorsùs foret illicitum eo uti, quo abortus inde esset sequuturus. Adnotandum autem est, remedium hoc duplex esse posse. Unum, quod directè & ex natura sua ordinatur ad abortum; alterum, quod principaliter & directè est causativum sanitatis, quamvis ex ejus sumptione sequi possit, & ordinariè sequatur abortus. De hoc est quæstio prima.

724. Navarrus lib. 2. de restitut. cap. 3. lib. 2. difficultate 2. negat, licitè abortum procurari posse; asseritque hanc esse communem Doctorum sententiam. Quænam sint ejus fundamenta, dicam: Interim valdè se ipsum decepit, hanc esse communem sententiam affirmando; cum imò contraria communis existimanda sit, quam tradunt S. Antonin. 3. par. tit. 7. cap. 2. §. 5., Covar. in Clement. *Si furiosus*, *de homicid.*, Sylvest. verbo *Medicus* quæst. 4. dist. 2., Azorius, Bonacina, Pontius, Sanchez, Vasquez, Mazuchellus, Bossius, plurésque alii; quamque veram esse non ambigo.

725. Cur ita dicendum sit, plures rationes expono. Prima est, quia mater habet jus præferendi vitam suam vitæ alienæ tantùm futuræ, & sicuti antequàm concipiat, licitè uti potest remediis ad sui corporis sanitatem servandam, ita postquam concepit; cum per conceptionem hujusmodi jus non amittatur: quamvis enim prævideatur sequuturus abortus; attamen hic directè

ctè non intenditur, sed solùm per accidens sequitur, quod in actionibus humanis non est attendendum, cum istæ bonitatem vel malitiam suam ex objecto & fine vel bono, vel malo assequantur. Ex hoc consurgit secunda ratio, quia in hoc casu abortus non est intentus, aut procuratus, sed solùm permissus; & quemadmodùm si ad tuendam valetudinem necessarium sit sumere vel aliquem cibum, vel potum, ex cujus sumptione prævideatur sequutura pollutio, licitum est sumere, dummodò pollutio non sit intenta, sed permissa, involuntariè & per accidens; ita si &c. Hæc est doctrina S. Th. 1. 2. quæst. 64. art. 7. in corpore; Verùm quod magis me movet est sequens tertium momentum; quia nimirùm, cum fœtus ille anima careat, non est cum tanto matris discrimine conservandus; & ex alia parte pereunte matre, nihilominùs peribit fœtus, nec unquam anima informabitur; idcircò nullum generationi damnum infertur, si vita matris servetur, & fœtus ille informis emittatur.

726. Hac ratione ductus probabilissimum existimo, licitum esse in hoc casu etiam remedium per se & directè tendens ad abortum hujusmodi fœtus; cui rationi addo, nullum inde sequi injustitiam adversùs illum, cum nullius sit capax injuriæ; nihil etiam contra charitatem, cum fœtus inanimatus nullo gaudeat bono spirituali, nec tantùm esse possit, ut suæ vitæ temporali illud debeat mater anteponere.

727. Antequàm ad secundam tituli partem deveniam, perpendenda sunt argumenta, quæ contra dicta militare videntur. 1. Semen effundere, quo generatio impediatur, est ab intrinseco malum & illicitum, etiamsi fiat ad evitandam mortem; ergo à fortiori illicitum erit fœtum jam conceptum expellere. 2. Si id licitum est ad vitæ periculum evitandum, similiter licitum erit aut fœminæ nuptæ, aut virgini fornicanti, ne vitæ ac famæ jacturam faciant; sed hoc non; ergo nec illud. 3. Afferuntur nonnulla dicta Sanctorum Patrum. S. Augustinus, cujus dictum refertur cap. *Aliquandò* 32. quæst. 2. fœminam, quæ prolem, antequàm vivat, interimit, meretricem appellat. Tertullianus in apologet. cap. 9. inquit: *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci, non refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.*

728. Hoc magis valet, si remedium per se tendat ad abortum, quibus addenda sunt duo. Unum est Apostoli dicentis non esse facienda mala, ut eveniant bona; ergo neque procurandus abortus, ut vita matris servetur. Alterum est S. Ambrosii lib. 3. de officiis cap. 9. dicentis: *Si alteri subveniri non potest, nisi alter lædatur; commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum.*

729. Responsionem non unicam nostræ sententiæ propugnatores primo dant argumento. Raynandus, Trullench, & Sanch. inquiunt, in nullo casu licitam esse voluntariam seminis effusionem; quia ratio totalis intrinsecæ malitiæ hujusmodi effusionis, non est generationis damnum, sed quia natura id omninò negavit propter periculum imminens abusus, & perdendi semen ob nimiam delectationem, quæ in ipsius voluntaria effusione sentitur; quæ ratio in abortu locum non habet. Bossius dicit, disparem esse rationem de pollutione directè procurata, etiam causa sanitatis; cum sit ita intrinseeè mala, ut ex nulla causa honesta fieri possit; at procuratio abortus inanimati, licet magis accedat ad generationem, quàm semen, ita est mala, ut honestari possit, si fiat ad tuendam matris vitam, qua pereunte etiam periret fœtus. Hujus rationem dat, inquiens, quia cum impeditur generetio per pharmacum directè tendens

dens in expulsionem fœtus, illa non impeditur per actum de se ordinatum à natura ad generationem; at in simplici pollutione etiam procurata ad sanitatem aut vitam conservandam semper impeditur generatio per usum rei venereæ, & actum effundendi semen, qui ad solam generationem est ordinatus; & ideo semper invertitur ordo naturæ, seu exercetur actus contra finem, in quem est ordinatus. Hæc laudatus Doctor, cujus etiam verba produxi. Aptè quidem omnia, attamen sistendo in ratione à me exposita in fine n. 726. breviùs dicam: licitum esse in nostro casu, quia nulla conceptioni jam factæ fit injuria, cum etiamsi remedium illud non sumeretur, adhuc pereunte matre, fœtus periret; è contra in casu pollutionis, per voluntariam seminis effusionem fieret injuria generationi, ad quam habendam à natura institutum est semen, quod per viventis interitum nequaquàm effunderetur.

Ad 2. ne. maj. etenim in casu nuptæ vel Virginis fornicantis, fœtus non se habet tanquàm aggressor, & periculum non est præsens, sed distans, cui aliis modis occurrere possunt; in nostra autem hypothesi fœtus aggreditur, & est causa obitus matris, periculi præsentia urget, nec medicorum judicio alia via potest evitari. Adderem libenter, jacturam vitæ ac famæ à nupta vel Virgine fornicante esse prævisam, & nihilominùs volitam, non sic jactura vitæ fuit prævisa & volita ab uxore, quæ ex legitimo matrimonio concepit.

Quantum ad dicta Patrum, ea intelligenda sunt, quando non est in matre vitæ periculum, nisi abortus procuretur; sed id fit vel ad tegendum peccatum, vel ad explendam libidinem, atque hoc apertè colligitur ex cap. *Si aliquis. De homicid.* ubi hæc leguntur: *Si aliquis causa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida tenetur*: Juxta hæc explica S. Ambrosium, quamvis reverà ejus testimonium in re nostra afferri non potest; siquidem nulla læsio alteri infertur; quia etiamsi matri nullum subsidium præberetur, adhuc fœtus periret; ex quo rejicitur, quod ex Apostolo dicebatur, nimirùm fieri malum, ut eveniat bonum.

730. Progredior modò ad aliam partem, quæ spectat ad fœtum animatum, resolvendam. Et quidem si de remediis directè tendentibus ad occisionem infantis sermo sit, procul dubio existimo, eorum sumptionem illicitam esse; etenim cooperari directè ad innocentis necem nefas iniquissimum est; & in hoc sensu valet, quod supra ex S. Ambrosio dictum fuit, & illud S. Pauli, non esse facienda mala, ut eveniant bona. Hoc pluribus exemplis ostendi potest. Sit injustus invasor, qui, puero se protegente, occidi nequeat ab eo, quem aggreditur. Iste postremus non potest licitè uno ictu puerum occidere directè, ut inde possit aggressorem ipsum de medio tollere, quia nullum jus habet in vitam illius pueri, qui suæ vitæ possessione non potest per se, ac directè privari. Sit etiam equester vel pedester in angusta via, à cujus utroque latere esset flumen, & in qua esset vel dormiens, vel alius ambulans, & ille in flumen ruiturus esset, nisi dormientem vel alium ambulantem in flumen proiiceret, si hoc faceret reus esset homicidii, & in justitiam peccaret; quia etsi dormiens vel ambulans, qui tunc cedere non posset, esset illi obex ad vitam conservandam, atque præcipitium evitandum, attamen illi nullam vim inferret, neque esset justus possessor illius loci, in quo dormiret, vel ambularet. Sint denique duo naufragantes, quorum unus priùs tabulam apprehenderit, alter non posset absque injustitia tabulam illam auferre, ut se à naufragio liberaret, & per consequens alter periret. Hoc totum valet in

in re nostra, fœtus, qui jam anima præditus est, legitimè possidet locum in utero materno, quem sibi à natura constitutum accepit; nullam vim matri modo laboranti propriè ac positivè infert, sed tantum est obex ejusdem vitæ conservandæ; igitur illum perdere, ut matris vita conservetur, minimè licet; præsertim cum damnum illatum puero, spirituale foret, cum certissimè ad gratiam baptismi pervenire non posset; damnum verò illatum matri esset tantum temporaneum.

731. Nihilominùs non defuerunt aliqui, ut Rocherus lib. 1. de morb. mulieb. cap. 8., Rodericus à Castro, & Raynandus de ortu infantium cap. 9. oppositum scribentes, & affirmantes; & ne dicamus, istos medicos esse, nequaquam Theologos, aut juris peritos, pro eadem sententia sunt Marianus Socineus in cap. *Si aliquis de homic.* nec non Simon de Brixia in Clement. I. *de homicidio*. Isti aliud momentum non proferunt, nisi quia C. *siquid* de consecr. dis. 3. & l. 1. §. 1. ff. *de ventre inspiciendo* fœtus in utero existens appellatur pars ventris; sed licet partem abscindere, atque vita privare ad servandum totum; ergo.

Hoc hihil probat; nam textus verus est, si agatur de parte propriè dicta, & quæ distincta anima non sit informata, neque constituat individuum diversum; Res aliter se habet in fœtu.

Addunt etiam Tertullianum lib. 6. de anima cap. 25., qui interfectionem infantis in utero, matre moritura, nisi interimatur, appellat necessariam crudelitatem, & scelus necessarium; ubi autem necessitas intervenit, factum culpæ non vertitur. Verùm advertant, appellasse crudelitatem, scelus necnon cæcum latrocinium necessitate orta ex electione mali, & ex suppositione alterius rei obtinendæ; sicuti si quis ad obtinendam hæreditatem vellet hæredem occidere, occisio esset necessaria, ut obtineretur hæreditas; sed numquid licita? Absit.

732. Alio argumento utitur Raynaudus, in eo autem situm est, quod ad vitam propriam tuendam licitum sit invasorem occidere, ut cum S. Th. 2. 2. q. 64. art. 7. tradunt alii Theologi, & habetur ex cap. *significasti*, & Clement. I. *de homicidio*; atqui fœtus est veluti invasor matris; ergo. Alia subdit, quæ tamen ex dictis supra satis rejecta sunt. Interim ad propositum dico, nequaquam infantem esse invasorem, sed morbum; & licet etiam esset invasor materialiter, attamen esset justus invasor in propriæ vitæ possessione, sicuti superiùs exposui.

733. Si autem de remediis non per se, & directè, sed tantùm indirectè, & per accidens ad internecionem fœtus etiam animati tendentibus loquamur, licitum esse matri illis uti probabilius existimo, atque iisdem utor fundamentis, quæ produxi num. 726. Certè per accidens innocentem interimere, culpa non est, ut constat in bello justo, quando tormentis bellicis expugnatur, & comburitur civitas, in qua multi innocentes cum nocentibus pereunt, & si mater fugeret invadente fera, ex qua fuga sequeretur abortus, quis fugientem matrem damnaret?

Quod dictum est de matre remedium sumente, dicendum de medico remedia applicante, seu præscribente.

ARTICULUS III.

An prægnans ex coitu fornicario vel adulterino, vel &c. ad evadendam mortem à consanguineis inferendam, vel infamiam sequuturam, possit licitè abortum procurare, & efficere.

734. Punctum propositum attactum fuit in objectione num. 728, neque esset cur ampliùs diceremus, præter id, quod respondimus n. 730. ad 2. sed quia plures Doctores sunt, qui oppositum sustinent, asseruntque, licitum esse vel conceptionem impedire,

Vel

vel fœtum jam conceptum, sed nondùm animatum excutere, ad vitandum periculum mortis ab extrinseco inferendæ moraliter certum, aut ad tuendum honorem, qui crimine detecto periret; ideo operæ pretium est singillatim hoc examinemus, qua data sententia neganda esset minor illius argumenti, cujus negavimus majorem. Mortis inquam ab extrinseco inferendæ, nam si loquamur de morte ab intrinseco imminente, idem de muliere fornicaria, vel adultera, vel incestuosa, vel sacrilega dicendum est, quod dictum fuit de muliere, quæ legitimo coitu concepit; cum militent eædem rationes. Porrò doctores sustinentes quod superiùs indicatum est, sunt Torreblanca de magia lib. 2. cap. 43., Bordonus qq. regul. p. 1. resol. 45., idque probabile putant Trullench in decal. lib. 5. cap. 1. dub. 3., Lezana, Pontius, Lugus &c.

735. Huic ego sententiæ adhærere nunquam potero, pluribusque validissimis rationibus moveor; atque in primis occurrit id, quod jam laudato numero diximus, nimirùm, quod huic fæminæ ex iniquo commercio gravidæ periculum vitæ vel honoris improvisum non est, sed tali periculo se voluntariè dedit; atque ideò imputet sibi, quod illud elegerit. Hoc non valet, si sermo sit de periculo vitæ ab intrinseco proveniente, vel etiam ab extrinseco ex aliquo casu fortuito, v. g. si incideret in feram, ad cujus rabiem declinandam fugam arriperet, & sic abortus contingeret. Secundò moveor, quia periculum vitæ, ac honoris ex fœtu inanimato, vel etiam ex semine recepto, præsens dici non potest; sicuti præsens est illud vitæ, dum ex morbo aliquo provenit, cui nullum aliud suppetat remedium, ex alia parte etiam alii modi non desunt, quibus vita servari possit, ac infamia evitari, qui nefariis fœminis nunquam defuerunt; Tertiò, si ad declinandum periculum vitæ, vel honoris id licitum foret; licitum etiam esset, se subtrahere post copulam, & efficere, ut semen viri extra vas effunderetur, quod absurdissimum est, & daretur via omnibus spurcitiis, ac libidinum continuationibus, quod argumentum pluris habendum est; cum constet, multas fæminas à fornicationibus, & adulteriis abstinere, ne superveniente fœtus conceptione crimen prodatur, quare dato, quod asserit opposita opinio, profectò non abstinerent. Dicamus igitur quod asseruimus.

736. Ex his videant quam infirmo fundamento nitantur illi, qui, ex quo sit licitus abortus fœtus non animati, si contingat periculum vitæ ab intrinseco, inferunt, esse etiam licitum, si eveniat ab extrinseco. Hoc deinde statuto principio idem statuunt, quando agitur de periculo honoris amittendi, & infamiæ contrahendæ, cum gravis infamia mortis periculo æquiparetur juxta glos. l. 9. ff. *de manumiss*; imo fama, & honor videantur præferenda vitæ, præsertim cum sermo est de fæmina nobili, ut habetur in l. 8. §. finali ubi Paulus Jurisconsultus inquit, metu mortis majorem esse metum gravis infamiæ.

737. Sed, ut dixi, infirmo falsoque nituntur fundamento; & quamvis etiam admitteremus, id licitum esse ad vitæ defensionem, conservationemque; attamen ad honoris custodiam, infamiæque declinationem, id illicitum esse jure merito diceremus. Fatemur honoris bonum esse majus quocumque alio bono extrinseco temporali, ut dicitur l. *Julianus* ff. *si quis omissa causa*, & proverb. 22. dictum est: *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ*; negamus tamen præferendum esse vitæ, quæ est omnium temporalium bonorum fundamentum; unde juxta omnium sententiam omnia possunt licitè amitti, ut vita conservetur, quam pretiosiorem esse legimus in l. *Sancimus* Cod. de *Sacrosanct. Ecclesia*. Quod si mihi opponerent, infamiam gravem esse morte pejo-

pejorem, & hominem mortem potiùs pati debere, quàm honoris detrimentum, ut habetur l. *Justa ff. de manumissis* dicerem, hoc dictum fuisse à viris ethnicis; qui, sicut in cæteris, ita in hoc turpiter errarunt; & laudabile quidem existimari potest politicè ac civiliter, non tamen christianè; atque ut hunc errorem evitemus, illudque teneamus, dic, pro honore moriendum esse, sumendo honorem fundamentaliter, nempe actiones virtutum, ac peccatorum declinationem, unde verus honor proficiscitur, & pro quibus vita ipsa honestè ac laudabiliter exponitur, & contemnitur.

738. Dices adversùs hæc omnia: Vir nobilis non tenetur cum honoris detrimento, & nota infamiæ fugere, sed licitè potest suum invasorem occidere; ergo neque mulier tenebitur vel semen retinere, vel fœtum; sed ad suæ vitæ honorisque conservationem dimittere poterit.

Si hoc dicis de vitæ conservatione quæ ab intrinseco periclitaretur, jam tibi concessum fuit, si de vita, quæ ab extrinseco periculum subiret, hoc iterùm negatur propter rationes adductas; si verò ita dicis, ut velis honorem præferendum esse vitæ, hoc verum esse potest, dum agitur de vita alterius, qui injustè aggrederetur, non tamen de vita propria; unde si vir nobilis, ut suum honorem defenderet, exponeret se periculo moraliter certo, quo occidendus foret; non in aggressorem agere, sed ab illo declinare teneretur; unde semper constat vitam honori esse præferendam; non igitur tenet argumentum, licitum est abortum facere ad tuendam propriam vitam, ergo etiam licitum est ad servandum proprium honorem, quamvis enim antecedens esset verum, quod tamen falsum probavimus; attamen consecutio esset falsa,

ARTICULUS IV.

Traduntur plura de uteri materni sectione.

739. Nonnulla dubia in hoc puncto proponenda sunt; sed dividenda priùs est sectio uteri materni; cum fieri possit vel in matre adhuc vivente, vel in jam mortua. Qua in re præmitto, infantem in utero matris mortuæ pro aliquo, etsi brevi tempore, ita vivere posse, ut vivus extrahi possit, & non solùm ad gratiam baptismi perduci, sed etiam inter homines diuturnam vitam peragere. Hujusce rei, quidquid aliqui medici dixerint, plura non desunt exempla, & experimenta, quæ nullum dubitandi locum relinquunt, quod re supponit jus civile l. *Anniculus amittitur* l. *Posthumus ff. de inoffic. testam.* necnon l. 1. §. *Etsi Matris ff. Ad S.C. Tert.* Si à me petis exempla, pete à Valerio Maximo, qui lib. 1. cap. 18. refert, Gorgiam Epirotam e matris utero, dum tumulatum portaretur, prodiisse; ab Hermolao Barbaro, qui, ut observat Tiraquel. q. 18. de jure primogenit.; narrat, Scipionem Affricanum e matre defuncta scissa ad vitam esse reductum. Idem de Mamilio scribit Plinius lib. 7. cap. 9., de Gerardo Molina tract. 2. de justit. disp. 624., atque alia similia leges apud Schenelium lib. 4. observat. medicarum, aliosque, quos præterire institutum postulat meum. Hoc præsupposito.

740. Quæritur primò. An matre jam mortua sectio uteri fieri liceat, ac debeat, ut fœtus extrahatur.

Resp. licitè fieri, & aliquando fieri debere.

Ratio prioris partis est, quia etsi fœtus supponeretur, & reverà esset mortuus, proinde nihil vel ad bonum matris vel ipsius talis sectio conferret; attamen ad alium finem obtinendum, nempe alienum bonum, valde foret expediens; siquidem utilissima ex ea sectio-

sectione acquiri pôtest in anatomia notitia, qua prælucente morbus agnosci possit, atque in similibus casibus aptum remedium excogitari.

Rationem posterioris partis ex eo colligo; quod si vivus credatur, vel dubitetur fœtus, præceptum charitatis obligat, ut ipsius vita conservetur, & multò magis ut ipsi ad æternam salutem necessaria remedia applicentur, ut est regeneratio per baptismum; si autem scisso utero materno fœtus ille non extraheretur, utriusque carentia in ipso contingeret; igitur &c. Satagat igitur Pater; hujus defectu satagant alii, ut tantum bonum non auferatur. In hoc non est, cur plura dicam, dixerunt omnes, noverunt omnes, & satis expressum est in l. 2. ff. *de mortuo inferendo*.

741. Quæritur 2. an prægnans teneatur cum propriæ vitæ periculo uteri sectionem pati ac procurare, si fœtus sit vivus, & speretur per sectionem vivum extrahi posse, & baptismum suscepturum, neque ullum aliud suppetat remedium. Aliis terminis idem proponitur dicendo, an mater æternæ prolis saluti debeat propriam corporalem vitam postponere.

Responsio mea est affirmativa, quamvis non mea, cum eam tradiderint Navar., Sanch. Lessius, Layman., Bonacina, Fagundez, Diana, aliique communiter. Ratio hujus est, quia ordo charitatis postulat, ut proprio temporali bono bonum alterius æternum ac spirituale præferamus, quæ est doctrina generalis tradita à S. Th. 2. 2. q. 26. art. 5., & ab omnibus acceptata; imò hæc est Doctrina Christi dicentis Joan. 14. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* Christus autem pro nostra spirituali vita, vitæ propriæ corporalis jacturam fecit; & juxta hoc dixit Joan. epist. 1. c. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille animam suam*, scilicet vitam, *posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere*; in quem locum ait Augustin. lib. de mend. cap. 6. *Temporalem vitam pro æterna proximi ponendam non dubitabit Christianus*. Ratio autem est, quia æternæ salutis assecutio est bonum præclarius atque excellentius, Deoque gratius, quam quodcumque bonum temporale etiam proprium; igitur ex charitate, quæ tamquam obiectum præcipuum respicit Deum, illa cuicumque bono temporali etiam proprio præferenda est. Juxta hæc plures casus à doctoribus resolvuntur, quos hic recenseri meum præsens institutum non postulat. Tenebitur igitur prægnans cum propriæ vitæ periculo uteri sectionem pati, imò procurare, ut fœtus suus in utero vivens ad baptismi gratiam, sine qua salutem æternam consequi non potest, perveniat; si aliter finis iste obtineri non possit.

742. Quia tamen sunt aliqui Doctores oppositum sustinentes, ut Emmanuel sà v. *Charitas* num. 4.; Sancius in selectis disputat. 10., Vasquez in opusc. de restit. cap. 2., Basilius Pontius lib. 9. cap. 15. aliique pauci, ideò eorum momenta perpendamus oportet. Duo sunt præcipua: Primum. Qui vitam suam corporalem alia via conservare non potest, nisi aggressorem occidendo, tunc licitè occidere potest; licet sciat, in peccato lethali moriturum esse, & ipse nullius mortalis culpæ sibi conscius sit; ut communiter contra Gerson. tract. de Eucharistia, & paucos alios à Molina citatos tract. 3. disp. 23. tenent Doctores; ergo falsum est, teneri quempiam pro vita spirituali proximi propriam vitam corporalem periculo exponere. Secundum est: Nemo tenetur cum periculo salutis animæ propriæ salutem animæ alterius procurare; ergo nisi certò constet, se in gratia esse constitutum, non tenetur propter bonum alterius spirituale proprium bonum temporaneum postponere; seclusa autem divina revelatione, nemo certus est, se esse in statu gratiæ; & in re nostra non est certa mater; ergo.

743. Ad 1. valdè dispar est ratiò; etenim aggressor non est in extrema necessitate spirituali; cum ab ea ipse se liberare possit, sed in tali necessitate est constitutus ex sua malitia ac pervicaci animo, à quo potens desistere non vult; puer autem moriturus sine baptismo, nisi matris uterus scindatur, est in extrema necessitate absoluta, certoque æterna beatitudine privandus, nisi ipsi tale subsidium concedatur. Quare in priori casu damnatio aggressoris ipsi aggressori tribuenda est; in posteriori foret tribuenda matri.

Ad 2. Argumentum in hoc deficit, quod à certitudine morali transitum facit ad certitudinem fidei, cui nullo modo potest subesse falsum; licet autem hujusmodi certitudo absque divina revelatione haberi non possit, potest tamen haberi prima; & hæc sufficit, ut quis teneatur ad vitam proximi spiritualem propriæ corporali vitæ præhabendam; aliter præceptum charitatis nunquam obligaret, nisi data divina revelatione; imò ex motivo charitatis semper teneretur quis etiam cum damno alterius spirituali propriam vitam defendere; quod tam facilè nemo affirmabit; imò communissimè docent Theologi, licitè posse aliquem adversùs invasorem se non defendere, sed mortem patienter sustinere, ne pereat invasor.

744. Hæc, quæ dicta sunt, valent si adsit periculum vitæ corporalis mulieris prægnantis; nam si ex vi sectionis mater certissimè moritura esset, quid dicendum sit, in sequenti dubio resolvetur. Observandum namque est, non semper ex uteri materni sectione matris mortem contingere, ut fidem faciunt Franciscus Rousettus opusc. de partu cæsareo, Daniel Sennerus lib. 4. med. pract. p. 2. sec. 6. cap. 6., Raynand. de ortu infant. cap. 5., Gaspar Bohuinus in appendice, ubi plures alios affert; hocque, quod dicunt, etiam juxta anatomicam peritiam ostendunt, singulas partes, quæ scindi debent, sine certo mortis periculo scindi posse demonstrantes.

745. Quæritur igitur 3. an licita sit sectio, si ex ea certissimè secutura sit mors matris, quamvis probabiliter futura sit utilis proli pro suscipiendo baptismo, quem aliter recipere non posset.

Responsio est negativa. Rationem evinco, quia innocentis occisio nunquam licita est, neque per se, & directè potest intendi, quamvis quodcumque bonum etiam spirituale ac æternum sequatur; quamvis innocens ipse consensum præberet, qui si consentiret, peccaret, nisi conscientia invincibiliter inculpabili duceretur; solus enim Deus est Dominus vitę, quę auferri non potest nisi à Deo, vel ab illo, cui Deus contulit potestatem, quę tantùm publicæ personæ in scelerum vindictam commissa est; atqui in nostro casu sectio uteri materni esset occisio certa, ac per se intenta; ergo est illicita. Major, ultra dictam rationem, manifesta fit ex doctrina Pauli dicentis ad Rom. 3. non esse facienda mala, ut eveniant bona; unde si quis committendo unum peccatum etiam veniale, posset omnes damnatas animas ad Cœlum perducere, Deique gratiæ restituere, adhuc peccatum veniale esset illicitum, & permittenda potiùs esset omnium sive damnatorum, sive aliorum ruina, ut docet S. August. in quęst. super Genes. cap. 4., & traditur c. 1. dist. 14. Quando igitur dicitur, postponendam esse vitam propriam temporalem pro alterius vita spirituali; non est intelligendum directè & absolutè, sed tantùm per accidens, & indirectè; & mors accipi potest ab aliis; qui infligendo peccarent, non autem à se eligi, aut sibi ipsi infligi, qua doctrina conciliabis ea, quæ in responsione secundi dubii resoluta sunt.

746. Hic duo mihi opponi jam perspicio. Unum in eo situm effato, quod

inter

inter duo mala minus est eligendum; minus autem malum est, si prægnans moriatur, præsertim si nihilominus esset moritura, & jam morti proxima, quàm fœtum vivum existentem in utero, æterno sine baptismate damnandum esse supplicio. Secundum in alio Theologico principio magis communi, & à nobis alibi admisso; scilicet, licitum esse, suadere minus malum morale ei, qui firmiter statuit majus perpatrare.

Inconsultò hæc opponuntur. Primum non est ita intelligendum, ut aliquando liceat minus malum, quod sit morale, eligere; semper enim est malum, proindè illicitum; sed tantum valet, quando quis ob conscientiam erroneam perplexus, & putans se teneri ad alterutrum ex duobus malis, minus eligere debet. Quod verò dicitur secundo loco, quo pacto id liceat, alibi à nobis dictum est.

747. Quæritur 4. An prægnantis viventis jam damnatæ ad ultimum supplicium fieri possit sectio ad educendum fœtum animatum; an vero supplicium diferri debeat post partum naturaliter editum.

Certum est, quod si antequàm naturalis partus tempus adveniat, nec ullum appareat periculum fœtus in utero, sectio facienda non est, sed differendum supplicii tempus, quoad usque fœtus parturiatur. Ratio hujus est, quia etsi peritorum arte vivus extrahi possit; nihilo tamen minùs in aliquo periculo constituitur; quod proinde evitari debet. Habetur autem expressum, id quod asserimus in l. *Imperator Adrianus* ff. *de statu hominum*, & l. *Prægnantis* ff. *de pœnis* quapropter etiam apud barbaras gentes, nostræque religionis infensissimos hostes id servatum est, ut de S. Fœlicitate Romana narrat Martyrologium Romanum die 7. Martii.

In controversiam itaque vocatur, utrum damnata jam prægnante, & existente periculo, ne si expectetur tempus naturalis partus, fœtus vitæ jacturam faciat; licitè possit ejusdem uterus rescindi, ut educatur. Paludanus in 4. dis. 4. q. 1., S. Antoninus, Tabiena, Victoria, Enriquez, existimantes, sectionem fieri non posse, nisi cum certa morte fœtus, antequam baptismi gratiam recipiat, negarunt, sectionem illam licitam esse; sed sicuti est falsa existimatio, ita falsum quod consequitur.

Meliùs itaque Layman libro 5. tract. 2. quæst. 1. cap. 3. necnon Suarez tom. 2. in 3. p. q. 68., aliique, dixerunt, eam prorsùs licitam esse, quamvis inde mors matris certissimè sit secutura. Ratio ipsorum est, quia per hujusmodi sectionem nulla injuria fit matri, quæ jam damnata supponitur ad ultimum supplicium, & ex alia parte supponitur, publica authoritate fieri; nullum etiam jus violatur, quia differri supplicium usque ad tempus partus naturalis, in favorem fœtus à juribus statutum est; ergo si in istius utilitatem tam vitæ temporalis, quàm salutis æternæ sectio fiat, omninò licita erit censenda.

748. Quæritur 1. Si eadem sectione duo fœtus simul educerentur, quis eorum haberet jus succedendi in primogenitura, vel in regno.

Ut respondeam, supponendum est, filium ex utero matris secto eductum, ac superstitem, verè ad successionem & hæreditatem succedere, quod traditur in pluribus legibus: ex l. 1. *Si qua prægnans*, ff. *Unde cognati*, l. *Quod dicitur*, ff. de lib. & posth. &c. & à Jurisconsultis, Alciato in l. *Etiam*, Mantica *de conjecturis ult. volunt.*, Carenza de partu sect. 1. cap. 6., aliisque pluribus; quamvis enim de fœtu sic educto dici non possit in propria significatione natum esse de matre, nihilominùs ex ejus sanguine est verè formatus, & verè est ejus filius; aliter nullius matris filius censendus esset; ex quo sequitur omnia jura, quæ competerent filio reverà nato, huic etiam convenire. Quod si leges disponunt, hæreditates ac suc-

ces-

cessiones concedendas esse filiis natis, vel nascituris, hoc minimè obstat; quia loquuntur juxta communem modum, quo habentur filii, non autem extraordinarium, quem nequaquàm excludunt; & dummodò habeatur effectus, nequaquàm curant de modo, ut habetur l. *Si mater* causa 3. Cod. *de instit. & substit.* dummodò non sit modus habendi filios per fornicationem, & illegitimum concubitum.

749. Hoc posito: Circa propositum dubium Tiraquel. quæst. 17. *de jure primogenit.* pluribus sub numeris, & opinione sexta per totam duodecim affert opiniones, quas omnes hic recensebo. Prima docet, ambos simul succedere, secunda, alternis annis, tertia, nec simul, nec annis alternis, præsertim si agatur de regno monarchico, cum hoc sit indivisibile, quarta, formosiori locum esse dandum, quinta, robustiori, sexta, spectare ad Populum & Magnates eligere, septima, pertinere electionem ad patrem, octava, esse præferendum illum, qui est in possessione, nona, illum qui primus possessionem obtinuit, quamvis pro tempore litis illatæ non possideat, decima, sorte negotium dirimendum esse, undecima, dandum esse locum gratificationi, idest Superiorem, seu Judicem eligere posse, quem voluerit, duodecima, statuendum esse magis idoneum, & si pares sint, tunc standum esse gratificationi. Aliam addidit Miere de majorit. par. 4. quæst. 20. num. 195., scilicet, illum agnoscendum esse primogenitum, qui prior lucem aspexerit. Hæc mihi indicasse sufficiat, rem enim decidere ac stabilire præsens disputatio sibi non vindicat. Interim ad alias obligationes, quæ respiciunt prolem jam natam, progrediamur.

ARTICULUS V.

De educatione puerorum.

750. Prole jam in luce edita, nova parentum obligatio consurgit, qualis est filios educare, eorumque animos primo ita instituere, ut Deo, sibi, ac Reipublicæ vivant. Parum parentes contulissent, si tantùm corporalis vitæ fuissent authores; imò multùm mali intulissent Mundo, si filiorum cura neglecta, eorum animas silvestres, incultas, ac fermè belluinas esse permitterent, atque in iis, quæ Dei cultum, æternamque respiciunt beatitudinem, non erudirent. Ille verè dat vivere, qui dat semper vivere. Fœdissimus est illorum error, & amor, qui eam tantùm in filios curam impendunt, ut sint homines, atque inter homines divitiis emineant, & honoribus. Hujusmodi genitores non ursos imitantur, qui editos fœtus lingua perficiunt, sed struthiones, qui sua ova in terra derelinquunt, terrenis scilicet rebus tantummodò addicunt.

751. Primùm, quod in hac re à parentibus fieri debet, est sedulò incumbere, ut per baptismi gratiam desinant eorum filii esse filii iræ, & à Dæmonis servitute per originale peccatum contracta transferantur ad adoptionem filiorum Dei, & si in hoc fine rationabili causa negligentes sunt, mortaliter peccant; non quidem contra præceptum aliquod scriptum, sed usu atque consuetudine universali receptum; cum vix sine religionis contemptu fieri possit, medium ad æternam salutem omninò necessarium diù differre. Quænam autem dicenda sit notabilis ac diuturna dilatio, plura leguntur apud Doctores. Enriquez duodecimum diem assignat, Bonacina usque ad quintum protrahit, in Concilio verò Mediolanensi 1. par. 2. pœna excommunicationis lata est in eos, qui ante novem dies baptizari non curant infantem.

Se-

752. Secunda obligatio est, ut quamprimum pueri quidpiam potuerint intelligere, eos in Catholica Fide, in iis saltem, quæ dicuntur necessaria necessitate medii ad salutem, instruant vel per se, vel alios. Hæc fides est prima semita, qua tendere incipimus ad primi ac summi boni possessionem; Hęç radix, hæc initium, sine qua impossibile est placere Deo, & de qua rursùs dixit Apostol. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est &c.* quamve adeò attollit Cyril. Alexandr. lib. 2. strom. num. 4. ut dixerit, esse *instar elementorum, sine quibus vivere nequimus, & magis necessariam ad vitam, quam respirationem.* Quæ autem sint necessariò expressè credenda, diximus in quæstionibus de fide tom. 1, Mandata Dei, quæ servari debent, ut ad vitam ingredi possint, ipsis proponant, ut ab ipsa infantia vitia odio discant habere, & juxta divinæ legis præscripta virtutes amare, atque exercere; bonorum præmia explicando alliciant, improborum pœnas exponendo deterreant; atque ita declinent à malo, & faciant bonum, ut monet Propheta Psal. 33. & 36. Ad idem punctum revocantur preces, quas ad Deum Opt. Max. ad Beatissimam Virginem, ad Angelum Custodem, aliosque Sanctos debent effundere, necnon Sacramentorum susceptio, ad quam provocari debent, & excitari.

753. Tertia obligatio est, ut inclinationes, pravasque affectiones sub initio investigent, ac perscrutentur; puerosque rectum tramitem deambulare faciant, & prout opus est, ipsos corrigant, & castigent. Tot sunt in hac re sanctæ Scripturæ testimonia, tot Patrum sententiæ, ut propemodùm infinitus essem, si vellem omnia producere. *Filii tibi sunt, erudi illos, & curva illos à pueritia,* inquit Sapiens Eccles. 7. & cap. 30. *Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi. Vis,* inquit Chrysost. hom. 12. in cap. 6. ad Ephes., *filium tuum esse morigerum? ab initio illum educa in eruditione, & correptione Domini.* Crudeles appella parentes illos, qui nimia indulgentia filios prosequuntur, nec unquàm oderunt magis, quàm cum magis amant, quia malè amant. *Qui parcit virgæ, odit filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit,* Proverb. 13., imò dicas nec illos esse patres, nec istos filios: *Quis enim filius, quem non corrigit pater?* interrogat Paulus ad Hebr. 12. Caveant tamen, cum doloris pœnas in hac etiam mortali vita certissimè dabunt; etenim: *Equus indomitus evadit durus, filius emissus evadit præceps. Lacta filium tuum, & paventem te faciet, lude cum illo, & contristabit te,* Eccles. 30. Res ita continget, ut patrem castiget filius non castigatus à patre.

754. Quamvis verò, & aliæ plures sint obligationes parentum, quæ à nobis prætermittuntur, attamen illam præterire non possumus, qua virtutum exempla filiis suis præbere tenentur. Cætera quæcumque, etsi bona, etsi pia, etsi sancta, exerceantur, si in parentibus virtutum desint exempla non prosunt. Hæc si non desint, probi filii facilè fient. Huc tendit illud, quod ait Hierem. 31. *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Huc illud tritum eloquium: *Sæpe solet similis filius esse patri.* Huc denique illud Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere, nec arbor bona malos fructus facere.* Concludam cum Hieronymo in epist. ad Letam dicentem: *Mementote parentes, magis exemplis doceri posse, quàm voce.* Ipsi Ethnici hoc agnoverunt. Unde Plinius in paneg. inquit: *Non tam imperio illis opus esse, quàm exemplo.* Et Juvenalis sat. 6. *Expectas, ut mater tradat honestos, aut alios mores, quam quos habet?* Hæc noverint genitores sibi esse à natura, à Deo præscripta; quæ si negligant,

se

se in naturam, in Deum peccare, non ignorent.

ARTICULUS VI.

De educatione puellarum.

755. QUÆ superius dicta sunt, tam ad pueros, quàm ad puellas referuntur; æqualiter enim filiationem à parentibus acceperunt. Sunt tamen quædam peculiaria, quæ filias ac puellas respiciunt, quarum peculiaris cura parentibus est demandata. De hisce in præsentiarum aliqua sunt dicenda.

Omnia autem, quæ dici possunt, ad id reducuntur, quo puella pudicitiam servet, & cæteris pudica appareat; nec enim satis est, eam esse pudicam, nisi hujusmodi sit ejus existimatio; nec satis est, hujusmodi existimari, nisi sit; unde ait Cyprian. de hab. Virg. *Virgo non esse tantùm, sed intelligi debet, & credi*. Tradam igitur certas aliquas regulas, quibus utinam parentes in puellarum educatione uterentur.

756. Atque primò satagere debent, ut interiùs exteriùsque modestiam præseferant. Hæc ea virtus est, aut saltem est ille animi affectus, per quem primi animi motus vel concupiscentiæ, vel curiositatis, vel superbiæ cohibentur: *in libidinem atque in alios non certos impetus anima firma ac moderata dominatio*, appellatus fuit à S.Th. 2. 2. q. 161. Pudorem in muliere pulchritudinis arcem esse ajebat Demades apud Stobæ serm. 72. *In Virgine dos est quædam, verecundia*, dixit Ambros. de inst. Virg. Quantò in puellis reprehendendi colores illi, quos ex miniis aliisque tincturis compactos suis vultibus affigentes, facturam Dei adulterant, ut loquitur Cyprianus loco laudato, tanto commendabilis ille, quo modestia aspergunter. Illorum author est Diabolus, istius author est Christus, de quo inquit Nazianz. in mulieres ambitiosè se ornantes: *Unus color in mulieribus amabilis est, nimirùm rubor ille, quem pudor gignit, qui quidem à Pictore nostro Christo pingitur*. Hoc exornata colore incedat puella, atque in omnibus ejusdem motibus nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, ut monet August. epist. 118. *Status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum*, leges apud Tullium lib. 1. de officiis. Præ cæteris verò maximam in oculis custodiendis curam existimo esse impendendam; imò existimavit Clem. Alexandrin. lib. 3. Pædag. cap. 11. dicens: *Oculis maximè parcendum est, quoniam meliùs est labi pedibus, quàm oculis*. Væ Virgini, si in oculorum motibus se non cohibeat, jam fornicaria effecta est in corde suo. *Versatilibus, & tamquàm conniventibus oculis intueri, nihil aliud est, quàm oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat prima pugnæ præludia*, prosequitur Doctor postremò citatus.

757. Satagant secundò, ne puellæ varia in loca se conferant, & divagentur, sed domi permaneant. Ex veterum historiis discimus, olim mulieres testudineas imagines gestare consuevisse, & apud ægyptios calceis non utebantur ut domi meminissent tempus exigendum, scribit Plutar. Præc. Connub. Quid acciderit Dinę filię Lię, quę egressa est, ut videret mulieres regionis illius, refertur Gen. 34. Hinc Ambros. lib. 2. de Virgin. admonet, ut genitricis Dei exempla sequantur, quæ *prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret*; imò Hieronym. epist. 97. ad Demetriad. ne se ad Ecclesiasticas celebritates semper conferant, adhortatur. *Nec liberius*, ait, *procedant ad publicum, nec semper Ecclesiarum quærant celebritatem*. Tali igitur pacto se gerant parentes, ut *puella in cubiculo suo totas delicias habeat, nunquàm juvenculos, nunquàm cincinnatos videat*, quæ sunt verba Doctoris maximi epist. 98. ad Gaudent.

Sed

758. Sed quas delicias habendas esse arbitramini? numquid in librorum in quibus amores impudici, & obscæna facta describuntur, lectione versabitur? Absit. illos libros legat, qui sanctarum Virginum continent gesta, qui preces edocent piasque meditationes exponunt. Numquid otiosam esse licebit? Nihil pudicitiæ otio magis infensum habetur cap. *Nunquam* de consecr. dis. 5. imò Sylv. versic. *Dominica*. Sa. versic. Festum, Philiarc. lib. 3. de officio sacerd. cap. 23. putant, adolescentulas die festo laborantes ad vitandum otium nequaquam peccare. At inquies, oportet, ut puellæ, quæ nobilitatis insignia præferunt, discant legere, scribere, canere. Admitto. Sed præceptoribus, etsi senibus, etsi virtute præclaris, ad sit semper mater, vel prudens matrona. *Ne transversum quidem unguem à matre discedat* ait Hieronym. in epist. ad Lætam.

759. Multo minus permittant, ut domi à viris, præsertim adolescentibus & junioribus visitentur. *Procul*, prosequitur Hieronym., *sit ætas lasciva puerorum, ipsæ puellæ, & pedissequæ à secularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant*. Sed neque mulieres quędam suspectæ permittendæ sunt, quæ vel munuscula ferant, vel amatorias litteras; ex his enim venenum effunditur, quò puellarum animi perturbantur, inflammantur, corrumpuntur.

760. Caveant insuper parentes, ut filiæ temperantes sint in cibo sumendo & præsertim in potu. Olim vinum bibere non permittebantur adolescentulæ. Duo dicta in hac re proferam Sanctorum Patrum. Primum est Hieronym. loco laudato, ubi hæc scribit: *Discat jam nunc, & Vinum non bibere, in quo est luxuria, & si necessitas postulaverit, vino utatur modico propter stomacum, & etiam carnium edulio sustentetur*. Alterum est S. August. de Matre Monica, cui ab aliis nobilibus mulieribus filiæ committebantur lib. 9. confess. cap. 8. sic narrantis. *Ipsa curam filiarum commissam sibi diligenter gerebat, & erat in eis coercendis, cum opus esset sancta severitas, vehemens atque in docendis sobria prudentia. Nam eas, præter illas horas, quibus ad mensam parentum moderatissimè alebantur, etiamsi excandescerent siti nec aquam bibere sinebat, præcavens consuetudinem malam, & addens verbum sanum. Modo aquam bibitis quia in potestate vinum non habetis, cum autem ad maritos veneritis, factæ dominæ Apothecarum, & Cellariorum, aqua sordebit sed mos bibendi prævalebit*.

761. Ex dictis nonnulla consectaria progrediuntur. Primum est præcavendum esse à puellis vanum cultum ac ornatum, & tantùm urbanè ac modestè vestiendas. *Cum verecundia, & sobrietate ornantes se* monet Paulus 1. ad Timoth. 2. ubi Hieronym. ep. 109. scribit *Hæc autem præcipiens, non eas jubet squallore, sordibus, & horrentibus pannorum assumentis tegi, sed immoderato cultui, & nimis exquisito interdicit ornatui, simplicemque commendat ornatum*. Exteriorem superfluitatem interioris vanitatis argumentum esse, & mollia indumenta animi mollitiem indicare, ait Bernard. in Apol. ad Guill. Ab. Quid in fœmina, & multo magis in adolescentula mali non excitabitur, si nimius externus cultus concedatur? plura recensuit S. August. hom. 41. in Genes. & dixit: *A cultu externo innumera fiunt mala, & nondum dico animæ nocumenta; arrogantiam, quæ inde nascitur, despectum proximi, fastum spiritus, animæ corruptionem, voluptatum illicitarum fomitem &c.* Ipse Juven. sat. 6. rem sic expressit: *Nil non permittit mulier sibi turpe putat nil, Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum auribus extensis magnos commisit elenchos*. Existimant istę mulieres ac adolescentulæ hac

hac ornatus ſuperfluitate ſibi amatores ac maritos comparare; Deo tamen valde diſplicent, dum hominibus geſtiunt placere, timeantque quod Iſaię 3. ſcriptum eſt videlicet: *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant &c. decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques .... & erit pro ſuavi odore fœtor, & pro Zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium*. Sed, & falluntur, dum ſibi maritos comparare arbitrantur. Mente retinere deberent, quod narrat Ælianus Var. lib. 12. hiſt. cap. 1. nimirum ad Cirum juniorem plures regni adoleſcentulas adductas fuiſſe. Omnes auro, margaritis pretioſiſque veſtibus enitebant oculos vivaciores circumvolvebant omnes, una excepta Aſpaſia, quę neglectis artis ſubſidiis verecunda ac modeſta ferme in angulo latebat. Hanc reſpexit Rex. Hęc, inquiit, inter iſtas innocens eſt, eamque ſibi in uxorem elegit, atque ut ſacram exhibeam hiſtoriam; Eſther ea fuit, quę ab Aſſuero inter reliquas regiam dexteram, & coronam obtinuit, ſed de ea dictum fuit c. 2. *non quæſivit muliebrem cultum &c.*

762. Secundum eſt, arcendas à parentibus eſſe puellas à virorum congreſſibus, vulgo *converſationi*, & multo magis à theatrorum ſpectaculis, ac ſaltationibus. Pudicitiam ſpectaculis ſępe ſtratam ſemper impulſam vidimus, multę inde domum impudicę, plures ambiguę redierunt, caſtior autem nulla. Novimus ex Joan. Chryſoſt. hom. 15. ad populum Antioch. immorationem in theatris fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperiſſe; qui, & hom. 6. in Matth. dixit: *Propterea in Urbibus etiam diabolus theatra conſtruxit, & illos riſuum ac turpium voluptatum incantores paravit, & per illorum luem in univerſam Urbem talem excitat peſtem*. Qualia, & quanta in hac re dixerint Patres prætereo, ſed quid ex iſtis evenire poſſit dicat ethnicus ipſe Ovid. de arte lib. 1. *Spectatum veniunt veniunt ſpectentur ut ipſæ. Ille locus caſti damna pudoris habet*.

763. Pauca nunc dicamus de ſaltationibus, & quantùm puellis inde damnum conſurgat, inſpiciamus. Certe ex iſtis non niſi pravi animi motus, non niſi turpia deſideria, non niſi cogitationum tumultus progredi poſſunt. *Difficulter fiunt choreæ ſine diverſis peccatis*, ait Gerſon. ſerm. 2. contra luxuriam. Quid, bone Deus, puellas ſono ſtupidas circumducere, urgere, ſtringere ac ſpecie urbanitatis atterrere, quam Veneris præludium? *Liberæ ibi manus liberi oculi, liberæ volant voces, pedum ſtrepitus &c.* inquit Petrarc. de remed. dial. 24., & ipſe Tull. pro murena, *Nemo*, dicit *ſaltet ſobrius, niſi inſaniat*. Ab iſtis igitur procul adoleſcentulæ, illud teneant quod ſcribit Hieronym. epiſtol. 47. *Tibicinas, & pſalterias, & iſtiuſmodi chorum diaboli, quaſi mortifera ſirenarum carmina proturba ex ędibus tuis.*

764. Denique, ut alia plura prætermittamus, obligantur parentes ad filiabus ſuis ita conſulendum, ut ſi nubiles ſint, & ipſæ conſentiant, in matrimonii ſtatu collocentur, vel religionem ingredi ipſis permittant, ea ſubſidia ferendo quæ poſſunt. Dum autem de nubenda filia res agitur non modicum negotium pertractatur ait enim Salom. *Trade filiam tuam, & grande opus feceris* ſed cui danda? viro utique probo, honeſto ac ſenſato. *Homini ſenſato da illam*, proſequitur Salomon. Cum Themiſtocles Philoſophus unicam filiam haberet, & eam duo viri in uxorem peterent, alter quidem dives, ſed imprudens, alter verò pauper, ſed prudens; pauperi potius tradendam duxit, inquiens: *Malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro*. Caveant inſuper ne minis, & injuriis vel ad matrimonium

vel

vel ad Religionis ingressum filios vel filias cogant, in priori enim casu ad minùs lethaliter peccant; in secundo verò etiam in pœnam incidunt excommunicationis.

ARTICULUS VII.

An Pater obligetur ad præstanda filiis suis alimenta.

756. Hucusque actum est de obligatione parentum per respectum ad filios quo ad bona animi, nunc consideranda est eorum obligatio quo ad alia bona, quæ nomine generali alimenta dicuntur. Plura autem examinanda sunt, quæ ut paucis perstringamus, operam dabimus.

Primò inquiremus, quid de jure naturali sentiendum sit. Et quidem si de isto, prout est quædam propensio, & inclinatio naturæ, sermo sit; filiis alimenta esse præstanda, in dubium revocare non possumus. Videmus hoc in ipsis belluis, & feris, quæ quamtumvis immanitate, ac sævitie præpollent; attamen ad filios nutriendos, quos procrearunt, impelluntur; juxta illud Tullii lib. 3. de fin. *A natura impellimur, ut eos, quos genuimus, nutriamus, & amemus*, & lib. 1. de offic., *Commune omnium animantium est conjunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt.*

766. Controvertitur itaque, an filiorum educatio non solùm sit de jure naturæ inclinante, sed etiam in foro conscientiæ obligante. Negant hoc plures doctores, inter quos Ferdinand. Vasquius lib. 2. de success. §. 20., Dynus in cap. *Indultus* de reg. jur. in 6., Alciat. de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 8. ubi alios plures adducit, & dicunt, alimenta à Patre filio esse præstanda tantùm à jure positivo coactivè haberi.

Contrarium tamen dicendum est cum Menoch. in addition. de arbitrar. cent. 6. casu 501., Marta de success. p. 1. quæst. 25. art. 5., Mantica de tacitis, & ambiguis convent. p. 2. lib. 13. tit. 12., aliisque quàm pluribus, quos refert Ludovic. Molina lib. 2. de primogenit. cap. 1., atque hoc tradidit S. Th. 2. 2. quæst. ultima art. 6. in cap. & cum eo illustriores Theologi, quorum sententiæ & ego subscribo. Probant hoc S. Hieronym. in cap. 15. Matt. & S. Th. loco laudato, quia ex vi quarti præcepti, quod in Decalogo continetur, & filii tenentur alimenta præstare parentibus indigentibus; & indigentibus filiis parentes; alii verò id suadent, quia parentes sunt principium & causa filiorum, proinde ipsis per se, & absolutè incumbit onus illos alendi; & cum singulæ res effectus suos ad perfectionem perducendos sedulo curent, remanet, ut parentes filiis, qui ut essent ab illis habuerunt, in bonis corporalibus, & spiritualibus debeant naturali lege prospicere. Hoc expresse etiam traditur in l. *Fin.*, §. *Ipsum autem* Cod. *de bonis, quæ liberis* ubi hæc leguntur: *Ipsum autem filium, vel filiam, filias, vel filios deinceps alere patri necesse est, non propter hæreditatem, sed propter ipsam naturam, & leges, quæ & à parentibus alendos esse liberos imperaverunt, & ab ipsis liberis parentes, si inopia ex utraque parte vertitur.*

767. Dices 1. non omnem rationem naturalem facere in homine jus naturale, ergo quamvis ex instinctu, & pro pensione naturæ parentes filiis alimenta tribuant, attamen non infertur, esse jus naturale strictè dictum 2. Quando lex civilis jus naturale ita declarat, & exponit, ut ipsi aliquid reddat, propriè jus naturale dici non potest, juxta regulam, in qua dicitur, quod quando additur, vel detrahitur juri naturali, illud quod disponitur, efficitur jus civile, & jus naturale supprimitur ut habetur in l. *Jus civile cum similibus*.

Sed contra: fateor, primum esse verum absolutè loquendo; falsum tamen est, quando ratio naturalis immedia-

mediatè progreditur à primis principiis juris naturalis, qualem in nostro casu contendimus. Ad 2. non repugnat, quod jure naturali illæso manente, illi addatur jus positivum, l. *Jus civile* ff. *de justitia, & jure*, & tunc solum jus naturale detrahitur per jus civile, quando per hoc id quod ab ipso præscribitur in substantia alteratur, non quando substantialibus relictis de aliquo accidentali disponitur, ut in re nostra contingit, & infra dicemus.

768. Inquirimus secundò, in quo consistant hujusmodi alimenta, ad quæ jure naturali tenentur parentes.

Respondeo, non solùm consistere in iis, quæ præcisè necessaria sunt ad vitæ sustentationem; sed etiam in iis, quæ juxta statum conditionem filiis conveniunt; dummodò parentes possint, in qua suppositione omnia dicuntur, quę nos stabilimus; & dummodò filii aliundè non habeant.

Ratio responsionis est, quia si tenerentur ea tantùm alimenta prętare, quibus filii ab extrema necessitate liberarentur, nihil obligationis esset in parentibus, quod non esset etiam in quocumque alio; sed hoc non est dicendum; ergo. Illa igitur alimenta pręstare debent, quibus commodè juxta communem, & ordinarium vivendi modum possint vitam traducere, nimium etenim dedecens injustumque foret, Patrem omnibus abundare, filium omnibus indigere; & quod dico de Patre per respectum ad filium, assero de filio per respectum ad Patrem. Juxta hęc docent communiter, filium non posse ingredi religionem, si Pater aliunde subsidium habere non possit; neque posse Patrem, si filius ejus ope indigeat, ut tradit S. Th. 2. 2. quæst. 189. art. 6. in cap.

769. Neque hoc tantùm affirmari debet, si de filiis ex legitimo matrimonio susceptis agatur, sed etiam, si de spuriis, atque illegitimis proportione servata. Ratio est, quia obligatio alimenta filiis præbendi non oritur præcisè ex vinculo matrimonii, & patria potestate, sed ex debito naturali parentum erga filios, & filiorum erga parentes, in quo fundatum est quartum pręceptum Decalogi; quapropter, sicuti filii, quamtumvis spurii, & illegitimi, non desinunt esse filii, & tenentur ad honorem deferendum patribus; ita patres non desinunt esse patres, & tenentur ad subsidia filiis præbenda. Certè quod ad naturam attinet, nulla est distinctio inter filium legitimum, ac illegitimum; sed hujusmodi distinctio ab humanis legibus originem duxit, quibus effectum est, ut illegitimi legitimi fierent; natura siquidem omnibus communis est l. *Hoc accusare* § *Omnibus* ff. *de accusationibus*. Unde Anchar. const. 225. inquit, in naturali fœdere prolem naturalem censeri legitimam, & l. Amicissimos §. *Lucius* ff. *de excusat. tutor.* asseritur, quod sicut Pater potest defendere se, ita & filium sive legitimum, sive illegitimum, & filius naturalis, sicut se ipsum, potest defendere patrem naturalem. Ad hæc. l. *Cum acutissimi* Cod. *de fideicom.* infert Baldus, puniri ut parricidam filium naturalem occidentem patrem, vel è contrario. Si igitur naturale jus inspiciamus, quod de filiis legitimis dicitur concludendum etiam de illegitimis; & ideo &c.

707. Neque obstat, filiorum procreationem extra matrimonium esse contra naturam, cum naturali lege prohibita sit fornicatio, tamquam ab intrinseco mala, & ideo hoc, quia filiorum educationi adversatur: etenim aliud est, filios non procreari absque peccato; aliud est, procreatos filios cum peccato non fore, quantum licet, & fieri potest alendos, atque educandos. Primum non inficiamur, sed secundum. A Deo autem naturæ authore, atque à natura ipsa prohibita est fornicatio, quia, regulariter loquendo, filii ex fornicatione geniti rectè edu-

educari non possunt; & ideò statuerunt, ut conjunctio, per quam filii procreantur, sit per solum matrimonium facienda, non tanquam res simpliciter secundum ordinem naturæ ad filiorum procreationem necessaria, cum revera secundum ordinem naturæ sine matrimonio procreentur in brutis; sed tantum necessaria ad benè esse, ut inquiunt. Præceptum autem quartum Decalogi datum est à Deo secundum ordinem naturæ simpliciter necessarium, & per se, quatenùs parentes sunt principium, & causa filiorum, atque inter eos datur sanguinis conjunctio, quæ est doctrina S. Th. 2. 2. q. 101. art. 2.

771. Inquirimus 3. an Pater teneatur ad alimenta præstanda filiis legitimis, vel illegitimis, tantum dum pueri sunt.

Plura argumenta profert Vasquius lib. 2. de succesf. creat. §. 20. probaturus, quod etiam si teneretur Pater ad alendos filios stricto jure naturæ, attamen cessaret obligatio, quando ad eam ætatem pervenerint, qua sibi victum quærere possint, & comparare. Affert primò plures textus, quales sunt in can. *jus naturale* dis. 1. ubi pueri dicuntur pupilli usque ad an. 14., & l. *Fin.* §. *Ubi autem puerilis ætas*, Cod. *de bonis*, ubi parvuli propriè dicuntur educari. Rursùs l. *si quis à liberis*. §. *Sed si filius* ff. *de agnosc. liber.* Si enim filius sibi victum comparare potest, Dominum, cui serviat, sibi quærendo, cur stricto jure à Patre alimenta percipiet? Denique attendamus quid in omnibus animantibus contingat, hæc natos suos alunt, quamdiù per semetipsos victum habere non possunt, deinde dimittunt, imò, & ipsorum notitiam perdunt. In hac sententia videtur Barthol. in dictam legem, *si quis à liberis*, & per l. *unicam* Cod. *de mendicantibus validis*. Adhærent etiam Filliucius, & Azorius.

772. Argumenta ista non adeo urgent, ut hoc à nobis affirmari debeat. Educatio non solum se extendit ad ætatem annorum quatuordecim, sed ad omne tempus, quo filius indigere potest vel necessariis ad vitam corpoream, vel instructione quo ad mores; & si quid probaretur, tantùm usque ad septennium, quo pueritia complętur, essent alendi, ex quo reiicitur quod per duos priores textus opponebatur. Tertius etiam textus non evincit, nisi quando filii absque operibus sordidis, & indecentibus possent sibi alimenta comparare. Quod tandem dicitur exemplo aliorum animantium inconsultò adducitur; etenim probaret, quod sicuti cætera animantia nullam curam impendunt pro alendis parentibus, ita filii inter homines jure naturali non tenerentur alimenta præbere parentibus indigentibus; quod valdè absurdum est; Rursùs probaret, quod neque deberet Pater necessaria præstare filio, postquàm adoleverit, & factus esset impotens ad victum quærendum, sicut contingit in brutis.

Præfati igitur textus, & si qui sint alii, ita intelligendi sunt, ut si filii habeant aliunde, quæ sibi ad victum decentem sunt necessaria, Pater ultra non teneatur ad ipsis alimenta subministranda, quod concludunt omnes Doctores.

ARTICULUS VIII.

Quibus filiis legitimis, & naturalibus teneatur Pater alimenta præstare.

173. QUæres 1. An filio, Principis sententia pro scripto, danda sint à Patre alimenta.

Respond. affirmativè. Ratio est, quia per exilium, & condemnationem non privatur filius iis, quæ sunt juris naturalis, & gentium, neque lex civilis tollit jura naturalia; sed ex probatis Pater jure naturali debet alimenta præstare filio, ego. Majorem approbant Barth. in l. *Emissionem* §. *Qui deficiunt* ff. de capit. diminut, Menoch. consf. 101. num. 8.

num.8. aliique. Hoc valet, quamvis Princeps statuto pœnali prohibuisset, à se proscriptis alimenta præberi; hujusmodi enim statutum de illis tantùm deberet intelligi, qui naturali jure ad alimenta præstanda non tenentur; quemadmodum si fieret decretum, quo banniti impune occidi possent, hoc Patrem per respectum ad filium non comprehenderet.

Hæc tamen responsio intelligenda est, dummodò filius non sit proscriptus, quia sit obnoxius Reipublicæ, vel quia in propriam patriam malum aliquod pertentet; tunc enim tanquàm publico hosti, & rebelli essent alimenta deneganda; imò in aliquo casu posset ac deberet occidi, ut expresè probat textus in l. *minime* ff. *de relig.*, *&* *sumpt. funer.*

774. Quæres 2. an filio excommunicato.

Resp. affirmativè; sententia enim excommunicationis non eximens filium à debito obsequio, & obedientia præstanda Patri, neque eximit Patrem à debito alimenta præbendi filio; ut docent Nellus tract. de bannit. p. 2. num. 1. Surdus q. 29. tit. 1. de aliment. num. 13. ubi allegat. Glos. in cap. *Pastoralis*. Bonacina, Filliuc., Azorius &c.

Ut autem notum fiat, qualia debeant esse hujusmodi alimenta, nempe an simpliciter necessaria ad vitæ conservationem, an verò juxta dignitatem personæ; distinguamus oportet. Vel culpa sua non persistit in excommunicatione, & nititur, ut obtineat absolutionem; & in hoc casu videtur, alimenta præstanda esse juxta dignitatem personæ; vel contingit oppositum, & tunc ea tantùm præstanda sunt, quæ simpliciter conservandæ vitæ sunt necessaria; sicut Panormitanus, & Decius in dictum cap. *Pastoralis* docent de Clerico excommunicato contumaci; quem dicunt de fructibus beneficii alendum non esse, nisi in extrema necessitate. Ratio autem est, quia si pinguiora alimenta præberentur, daretur occasio perseverandi in contumacia, & excommunicatione.

775. Quæres 3. an filio, qui à fide Catholica defecit, & in pertinacia persistit.

Respondeo, danda esse alimenta, quæ tantùm sunt ad vitam simpliciter necessaria; quam sententiam tradunt Farinac. quæst. 182. num. 13. de hæresi, Azor. lib. 2. par. 2. cap. 4. qu. 10. Fagund. lib. 4. in decal. cap. 2. num. 6. aliique. Ratio est, quia generatim loquendo Hæretico in extrema necessitate constituto possunt ac debent Catholici, ne fame pereat, ministrare; quia potest ad fidem converti, & de nullius æterna salute, donec in hac mortali vita degit, est desperandum; imò Hostiens., Butrius, Marianus Socinus, in Glos. cap. *In eo nihil conferat de Hæreticis* inquiunt, potiùs fratri aut patri Hæretico in extrema necessitate constituto subsidium ferendum esse, quam extraneo Catholico, & hoc ob naturalem sanguinis conjunctionem. Igitur &c.

776. Hoc valet, si filius, vel pater tantùm Hæreticus sit; contrarium tamen affirmandum esset, si non tantùm sibi per hæresim noceret, sed etiam aliis, nempe si esset falsorum dogmatum propagator, & alios à fide avertere niteretur; quia in hoc casu ratio publicę fidei, Reipublicęque Christianę, omnia illi neganda esse postularet; atque in hoc sensu loquuntur Doctores illi, qui absolutè dicunt, patrem Catholicum Hęretico filio alimenta negare debere; quales sunt Lupus Caccia in l. *Fratres à fratre*, Surdus, Panormitanus, Molina, aliique pluras; & à S. Hieronym. laudantur Phinees, & Petri severitas in Ananiam, & Saphiram: & certè si ob crimen lęsę majestatis humanę negantur alimenta, ut docet Surdus in tit. *Qui sint filii legitimi*, multò magis negari debent ob crimen lęsę majestatis divinę. Quod argumentum, utrum teneat, non contendo.

Quę-

777. Quæres 4. Utrum pater Infidelis, vel Judæus debeat juxta statum & vires patrimonii filio ad fidem converso alimenta præbere.

Responsio est affirmativa, & habetur textus expressus in l. *Cognovimus* ff. *Sed ne videamur* Cod. *de Hæreticis*, eamque præ cæteris docent Ricciul. lib. 2. de jure personarum cap. 29. & de Neophytis cap. 9., necnon Barbosa ad decretal. collect. in cap. *Judæi*. Ratio est, quia filius propter conversionem ad fidem Catholicam non est factus deterioris, sed dignioris conditionis; ergo eadem jura, quæ priùs ipsi favebant, etiam postea; sed priùs alendus erat à patre juxta statum & vires patrimonii; ergo etiam post; Quod si pater perfidus nolit, cogendus erit.

778. Eadem ratione probatur teneri etiam juxta vires patrimonii filiæ dotem conferre; & tantùm dubium est apud Doctores, quid dicendum foret, si pater alia bona non haberet, nisi ea, quæ ex usuris & illicito quæstu sibi comparavit. Negant Panormit. in cap. *Cum tu* num. 13. de usuris, Campeg. de dote quæst. 47. Affirmant Federic. de Senis cons. 63., Ananias in idem cap. *Cum tu*. Dicunt enim, filiam, quæ dotem accepit à patre ùsurario, non teneri, defuncto patre, ad dotem restituendam; etiamsi ad plenariam restitutionem usurarum patris hæreditas non sufficiat. Utraque sententia vera est, si aliquæ limitationes apponantur. Vera est prior, si constat certò omnia bona patris esse ex illicito quæstu; aliter in dubio quis ex licito lucro supponi debet ditatus l. *Marit.* ff. *Pro socio*. 2. Si personæ, quibus restitutio facienda esset, non essent incertæ, aliter vigore Constitutionis Pauli III. qua bona conceduntur iis, qui ad fidem convertuntur, favor cederet in utilitatem ad fidem conversi. 3. Si dos non sit à patre soluta in pecunia; aliter, quamvis vigore juris dotis repetitio concedi posset, si alia bona non sufficerent ad satisfaciendum; attamen juxta æquitatem non daretur, atque hanc esse consuetudinem, quæ in Tribunalibus servatur, testatur Rota in Rom. *comput.* 1604. 28. Octobris, necnon Ricciul. *de Neophyt.* cap. 9. In quo igitur sensu sit etiam vera secunda sententia, compertum est.

ARTICULUS IX.

An si filius bona pro suis alimentis assignata consumpserit, teneatur pater ipsi de novo alimenta præbere.

779. Ut distinctè punctum hoc pertractetur, distinctionem adhibeamus oportet; vel enim bona pro alimentis assignata, consumpta sunt fortuitò & absque culpa filii, saltem præmeditata; vel culpabiliter & dolosè, quatenus omnia in ludis & cum scortis prodegit, ac dissipavit.

Dico primò: si illa bona consumpta sint fortuitò, puta propter incendium, patrem teneri ad præbenda alimenta condecentia filio, habita ratione bonorum ejusdem patris. Ratio hujus est, quia hujusmodi consumptio seu amissio à fortuito casu proveniens, quæ humano consilio prævideri non potest, nullo modo potest imputari filio; non debet igitur filius privari jure obtinendi alimenta condecentia, si aliunde non habet, quo competenter vivat. Ideò in hac sententia sunt Corduba in cap. *Si quis à liberis* ff. *Idem Judex* num. 14. Merlin. *de legitima* lib. 2. tit. 2. qu. 30. Menoch. de arbitr. casu 182. num. 14. aliique plures, idem statuentes de dote, quæ fortuitò esset consumpta, & amissa.

780. Utrum verò idem sentiendum sit, si consumpserit bona sibi assignata culpa quidem sua, sed sine dolo, & non ordinata ad casum; puta si homicidium commisit, & ut se liberet à condemnatione & pœna, illa distrahat, & sic ad summam inopiam redigatur. Jurisperiti dividuntur. Decius in cap. *Quæ*

Quæ in Ecclesiarum num.30., Alexand. in l. *Si fidejussor*, §. *Si necessaria*, ff. *De satis*, Barbosa, & alii, asserunt, filio, qui ex culpa ad factum non directa ac præmeditata, legitimam, ac Trebellianicam consumpsit, subsidium dandum esse. Fundamentum ipsorum est, quia culpa ad casum non præmeditata consideranda non est, ut ait Glofs. ver. *Suspensus de concessione præbendarum* in cap. *Quia diversitatem*; ergo cum in re nostra illa culpa non sit ad casum necessitatis directa ac præmeditata, non est consideranda; proinde &c. Contrarium sustinent Bartholus in l. *Si post dotem*, §. *Si post solutum*, Merlin. quæst. 30. num. 8., & hoc esse communius Doctorum placitum asserit Menoch. loco laudato num. 45., quorum fundamenta inferiùs proponentur.

781. Dico 2. Filio, qui dolosè & sua gravi culpa consumpsit bona, sibi pro alimentis assignata, patrem non teneri alimenta condecentia & juxta dignitatem suam præbere.

Hoc multa momenta suadent. 1. Quia dolosè & gravi culpa peccantem alendum non esse, sed in sua egestate relinquendum, habemus in l. *Bona fides*, ff. *Depositi*. Filius autem, qui in ludis, & cum scortis bona sua dissipavit, dolosè egit, & gravi culpa peccavit; ergo in sua egestate est relinquendus. Et profectò, quo pacto necessitatis prætextu legis auxilium implorabit, qui in talem necessitatem sua incidit culpa? Oppositum decernitur in l. *Jam dubitari*, ff. *de hæred. instit.* & l. *Fidejussor*, §. *Si necessaria*, ff. *Qui satis cogant*. 2. Si filio modo dicto bona pro alimentis tradita dissipanti, alimenta essent præbenda, culpa suo authori non noceret; est autem hoc contra jus naturale, & rationem dictantem, pœnam sequi debere peccantem, neque unus ex alterius facto lædi debet ac gravari; quod totum decernitur cap. *Culpa sua* de regulis juris in 6., & l. *Quisquis in suo*, §. *Legis*, Cod. *de inoffic. testam.* Ideo hanc sententiam tuentur Peregr. *de fideicom.* art. 41., Barbobus *de filiis fam.* quæst. 30., Corduba, & Menoch. locis citatis, Bald. in Authen. *Contra rogatus*, Cod. *Ad Trebell.* num. 8. qui & dicunt, quod, cum christiana pietas non patiatur, quod quis fame pereat, huic filio titulo eleemosynæ, & auxilii gratuiti fore subsidium concedendum.

782. Dico 3. Hujusmodi filio danda esse à patre alimenta ad vitæ sustentationem necessaria. Ratio, juxta principia à nobis stabilita, facillima est; quia alimenta debent à patre filio præberi jure naturali strictè tali; & rursùs ex charitate orta ex sanguinis vinculo; ergo pater tenetur ei saltem alimenta ad vitæ necessaria præbere, jura enim naturalia nullo facto possunt mutari, & certè concludi debet, plus obligationis esse in patre, quàm in quocumque alio; ergo si quilibet ex christiana pietate debet alicui in extrema necessitate constituto necessaria ad vitam largiri; Pater non solùm ex christiana pietate; sed etiam ex justitia tenebitur. Ita tradunt Ludovic. Molina *de primogenit.* cap. 16., Merlin. *de legitima* lib.2.q.30. tit. 2., Fontanel. *de pactis nuptial.*, Barzius *de non meliorandis filiabus* c.16. aliique plures, qui etiam indefinitè dicunt, huic filio alimenta esse præstanda.

ARTICULUS X.

An pater teneatur ad alimenta præstanda filio, qui nolit habitare cum ipso patre.

783. Certum est, quod si filius justa ac legitima causa nollet habitare cum patre, teneretur pater ad alimenta præbenda; Quænam autem sint justæ causæ, septem communiter recensentur. Prima est, si filius habitare non posset in domo patris, nisi contra Dei legem, quatenus hujusmodi cohabitatio ipsi proxima foret occasio peccandi. Secunda, si pater suum patri-

trimonium prodigeret, ac dissiparet; tunc enim ad Judicem confugere posset, ut patrem cogeret, ad sibi assignandam portionem, quæ foret loco legitimæ. Tertia, si pater transiret ad secundas nuptias propter odium, quod intercedere solet; & quamvis etiam non intercedat, quod præsumitur inter novercam, & privignum. Quarta, nimia austeritas & sævitia patris, ex hac enim oriuntur lites & contentiones, quæ infelicem exitum habere solent. Quinta, si pater filium è domo expulit. Sexta, si filius ingrediatur Monasterium, à quo alimenta nequeat percipere. Septima, è converso, si pater Monasterium ingrederetur. Si quæ autem aliæ causæ esse possint, ad Judicis prudentiam definire ac considerare spectabit.

784. Est igitur difficultas, quando filius absque justa causa nolit habitare cum patre.

Dico primò: Attento jure communi patrem non teneri. Ita Rota Romana decis. 117., Jason in l. *Cum hi*, §. *Si vult*, ff. *de transactionibus*, Angel. in l. *Quidam cum filium*, ff. *de verb. obligat.*, & communiter omnes. Rationes plures sunt. 1. Quia quemadmodum naturali jure pater tenetur ad alendum filium, ita filius tenetur ad commorandum cum patre, & ipsi in paterna domo obedientiam & obsequia præstanda. 2. Quia, si pater nullam habens legitimam causam ejiciendi filium, & huic vellet extra domum alimenta subministrare, non cogeretur filius ad exeundum domo, & illa alimenta percipienda, ut docent Boerius, & Baldus; quare pater tenebitur ad danda, si filius absque justa causa velit è domo paterna discedere? 3. Quia pater jus habet ad cogendum filium, ut domi habitet, sicut jus habet illum educandi; ex quibus omnibus apparet quod diximus. Porrò quod postremò indicavimus, est intelligendum, si filius velit ali à patre; nam si alimenta nollet, & vellet eligere aliquod honestum vitæ genus, à patre impediri non posset, nisi filii ope indigeret; liber enim homo servilis conditionis esse non debet l. 2. ff. *Si quis à parentibus fuerit manumissus*.

785. Dico 2. Attento jure particulari alicujus Regni, vel Provinciæ rem aliter posse se habere; & de facto ita esse in Regno Neapolitano, notant Molfesius quæst. 2., & Pasch. *de patria potestate* par. 2. cap. 3. Hoc tamen jus particulare ita debet intelligi, ut pater nullam habeat urgentem necessitatem; quia in hoc casu pater ex justa causa alimenta negaret; & talis consuetudo esset iniquissima, cum esset contra legem naturalem.

ARTICULUS XI.

An parentes possint exponere suos infantes, & quorum expensis alendi sint isti.

786. Ea, quæ ad priorem tituli partem pertinent, apud omnes certissima sunt. In dubium revocari non potest, quod ex natura rei, & præcisis circumstantiis, quæ excusare possunt, hujusmodi infantes exponere sive Hospitali, sive ad januas Ecclesiæ, vel Monasterii, aut alterius privatæ personæ, sit gravissimum peccatum contra naturæ instinctum, quo videmus, neque feras ipsas prolem suam negligere. Hac de re tam in jure civili, quàm canonico adversus hujusmodi expositores, plures pœnæ statutæ sunt; ut videri potest in civili l. 1. 2. & 4. Cod. *de infantibus expositis*, in canonico cap. unico *de infant. expos.*

787. Possunt autem esse aliquæ circumstantiæ, quibus parentes, infantes sic exponendo, à culpa liberari possunt. Primò, si parentes tali coarctentur inopia, ut nullo modo possint eos alere ac educare, nec sperent, sibi ab aliis dandum esse, quo possint. Secundò, si id fiat ad tegendum crimen adulterii, vel for-

fornicationis, necnon ad evitandam infamiam, mortisque periculum; etenim nec in priori, neque in posteriori circumstantia ad exponendum aliud non movet nisi paupertas, & justus metus amittendi vel honorem, vel vitam. Debet autem res ita fieri, ut infans vel defectu nutrimenti, vel operimenti non periclitetur, & apponenda est schedula, qua declaretur, puerum esse baptizatum, vel non.

788. Quod attinet ad secundam partem, indubitatum est, quod ubi sunt Hospitalia ad hunc finem instituta, de bonis ejusdem hujusmodi infantes per se alendos esse; & ideò eorumdem præfectus ad eos suscipiendos tenetur. At ubi Hospitalia non sunt, Panormit. in caput unicum num. 3., Surdus, & Barbosa censuerunt, alendos esse sumptibus Ecclesiæ seu ejus Rectoris, si sufficientes habeat facultates; quæ si desint, sumptibus vasalli ejusdem loci domini; qui, sicut succedit in bonis vacantibus l. 1. Cod. de bonis vacantibus, quia desunt consanguinei cogniti; ita etiam succedit in hoc onere subeundo. Aliqui demum id ad communitatem pertinere, vel ex redditibus bonorum communium, vel ex collectis ad id faciendis; & ratio est, quia infantes isti dicuntur filii populi, ideò vulgò appellantur quæsiti; proinde ad communitatem, tamquàm ad matrem eos alere spectat.

789. Sed hic promovetur dubium, quid sentiendum sit, quando parentes divites, ut infamiam, vel vitæ amittendæ periculum evitent, infantes hospitali tradunt alendos; nempe, utrum teneantur hospitali restituere expensas.

Multi, inter quos Fagundez in Decal. lib. 4. c. 1., Bonacina q. 4. de matrim. par. 15. Azor., Sylvest., sentiunt, parentes teneri ad restituendas hospitali præfatas expensas. Ratio horum est, quia hospitalia sunt instituta, & redditus ejusdem traditi pro pauperibus, & filiis pauperum; igitur si parentes divites sint tenentur &c. Mitiùs segerit Enriquez dicens juxta rigorem justitiæ nequaquàm teneri, sed tantùm secundùm æquitatem; quia hæc Hospitalia pro hisce infantibus expositis, & aliis similibus parvulis alendis sunt instituta, ne à parentibus neglecti pereant, & talis præsumi debet intentio institutorum, ut zelo communis boni, proinde etiam per respectum ad divites id fecerint. Layman arbitratur, quod, si Hospitale divitiis affluat, ad nihil teneri; è contra si pauper sit, à fortiori verò dicendum id esset, si de mandato Principis fierent collectæ pro expositorum sustentatione; quia tunc omnes concurrerent, & tributa illa essent à communitate recepta cum hujusmodi onere.

ARTICULUS XII.

An mater teneatur per seipsam lactare proprios filios.

790. Vereor, ne in hujusce quæsiti resolutione delicatam aliquarum mulierum consuetudinem in me provocem, iram tamen exerceant suam non in me, sed in omnes Theologos, qui unanimi consensu definiunt, matrem de jure naturæ teneri ad lactandos per se ipsam proprios filios, & si id non faciat, dummodò non sit justa causa, peccare. Hi sunt, ut plures alios prætercam, Sayrus lib. 7. clavis cap. 7. Layman tract. 10. lib. 15., Bonacina tom. 2. disp. 6. quæst. unica, Fagundez in decal. lib. 4. cap. 1., Panormit. in cap. *Cum haberet*, *de eo*, *qui ducit in matrimonium*, Cardin. Alexandrinus in can. *Ad ejus* dist. 5., Navar. in manuali cap. 14. &c.

Ut hoc verum esse probemus, inspiciamus primò naturam ipsam in animantibus cæteris, quæ per semetipsa suis partibus alimenta ministrant; an non igitur eadem naturæ inclinatio, eadem lex non erit in mulieribus? Perpen-

pendamus prætereà ejusdem naturæ opus, quo sic fœminam efformavit, ut ampliora ipsi ubera dederit, & partus tempore sanguinem in lac converterit; Utquid hoc, nisi ut ostenderet, eo esse infantem alendum? Hac in re optimè scripsit Phavorinus Philosophus apud Gellium l. 10. noctium Atticarum cap. 1. dicens: *Solertia naturæ evidens est, quod postea quam sanguis ille opifex in penetralibus suis omne corpus hominis finxit, adventante jam partus tempore in supernas se partes profert, & ad ferenda vitæ, atque lucis rudimenta præsto est, & recens natis notum atque familiarem victum affert. Nec enim fœminis mammarum ubera, quasi quosdam ramulos venustiores, aut ornandi pectoris causa, sed alendorum liberorum gratia natura dedit.* Hinc non simpliciter matres, sed dimidiatæ, dictæ sunt illæ, qui filios pepererunt, nec ipsis lacte proprio alimentum dedere: *Est enim*, prosequitur laudatus Philosophus, *contra naturam imperfectum, atque dimidiatum, matres genitos peperisse, ac statim à sese abjecisse*. Hic certè adversùs quasdam me cohibere vix possem, si plus quam à me scribi posset, non scripsisset Garzias de expensis cap. 3. n. 30. ubi hæc habet: *Quàm malè faciunt matres, quæ fontes illos lacteos quæsitis medicamentis obturant; impiæ, feræ, asperæ, & immites, & in nulla alia re, quàm in oblectamentis, & voluptatibus matres*. Quamquàm quid plura dicam? Legatur can. *Ad ejus* dist. 5., hæc verba reperiuntur: *Prava consuetudo in conjugatarum moribus irrepsit, ut filios, quos gignunt, nutrire mulieres contemnant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant, quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inventum; quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare, quos gignunt*. Patet igitur id à peccato excusari non posse. Esse tamen peccatum lethale, dummodò tradantur mulieribus bonæ vitæ ac famæ, statuere non audeo; cum nec pietas, nec charitas debita filiis graviter violetur, nec filii grave damnum patiantur; esse tamen ex gravioribus inter venialia, affirmare non dubito.

791. Sed neque inficiari possum, aliquas causas ac circumstantias esse, quibus, si mater per se ipsam filium non lactet, à quolibet peccato excusetur. Generatim loquendo, omnia ea, quæ licitum faciunt proprios filios exponere, reddunt etiam licitum, eos non lactare. Quis etiam non excusabit matrem infirmam, & adeò pauperem, ut vix pro nutrimento proprio habere possit necessaria? Quis insuper eam accusabit, quæ vel defuncto marito, vel facto divortio religiosum statum inter claustra velit amplecti, vel lacte caret sufficiente?

792. Alias duas excusantes causas protulerunt nonnulli. Una desumitur à nobilitate; tamquàm si propriis uberibus infantem lactare, non sine dedecore fieri possit. Alia à consuetudine jam inducta, & fermè universali: Ita Azorius, Bart., Angel., Surdus &c. Verùm nobilitatem non esse legitimam causam, arbitrantur Covar. de sponf. par. 2. cap. 8. §. 6., Tiraquel. de nobilit. cap. 20., Garzias, aliique. Quodnam enim deducus fingi potest eum lactare, quem novem mensibus plus minusve proprio sanguine aluit, ac de propriis visceribus eduxit? Quot nobiles fœminæ, tam ex iis, quas profanæ referunt historiæ, quàm ex aliis, quæ in Scriptura sacra recensentur, suos filios propriis uberibus non aluerunt? Si quid dedecoris esse potest, erit in aliis vilioribus ac sordidis ministeriis; sed hæc per alias fœminas præstari curetur. Paucis verbis persolvam omnia: Proprii filii lactandi obligatio progreditur ab inclinatione, seu jure naturæ, ut dictum fuit; natura autem omnibus indiscriminatim communis est.

793. Proferri posset, nobiles fœminas per semetipsas filios non lactare, multùm utilitatis conferre Reipublicæ, cui

cui non mediocriter intereſt, plures habere cives, præſertim nobiles, quorum conſilio ac virtute protegatur; ut habetur l. 1. §. *De ventre inſpiciendo*; Si autem propriis uberibus eos alerent, hoc obtineri non poſſet, cum eo tempore opus ſit à Venere abſtineant, ne concipiant, quod lactantibus multum obeſſe, compertum eſt.

Verùm hæc ratio parùm ſuffragatur; fatemur enim valdè utile eſſe Reipublicæ, ſi pluribus nobilibus civibus repleatur; ſervato tamen modo à natura præſcripto, quæ tempus determinavit filios gignendi, & tempus ſtatuit genitos alendi; & ſi dictum argumentum quidpiam probaret, licitam etiam dices polygamiam, cum per hanc illud bonum abundantiùs obtineretur.

794. Quod etiam à conſuetudine deſumitur, per ſe loquendo, admitti non poteſt. Audiſti jam ex can. *Ad ejus*, conſuetudinem iſtam pravam appellatam eſſe. Ratio autem eſt, quia ex dictis matres naturali jure lactare tenentur; prava autem conſuetudo, cum ſit abuſus, non excuſat; & generatim conſuetudo, quæcumque ſit, poteſt quidem jus naturale vel minuere, vel augere, vel diſtinguere; non poteſt tamen illud omninò tollere, cum ſit immutabile.

795. Dixi, *per ſe loquendo*, nam ex ignorantia obligationis per jus naturale inductæ, quæ ignorantia ex longa & inveterata conſuetudine progredi poteſt, matres excuſari non negem; imò cenſeo, conſultius eſſe, de tali pravitate non admonere mulieres, ſed eas in bona fide relinquere; præſertim quia etiam data hujuſmodi admonitione ab ea conſuetudine averti non poſſent.

Noverint denique matres, quod ſi per ſemetipſas filios ſuos alerent, ſibi magis ſimiles ac amantiores haberent. Factum habemus in Junio Ruſtico, qui, ut refert Tiraquel. loco laudato, ſcribit, quod cum Nothus Gracchus è bello victor rediret, ei obviam fuerint mater & nutrix: Matri annulum argenteum dedit, nutrici torquem auream. Tunc conquerenti matri reſpondit: *Define queri, tu enim novem tantùm menſibus tuo utero tuliſti, hæc me duobus annis ſuis uberibus ſuſtulit &c.*

ARTICULUS XIII.

An filia invitis parentibus nubens poſſit hæreditate privari.

796. Suppono, filiam, invitis parentibus nubentem, ſervare omnia, quæ à Tridentino præſcribuntur. Reſolvenda autem eſt præſens difficultas; primò juxta jus Cæſareum, deinde juxta Canonicum.

Porrò jus Cæſareum videtur rem definire in authen. *ut cum de appellatione*, §. *Aliud quoque*, hiſce verbis. *Si alicui ex prædictis parentibus volentibus filiæ ſuæ, vel nepti maritum dare, & dotem ſecundum vires ſubſtantiæ ſuæ pro ea præſtare, illa non conſenſerit, ſed luxurioſam vitam degere elegerit. Si verò uſque ad vigintiquinque annorum ætatem pervenerit filia, & parentes diſtulerint eam marito copulare, & forſitan ex hoc contigerit in ſuum corpus eam peccare, aut ſine conſenſu parentum marito ſe, libero tamen, conjungere, hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputare.* Ex his infertur, non ſufficere, ut hæreditate privetur, ſi invitis parentibus nubat; ſed tria requiri; primò, ut ſit minor vigintiquinque annis; ſecundò, ut parentes velint eam matrimonio collocare, & dotem juxta ſubſtantiæ ſuæ vires tradere; tertiò, ut ipſa matrimonium illud reſpuat, & luxurioſam eligat vitam. Pariter infertur, quod ſi major vigintiquinque annis contraheret cum mancipio, hæreditas ipſi negari poſſet propter illa verba, *libero tamen*. Non ita concludendum de filio, qui licet invitis parentibus contraheret, & luxurioſam vitam duceret, adhuc exhæ-

exhæredari non posset; siquidem in dicta authentica sermo est tantùm de filia, & cum res sit odiosa, multòque gravius sit delictum in fœmina, extendi non debet ad filium. Sententiam expositam tuentur Quintavallis *de jurejurando*, verbo *Exhæredare*, Hostiens. cap. 1. de sponf. impub., Joan. Lup. cap. *Per vestras*, *de donatione inter virum & uxorem*, Sylvest., Rosel., Tabien. &c.

797. Contrarium tamen opinati sunt alii, dicentes, filiam nubentem indigno, invitis parentibus, posse hæreditate privari. Afferunt autem l. *Non tantum* §. *Si emancipatus*, ubi dicitur: *Si tam ignominiosam duxerit uxorem filius, ut dedecori sit tam sibi, quàm Patri mulierem talem habere, dicemus, & ex ea natum ad bonorum possessionem avi admitti, cum possit avus jure suo uti, eumque exhæredare*. 2. proferunt authent. *sed si post* C. *de inoff. Testam.* ubi legitur: *Sed si post viginti quinque annos te differente filiam marito copulare, ea in suum corpus peccaverit, vel sine consensu suo marito se, libero tamen, copulaverit, eam exhæredare non potes*; ex quo infertur, quod si ante viginti quinque annos nubat sine patris consensu, poterit exhæredari. Præterea: In authent. *Ut cum de appellatione* §. *Aliud quoque* inter causas, propter quas filius exhæredari potest, recensetur; Si gravem injuriam intulerit Patri, sed hujusmodi est, ipso invito indignam ducere; ergo. Ideò hujus sententiæ sunt Baldus l. *Si Pater Cod. de Sponsal.* Hach. cap. 1. de *Sponsal. impub.* &c.

798. Hæc commovere non debent; etenim prior textus correctus est per authentic. à nobis citatam, ut docet Glos. in eadem l. *Non tantùm*, & ibi observat Barth. Ad 2. ibi sermo est de filia nubente mancipio post annos viginti quinque, & hoc pacto sumitur argumentum in sensu contrario nempe, si nupserit mancipio potest exhæredari, quod jam concessimus. Ad 3. una ex causis, propter quas hæreditas negari potest filio, est injuria per se & directè illata parentibus; non verò per accidens, & indirectè præter filii intentionem; talis autem est illa, quæ infertur, dùm vilis & indigna ducitur uxor.

799. Quod verò attinet ad jus canonicum, inquiritur, an leges illæ, quæ hæreditate privant filias, quæ invitis parentibus contrahunt, jure canonico sint emendatæ.

Argumenta priùs eorum proponam, qui asserunt, nequaquam emendatas esse. Omnia autem reducuntur ad unum. Ideo enim dici possent emendatæ, quia per eas adimeretur libertas, quæ necessariò requiritur in matrimonio; hoc autem est falsum; primò: quia pœna consistens in lucro non acquirendo, non adversatur libertati matrimonii, sed est valida, ut diximus de sponsalibus; atqui leges privantes hæreditate filios nubentes invitis parentibus, agunt tantùm de lucro non acquirendo, siquidem jure naturæ sola alimenta ad vitam necessaria debita sunt filiis; reliqua verò sunt debita per leges civiles; alimenta autem per hæreditatis privationem non tolluntur; ergo. Secundò: quia matrimonium non solùm sacramentum est, verum etiam contractus civilis, & naturalis, ego licet civiles leges nullius sint authoritatis in eo, quatenùs Sacramentum est; sunt tamen, quatenùs est contractus civilis, & naturalis; ut convenienti modo juxta pacem,& quietem Reipublicæ celebretur; proinde justæ sunt pœnæ, quæ pro aliter contrahentibus statuuntur. Tertiò: quia per dictas leges matrimonii libertas tantùm ad certum moderamen revocatur, ne in boni publici detrimentum ea contrahentes abutantur, ut contingeret, si filii invitis parentibus contraherent; igitur justæ sunt, nec juri canonico adversantur. Hanc sententiam docent ex Theologis Sotus in 4. dis. 29 q. 1. art. 4. ad 4., Ledes. de matrim.

num.

num. 24., Salon. 2. 2. tract. de dominio quæst. 5. art. 5. &c. Ex jurisperitis Bald. cap. *Tenor. de sententia*, *& re judic.*, Felin. cap. *Ecclesia de constitutio*: num. 59. &c.

800. Contrarium verò opinantur alii ex Theologis, Corduba in Sum. quæst. 171., Enriq. de matrim. lib. 11. cap. 6., Victoria in summa de matrim. num. 269. &c. ex jurisperitis, Jason. authent. *Sed si post* num. 5., Campeg. tract. *de dote* 1. p. quest. 13., Navar. in sum. cap. 14. num. 15., Julius Clarus in practica quæst. 82. statuto 3. &c. atque horum omnium ratio est, quia cap. *Tuam de ordine cogn.*, & cap. *Causam* statuitur, condere leges circa matrimonia, & causas matrimoniales ad potestatem sæcularem non pertinere 2. quia jus canonicum plenariam in matrimonio libertatem exigit; ergo cum per hæreditatis privationem valdè minuatur hæc libertas, jus civile statuens istas pœnas corrigitur per canonicum. Hac in re plura dicit Suarez lib. 3. fori leg. 2.

801. Hinc argumentis adductis num. 799. respondent. Ad 1. pœnam privationis hæreditatis, seu legitimæ, licet non sit prorsùs de damno vitando non tamen est etiam perfectè de lucro non acquirendo; cum ad legitimam sit jus quoddam in filiis acquisitum, qua absque gravi delicto privari non possunt & ideò hæc privatio gravissima pœna censeri debet. Ad 2. Quamvis matrimonium non sit tantùm Sacramentum, sed etiam contractus civilis; attamen ad jus canonicum pertinet principaliter de matrimonio disponere, cum dignius, quod in ipso est, sit esse Sacramentum; & ideò trahit ad se minùs dignum, quod est, esse contractum. Ad 3. moderamen hoc libertatis per laicam legem effici non potest; quia lex Ecclesiastica vult, non solùm quod libertas non impediatur, sed neque quod minuatur.

ARTICULUS XIV.

An pater teneatur dotem tribuere filiæ ipso invito nubenti.

802. Quæsitum primo fit supposita doctrina superiùs propugnata, nempe ex suppositione, qua nequeat illam hæreditate privare, & ipsa annum vigesimumquintum ætatis compleverit. Quidam dicunt, teneri, si filiam dotem promisit, non aliter, quia vir sibi imputare debebit, si dotis promissionem non postulavit. Ita præsertim Bart. l. *Obligatum*, ff. *de actionibus & obligationibus*, Sylvest. verbo *Dos* quæst. 4., Tabiena &c. Alii, & meliùs asserunt, teneri, etiamsi filia dotem non promiserit, & indigno se copulaverit. Quemadmodùm enim, si filia ex consensu patris nupsisset, pater debuisset illi dotem præbere, quamvis ipsa non promisisset; ita etiam tenetur, si annos vigintiquinque ipso invito nupsit. Ratio desumitur ex authen: toties citata, *Sed si post*. Quod enim sine patris consensu filia nupserit, non est culpæ filiæ tribuendum, sed patris, qui fuit in mora. Ita Menoch. lib. 4. de præsumptionibus præsumpt. 189., Ripa l. 1. ff. *Soluto matrimonio &c.*

803. Quæstio secundò fit de filia, quæ vigintiquinque annis sit minor, & patre nubat invito. Doctores satis divisi sunt. Gloss. cap. *finali*, verbo *Parentum*, Alexand. de Nevo cap. cap. 1. de sponsal. impub., Decius regul. *Nuptias*, aliique absque aliqua distinctione tenent, filiam à patre esse dotandam. Joan. Lupus cap. *Per vestras*, *de donatione inter virum & mulier*, Molina lib. 2. *de primogenit.* cap. 16. idem affirmant, quamvis nupserit indigno; quia dos alimentorum loco succedit; ergo sicuti filia privari nequit alimentis, ita nec dote; imò à fortiori, cum causa dotis sit favorabilior. Gloss. cap. *de raptoribus* quæst. 1., Joan. Andr. cap. *Accedens*, Francus cap. *Unico*, §. *Por-*

§. *Porrò*, existimant, teneri, si nupserit digno. Denique Rosel. verbo *Hæreditas* num. 10., Angel. verbo *Dos*, Montalvus l. 10. par. 4. tit. 1. idem concludunt, & addunt aliam conditionem, nempe, si filia dotem promiserit.

804. Procul dubio hæc postrema sententia vera est; quia ex una parte pater tenebatur eam in matrimonio collocare, ipsique dotem tribuere; ut habetur in l. *Qui liberos*, ff. *De ritu nuptiarum*, & tenent omnes; ex alia, si se matrimonio conjunxerit digno, rem, quæ spectabat ad patrem, utiliter gessit; ergo. Et sicuti si emisset aliquid, quod sibi necessarium esset, ad quod emendum teneretur pater, deberet pater solvere, licet absque ipsius consensu emisset; ita in re nostra. Hoc dicendum est potiori ratione, si ipsa filia dotem promisisset.

Si autem matrimonium indignum iniisset, ex quo totum familiæ decus denigraretur; ad aliud non esset cogendus pater, nisi ad eam dotandam in modica quantitate, quæ sufficiens esset ad alimenta vitæ necessaria comparanda.

805. Sed hic jam videndum occurrit, quale matrimonium censendum sit indignum. Existimant aliqui, illud esse, quod contrahitur cum altero, qui turpi aliqua conditione affectus sit, ut si foret infamis; non autem, si è vili tantùm propagine descendat. Verùm arbitror, omnia illa matrimonia indigna esse appellanda, quæ juxta Civitatis morem absque dedecore contrahi non possunt; sive hoc proveniat ex majori notabili paupertate, quæ nobilitate non compensetur; sive, quod potissimum considerandum est, si contrahantur cum aliquo, qui pravis moribus imbutus sit. Atque hæc pauca inter plura de matrimonio scripsisse sufficiat, quæ, si infallibili Ecclesiæ judicio reprobentur, tamquam non scripta censeantur.

L A V S   D E O.

Errata:		Corrige.
Pag.	55. Sacramentum	Sacramentorum
	96. quid	quod
	105. futuram	futurum
	134. Sab.	Fab.
	176. filium	filiam.
	181. tenui	textui
	221. juxta	justa
	224. immunitatem	immunitate
	244. ab	ob
	288. si	sive.

In istis ac reliquis ignoscendum Typographo.